



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Thomæ Tamburini Societatis Iesu Siculi
Caltanisettensis, In Alma Vniversitate nobilis Civitatis
Messanæ, Theologiæ Primarij Professoris. Explicatio
Decalogi Duabus distincta partibus**

In qua omnes ferè conscientiæ casus, ad decem Præcepta pertinentes,
mira brevitate, claritate, & quantum licet, benignitate declarantur

Continens sex Libros posteriores in Decalogum, id est, expositionem
præceptorum secundæ tabulæ

Tamburini, Tommaso

Monachii, Anno M.DC.LIX.

Liber Octavvs. Ne furtum facias.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39995

LIBER OCTAVVS.

IN DECALOGVM.

Ne furtum facias.

DISPOSITIO HVIVS LIBRI.

Quam multa, quam varia, quam implicita mihi obviam in hoc præcepto sunt? Qua ratione ergo in brevem summam illa meo more constringere, & insuper nonnulla de novo, ut soleo, superaddere valeam, nisi tu, omnium lux animarum, splendor æternæ sapientiae, meas tenebras diuino igne depellas, foveasque torpentem animum, jam jam desperatione collabentem?

2. In quatuor tractatus librum hunc, propter varietates rerum, distinguere oportet. Primus erit de dominio, quod est fundamentum, unde furtum prohibitum sit; nisi enim dominus esses tu rei tuæ, sanè non vererer ego, illam mihi surripere. Secundus de ipso furto, seu acceptione injusta. Tertius de restitutionis obligatione, quæ ex furto, seu injusta acceptione, vel detentione consequitur; ubi ad complementum tractationis, non erunt aliæ radices restitutionis omnittendæ, id est, ex re accepta, ex damnificatione rerum temporalium, vel famæ, vel honoris, ex contractu. Quartus denique de circumstantiis quibusdam restitutionis. Favéant Cæ-

lites, prospère aspiret Deus.

TRACTATUS PRIMVS.

De Dominio.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit dominium, & qua ratione differat à possessione, usufructu &c?

Vbi.

An usus distinguatur à dominio, in re, ipso usu consumptibili?

Dominium proprietatis est jus, seu facultas de re aliqua perfectè disponendi, nisi lex obstat, vel conventio prohibeat. Prohibet enim lex aliquando, ut quamvis aliquis dominium suæ rei habeat, disponere de illa re non valeat. Ita pupillus, licet habeat dominium suarum rerum, prohibetur tamen à lege, ne disponat de rebus suis, donec in perfectam veniat ætatem. Ita debitor, licet sit dominus rei datæ in pignus creditori, illam tamen, ex tacita saltem conventionione, non potest creditor alienare, dum est in pignus. Ita Religiosus Societatis Iesu, post vota biennij, dominus est suorum bonorum.

H h

fcd

sed de ijs disponere, sine licentia superioris, non potest.

a *Hanc definitionem late prosequuntur Iurisconsulti, ex Bartolo l. 17. ff. de acquirenda possessione. Dicast. l. 2. de just. & jur. tr. 1. d. 1. dub. 4. n. 129.*

2. Dictum autem est (dominium proprietatis) quia est aliud dominium, quod appellatur jurisdictionis, quæ est potestas gubernandi subditos, præcipiendo, prohibendo, permitiendo, judicando, pœnis vel præmijs afficiendo, protegendo, vindicando; estque duplex, Ecclesiastica & sæcularis. De hoc nos dominio jurisdictionis non agimus, nisi fortè aliqua sint obiter tangenda.

3. Cum autem eodem num. 1. dictum est (jus) intellige jus in re, quod sit plenum, & perfectissimum; non vero jus ad rem, de quibus passim Doctores, b

b *l. Dicast. l. c. n. 32.*

4. Distinguitur autem dominium, ab usufructu, & à mero usu: nam his non convenit, esse potestates liberas disponendi de re. Possessio enim nil est aliud, nisi facultas insistendi in re, quam quis possidet. Usufructus est potestas, seu jus utendi & fruendi. Merus usus est jus tantum utendi.

Potest v. g. quis uti hoc fundo, solum ad residendum, vel dormiendum in illo? Erit merus usufructuarius. Potest uti fundo, tum ad hoc, tum ad colligendos ejus fructus, illosque usurpandos, sed non ad ipsum fundum alienandum? Erit usufructuarius; at dominium comprehendit jus possi-

dendi, utendi, fruendi, & insuper addit jus alienandi &c.

5. Illud hic obiter nota, usufructum esse duplicis generis, id est, habentem usum facti, & usum juris. Usus facti habet, qui solum utitur re: sic competit etiam brutis, quæ utuntur herbis & paleis. Usus juris habet, qui & utitur, & potest ad suum beneplacitum uti re; nam propterea dicitur habere jus utendi; id quod competit hominibus. Religiosis vero hoc jus utendi competere solum ex dependentia voluntatis superioris, docet vera sententia, de qua mox redibit sermo c. seq. §. 5.

6. His positis; celebris est quæstio, an in ijs, quæ usu consumuntur, seu ut loquuntur Iurisperiti, quæ functionem recipiunt, separari possit usus à dominio? Si v. g. do tibi usum hujus panis, hujus vini, statimne do tibi absolutum & perfectum dominium illorum? Ita enim videtur; nam si do tibi vini usum, ergo potes illud bibere, ergo illud destruere, & consequenter de illo perfecte disponere; quod est, perfecte de illo dominium habere, quæ quidem consequentia fieri nequeunt in re usu non consumptibili. si enim tibi do usum, seu etiam usufructum fundi, licet possis uti fructibus, istdemque frui, non potes tamen ipsum fundum destruere, deque illo absolute disponere.

7. Respondeo. Hæc quæstio originem habuit ab ordine Minorum sancti Francisci, qui approbante Nicolæ IV. licet reprobante deinde Ioanne XXII. sed iterum approbantibus Marti-

Martino V. & Paulo III. profitentur, non solum suos Religiosos particulares (in hoc enim conveniunt cum Religiosis particularibus aliarum religionum.) sed etiam suam communitatem, seu Monasteria, nullum habere dominium rerum, quæ ipsis donatae sunt, sive hæc res sint usu consumptibiles, sive non, sed illud solum habere summum Pontificem, post Martinum V. nam ex Nicolao IV. harum rerum usu consumptibilium dominium habebant ipsi fideles dantes, donec consumerentur. Neque te conturbet horum Pontificum dissensio: siquidem etiam ij in diversa placita possunt abire, citra res fidei, & citra res ad statum universalem Ecclesie pertinentes, quando hæc decernunt, Pontifices.

c. Bell. li. 4. d. summo Pont. c. 3. & 5. lege c. à nob. 2. de excommunicatione, ubi se ut hominum privatum errare posse fatetur. p. Puta in Decretis morum, in approbatione bene vivendi, in Canonizatione Sanctorum, Bell. ibidem, & lib. 1. de beatitudine & Canonizatione Sanctorum. Rodriquez. t. 1. q. Reg. 1. ar. 4.

8. Respondeo nunc directe ad questionem, posse separari. e Ratio autem separationis consistit in eo, quod qui habet dominium rei, potest illam quomodocumque libere distrahere, vendere, destruere, alteri donare, &c. At verò, qui ejus usum duntaxat habet, solum potest illa re uti, juxta voluntatem domini, seu dependenter à domino, ita ut etià dum panis v. g. est in manu Religiosi Franciscani, illum ad os admovente, possit Pontifex, sine injustitia contra religio-

nem, vel Religiosum Franciscanum; ab eo illum tollere; simile quid est in eo, qui invitatur ad convivium ab aliquo; dominus enim convivij semper est dominus ciborum, eosque sine injustitia, esto, cum magna inurbanitate, possit ab invitato nondum acceptante auferre, donec consumantur: postea enim, ex defectu materiae jam destructæ, desinit dominium. Simile quid etiam est in alijs particularibus Religiosis aliarum religionum: nam propter votum paupertatis non possunt uti rebus pretio æstimabilibus, quamvis ipso usu consumptibilibus, nisi dependenter à voluntate sui superioris. Religiosi ergo alij in eo differunt à Franciscanis, quod aliarum Religionum Communitas, seu Monasteria habent perfectum dominium suarum rerum à Fidelibus donatarum, siue hæc sint usu consumptibiles, siue non; at Franciscana id non habet, quia suarum omnium rerum Pontifex dominium retinet. Unde fit, ut Religiosi aliarum Religionum utantur prædictis rebus dependenter immediate à suo Superiore, qui est legitimus administrator bonorum Religionis, at Franciscana dependenter immediate à Pontifice, qui est Dominus bonorum Religionis Franciscanæ.

e. Sot. in 4. de just. q. 1. ar. 1. Valent. qu. 10. p. 1. Mol. 11. 2. de b. Sua. 1. 2. d. 28. sec. Less. l. 2. c. 3. dub. 8. Sanchez. l. 7. summ. c. 18. nu. 5. innumeros referens contra Sylv. v. Dominium, q. 2. Arag. q. 62. de Domin. Caet. 2. 2. qu. 78. art. 1.

9. Ex dictis fit Primò, quod Religiosus particularis in rebus unico actu consuma-

H h 2

consuma-

consumptibilibus, quorum usus ipsi negandum, aliquid tandem diminuat à superiore conceditur, non acquirat de pretio, ex tanta potestate illam dominium, seu proprietatem: cum e-

repetendi.
 nim usus à dominio separabilis sit, non sequitur, dari utrumque, si usus detur. Scio, multos doctores d. contrarium docere. Sed ego assentiri non possum, quia claram video separabilitatem, quam numero præcedente explicui.

d. Caram. in Reg. S. Ben. nu. 871. citans Cenedum, Petrum de Arag. Turrematam, Sylv. D. Antonin. Sarmientum. item Bassius in floribus pag. 256. nostram vocans probabiliorē, licet contrariam probabilem.

Corollarium pro Religiosis circa accēptionem rerum.

10. Ex iisdem dictis fit secundò, ut quando Religiosus particularis accēptat à seculari aliquid ad merum usum, v. g. gallinam ad comedendum, minoris ea valeat, quam si accēptet absolute; vel quàm ex se valeat, si absolute vendenda sit. Ratio est jam dicta, quia merus usus facti, cum semper supponat, in domino remanere perfectum dominium, multum diminuit de pretio, cum possit à domino semper repeti. Fac, te vendere gallinam Petro, sic; vendo tibi hanc gallinam, ea conditione, ut etiam, quando erit à te occisa, quando jam cocta, quando ad mensam apposita, quando in manura illam ad os admovente, ego illam possim repetere; nonne Petrus propter hanc conditionem volet pretium gallinæ diminui? Et licet sciret, te nunquam repetiturum, tamen non est

11. Hinc colligi posse videtur, quando aliquid ex rebus unico actu consumptibilibus datur Religioso, majorem quantitatem rei requiri ad peccatum mortale, quàm si detur absolute, quia res data ad solum usum, minus valet, cum possit à domino statim repeti. Puto tamen, quando adest certitudo moralis, quod res nunquam sit repetenda, præsertim in his rebus ipso usu consumptibilibus, de quibus postea nihil remanet, ad quod possit dominus jus habere; puto, inquam, tam exiguam esse pretij diminutionem, ut moraliter judicetur, nihil diminueri; quando enim adest tanta certitudo, physica illa, ut ita loquar, potestas se habet, ac si non esset, atque adeo non potest in morali æstimatione aliquid de pretio deducere.

12. Illam considerationem puto probabiliorē ac tutierem: nam gallina, v. g. pluris valet viva, quàm mortua, pluris integra, quàm in partes conscissa: dulciare item integrum pluris æstimatur, quàm incisum in frustula; & sic de similibus: Poterit ergo Religiosus significare seculari, ut is rem comestibilem dividat; nam sic ipse Religiosus recipiet minus, quàm si reciperet integram, adeoque facilius poterit, si superioris venia careat, gravitatem materiæ devitare. De qua vide inferius tract. 2. cap. 4. ut etiam de Religioso invitato ad convivium, vide mox cap. 2. §. 5. n. 9.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

Quinam dominium rerum habeant?

Certe Deus, Angeli, homines; de quibus vide Doctores. Inter homines (quod ad nos facit) dubitari solet primò, de servis. Secundò, de filijs. Tertiò, de uxori- bus. Quarto, de beneficiarijs. Quintò, de Religiosis, quibus omnibus, vel impeditum est dominium rerum temporalium, vel veritum.

a *Less. l. 2. c. 4. dub. 1. & passim.*

§. I.

Selecta de servis.

Vere servi, propriè mancipia, nullo, ex legibus, a domi- nio gaudent, si de temporalibus bonis agamus; nam ceterum vi- tæ, membrorum, honorisque domi- nium suum habent, ita ut domini, si in his illos offendunt, sint puniendi, ac si liberos offenderent: quia tamen leges, quæ dominio temporalium ser- vos privant, sunt usu ipso mitigatæ, ideo adsunt septem circiter tituli, seu casus, quos jam jam à num. sequenti afferam, in quibus servi dominio re- rum temporalium, etiam in foro con- scientiæ, c. potiuntur, & ita potiuntur, ut si dominus eas, invito servo, contrectet, possit servus occultè sibi compensare.

a *§. 1. Instit. de ijs, qui sui juris, vel alieni sunt, Mol. tr. 2. d. 38. h. l. 1. ff.*

de ijs, qui sui juris, vel alieni sunt. & Inst. eod. tit. Dicast. l. c. n. 147. c. Mol. l. c.

2. Primus casus est, si dominus ta- citè vel expressè consentiat, servum habere peculium.

3. Secundus, si quid servo ita done- tur, legeturvè, ut id ad dominum non perveniat; hujusmodi etiam vi- detur, si detur ipsi aliquid, quo se pos- sit redimere.

4. Tertius, si quid servo relinqua- tur absolutè, id est, non intuitu domi- ni; ut, ob industriam, vel officium à servo alicui exhibitum. Ex quo col- ligo, idem debere dici, si quid relin- quatur servo, ob ejus amorem, idem- que, si ejus consanguinei longè distatè mittant ipsi aliqua dona.

5. Quartus, si servo quid detur, ob compensationem injuriæ, ipsi illata.

6. Quintus, si quid servus pecu- nia sui peculij lucretur ludo, forte, ne- gotiatione, quia lucrum induit ratio- nem capitalis.

7. Sextus, si quid sibi subtrahat ex his, quæ sine domini incommodo po- terat liberè consumere vel expendere.

8. Septimus, si quid acquirat faci- endo alia opera, præter illa, quæ do- minus præscripsit.

Defenditur servorum mitigata conditio.

9. Caramuel d. ex his septem titu- lis, primum dumtaxat, id est, pecu- lium à domino concessum servo cum ejus lucro ex negotiatione fortè acqui- sito approbat, reprobat ceteros in hunc

H h 3

serè

ferè modum. Nullus casus dabitur, ait, in quo aut servus, aut Religiosus (quin illorum status alteretur, & mitigetur) possit alicujus rei permanentis dominium acquirere. Sed huic propositioni adversatur Sanchez, quia licet inter servum & dominum, ut sic, non sit propriè justitia, nec contractus, est tamen inter dominum & servum, ut homo est. Nullum argumentum; quia sic liceret arguere, Aliquando religiosus posset sibi proprietatem acquirere, vendere, emere, ducere uxorem, quia hæc illi non repugnant, ut homo est, licet repugnent, ut Religioso. Conjugata non potest nubere, ut conjugata, sed ut mulier; quod est ludere, ut ludit sensus compositus & divisus in prædeterminantibus. Adde, si jura decernunt, omnia servi acquiri domino, unde & fateris, eos esse incapaces dominij; quomodo potest, ut homo, acquirere? Esto, possit dominus concedere illi dominium: sed tunc erit partialiter liber, non servus.

d. Caram. l. 2. Theol. Mor. nu. 386.
e. Sanch. l. 7. conf. c. 1. d. 1. n. 6.

10. Adversatur secundò, quia, si ea conditione (ait idem Sanchez) expressa vel tacita, bona aliqua sint ita donata servo, ut is non acquirat domino, servus sibi acquirat. Contra, quia non prodest talis conditio; voluntas enim donantis non potest facere incapacem servum, sicut nec posset Religiosum: esto igitur, illa bona donata veluti vacant, & redeant ad dominum.

11. Adversatur tertio, quia si ab a-
masio (inquit idem Sanchez) dentur

ancilla aliqua bona propter usum corporis, cum in hoc usu non subsistet ancilla domino, ancilla erunt illa bona. Idem erit, si propter injuriam acceptam satisfacere vulnerans pecuniam servo percusso, pecunia erit servi, si quidem membra servi sunt, non domini. Sed contra, tum quia idem esset in religiosa: cum enim usus corporis sit suus, & membra item sua sint, sibi acquireret, si quid propter similes causas acquireret. Hactenus ex Caramuele.

12. Sed acutissimi viri contra doctissimum Sanchez argumenta deleri, meo quamvis pingui calamo, facile posse video, ex eodem Caramuelis principio. Nullus (inquit) dabitur casus, in quo servus (nisi ejus status alteretur, & mitigetur) possit alicujus rei permanentis dominium acquirere. Huic principio sic adnecto minorem; sed re ipsa servi status est in illis septem casibus mitigatus, non autem status Religiosi, ergo non est mirum, si servus in iis casibus possit sibi acquirere, non vero religiosus. Minor probatur ex Lessio & Molina, qui viderunt certe, servos ex jure esse omnino incapaces dominij, etiam in illis prædictis casibus, sed addunt, tantum rigorem fuisse mitigatum. Proferatur Lessius. Notandum est, inquit, multos Doctores concedere servis verum & perfectum dominium in plerisque casibus prædictis, eisque fieri veram injuriam, obligantem ad restitutionem, si dominus res ipsis concessas auferat. Iura autem, quæ tradunt, servos, quid-

quid

quid acquirunt, domino acquirere, intelligenda regulariter. Ita Molina *g* disp. 38. Posset enim addi, jura illa consuetudine esse mitigata, & hoc malim in praxi. Itaque posset servus uti occulta compensatione, si dominus ei res suas abstulisset. Hæc Lessius. Si ergo militat in primo casu mitigatio servitutis ex expressa domini voluntate, id quod rectè concedit Caramuel, valebit in cæteris, ex implicita ejusdem voluntate, quæ non potest nisi esse conformis sanctis legibus & legitimæ consuetudini. Ab his enim servitutum mitigari, & res temporales alijs applicari posse, communis est & trita doctrina.

f *Leß. l. 2. c. 4. n. 17. g* *Mol. d. 38.*

13. Non ergo valet sequela Caramuelis: ergo posset religiosus, ut homo, acquirere proprietatem, & posset conjugata, ut mulier, nubere &c. non valet, inquam, quia servitus potest à voluntate domini mitigari, & à legitima consuetudine jam mitigata est, non verò est mitigatus status religiosæ paupertatis, quoad proprietatem; nisi forte in Scholasticis Societatis Iesu, habentibus vota biennij, qui veri sunt religiosi, & tamen retinent (licet sine usu independente à Superiore) suorum bonorum proprietatem, quod nunc non facit ad nos. Rursus nec status conjugij mitigari potest: da mihi, qui possit à conjugata, vivente viro, tollere, vel mitigare vinculum matrimonij, & dabo tibi, illam posse nubere &c. Quare non ludit Sanchez, dum dicit, inter dominum & servum, ut

homo est, posse esse contractam justitiæ; illud enim (ut homo est) significat, ut non est servus, quales non servi sunt ex natura omnes homines, sed ex qua parte non est servus, sed sicut cæteri homines.

14. Nec item valet: ancilla acquirat sibi quidquid Incratur ex usu corporis, vel ex satisfactione, propter injuriam acceptam, ergo posset ex eisdem causis acquirere sibi pretium monialis: non valet, inquam, quia monialis adstringitur voto paupertatis, quo constante, est incapax dominij: at ancilla, stante illa juris mitigatione, capax est. Da monialem, cui Pontifex summus votum paupertatis, quoad proprietatem diminuerit, ut diminueri posse affirmat Sperellus, *gg* & ego concedam facile, quod infers.

gg *Sperell. p. 1. dec. 1. n. 73.*

Bona servi ab intestato defuncti, cujusnam sint?

15. Porò illud mihi singulare oblatum fuit nudiustertius: Mancipium, cum ex legitimo suo peculio (ut certò, & consentiente domino, constabat) collectos haberet in arca ducentos aureos, moritur ab intestato, nulla de his dispositione facta, nec ullis ejus existentibus hæredibus. Quare non vulgaris contraversia coorta fuit inter fiscum Regium, & inter dominum servi, cuius illi ducenti aurei essent applicandi? Nec in foro exteriori tantum, sed etiam in interiori quaesitum fuit, an dominus occultare eos posset, ut sibi, *citra*

citra lites, faciliore negotio eisdem usurparet.

16c Et quidem fiscus ita clamabat: Primò, bona vacantia, id est, bona eorum, qui ex hac vita ab intestato discedunt, neque relinquunt hæredes, qui illis juxta juris civilis præscriptum ab intestato succedant, eo ipso, ex dispositione *b* juris, ad Regem devolvuntur: sed pecunia, de qua agimus, est bonum vacans, ut jam supponitur, ergo ad Regem necessario devolvitur.

h l. 1. §. 2. ff. de jure fisci l. 1. & l. vacantia, C. de bonis vacant. l. 20. & a libi. lege interim Mol. t. 1. d. 53. alioque de quid ego dicam tr. 4. c. 1. §. 3. num. 27.

17. Secundò, ubi lex non distinguit, nec nos distinguere possumus: At lex disponit, omnia bona vacantia esse Regis, ergo non possumus nos distinguere, atque asserere, legem loqui de liberorum bonis, non vero de bonis servorum.

18. Tertio, ejusmodi peculium totum pertinebat ad servum, ergo nullo jure ad dominum: qua igitur ratione ipse se intermiscere in hac pecunia velit? potius detur pauperibus, ex præsumpta defuncti christiani voluntate. Hæc, & similia fisci.

19. Dominus verò in hunc ferè modum suas partes vehementius tuebatur. Primò, servus etiam sui peculij non habet perfectum dominium, sed solum imperfectum, ut scilicet illo possit uti ac frui: At quoties is illo non utitur, ad dominum pertinet, quare injustitia fieret domino, si fiscus illud sibi vellet addicere. Quod autem, si servus suo peculio non utatur, id ad

dominum pertineat, clare deciditur ex Lessij doctrina, qui sic habet: *i* Monachi (ait) & servi conveniunt, quod neutri habeant dominium omnino perfectum: tamen Monachi nullum omnino in particulari habent, & & sunt omnino incapaces: servi vero sunt capaces, & propterea habent aliquod dominium, absque domini consensu. Et quamvis potestati domini, aliquo modo subjectum sit, esset inhumanitas, si hac potestate dominus uteretur: lege Navarrum, & Petrum Navarram. Hæc Lessius. In quibus vides, servum habere sui peculij imperfectum dominium & dominatum, dominumque posse absolutè uti potestate usurpandi peculium servi; non esse absolutè servi, sed domini, & solum servis concedi, illo uti fruique posse: ceterum nisi ipse fruatur, disponatve, non posse justè ad alium pertinere, nisi ad dominum.

i Less. l. 2. c. 4. n. 17.

24. Secundò, leges absolutè omnia servi bona concedunt domino: id quod originem habuit ex eo, quod bello justo capti, qui occidi poterant, se liberant, perpetua servitute, & omnibus suis bonis domino additis; quæ forma servitutis deinde in omnia legitima mancipia à legibus inducta est, ut rectè notat Molina loco citato, solum ergo, quoad peculium, ex quadam æquitate, & ex usu, ut modo diximus, eadem leges mitigatae sunt ad servorum conditionem mitigandam; cum ergo, ijs mortuis, hæc ratio non procedat, ad dominum omnia bona servi,

serui, sine necessitate in pauperes distribuendi, vi juris, redeant, necesse est.

21. Tertiò, lex illa de bonis vacantibus est admodum odiosa; applicat enim sibi rex, quod suum non erat: ergo restringenda ad bona, quæ in nullius prorsus sunt potestate; sed serui peculium est in radicali potestate domini, ut dictum est; ergo &c.

22. Quarto. Ex legibus l. testari serui absolute non possunt: imo si tempore, quo seruus testamentum condidit, ignoret, se factum esse liberum à suo domino, vel dubitet de suo statu, esto, re vera sit liber, testamentum est nullum. Iam sic: ideo testari vetatur seruus, quia supponitur is, non habere bona, de quibus libere disponere post mortem possit, idque quia omnia sua sunt domini, qui non ut hæres sed ut dominus omnia serui bona sibi vendicat; cum ergo fiscus solum prætendat bona vacantia (id est bona illa, quæ nullius sunt: secus enim bona vacantia non essent) ad bona hæc, de quibus loquimur, quæ vere sunt domini, se intrudere nequaquam valet.

1 Vide leges apud Mol. l. r. d. 137.

Confirmatur: quia bona vacantia sunt illa, de quibus, cum quis haberet jus testandi, testatus tamen non est: at seruus, ut dictum est, non habet jus testandi de rebus suis, ergo, &c. Hæc sententia domini defensio, ex cuius argumentis apparent fisci argumenta factis superque dissoluta. Mihi ergo vim maiorem facit dominus quam Rex: Imo, etiam si eiusmodi seruus habeat legitimos hæredes, qui ab intestato pos-

sint in eo peculio succedere, non hi succederent, ex mea sententia, sed integrum redire peculium ad dominum debet. Ratio est jam insinuata, quia ex benigna legum interpretatione disponere de eo potest seruus; si ergo de eo non disposuit, jam redit domini jus. Exciperem, nisi hic seruus peculio gaudens, habeat filios indigentes alimentis; pro filiorum enim alimentis disposuisse legitime semper consensus est, quasi pro suo usu, de suo peculio pater; & quidem nimis impium esset, indigentibus filiis necessaria alimenta, ex patris peculio denegare.

§. II.

De filiis.

1. **D**E his multa dixi, & satis sunt, in 4. præcepto, lib. 5. c. 4. §. 1. de furto eorumdem filiorum, vide infra tr. 2. c. 3.

§. III.

Selecta de uxoris; ex bonis mariti aliquid usurpantibus.

1. **P**endent, quæ dicturi sumus, ex cognitione modi, quo matrimonium initum inter conjuges sit. De iure communi, ad sustinenda onera matrimonij certum quid in dotem ab uxore datur marito, cuius soli fructus & administratio ad apud ipsum est; nam proprietas est uxoris; unde dissoluto matrimonio per mortem, vel legitimo intercedente divortio, restituenda est tota dōs eidem uxori,

uxori, vel ipsius hæredi. Vir ergo tenetur uxorem alere, familiamque; uxor vero tenetur familiam eandem gubernare, juxta statum suum, atque adeo præstare industriam, & operas uxoris proprias, ad domus congruam administrationem. Quod si ipsa ulterius sua industria, opere, labore, vel suum genium defraudans lucretur, suum erit, non mariti; sicuti etiam sua erunt à se domum allata, præter dotem; sua erunt sibi donata: sua sibi relicta, vel legata; sua, inquam, tum quoad dominium proprietatis, tum quoad usumfructum, tum quoad administrationem; nisi fortè ipsa velit horum administrationem marito tradere, quam tradidisse censetur, a quoties expressè uxor maritum non excludit.

aa *l. Mol. t. 2. d. 274. a l. fin. C. de pactis conventis super dote, lege Gratian. discip. 514. n. 24.*

Administrationem, dico; nam ad exactorem debitorum uxoris requiritur speciale mandatum ejusdem uxoris, vel certè ejusdem ratificatio; secus, non erit debitor liber.

b *l. cum maritum C. de solutionibus. & advertit Castillo decis. 26. nu. 12. & Antonius de Marinis, quotid. res. lib. 2. c. 237. n. 13.*

2. De jure Lusitano & Castiliæ, quæ ratione, sive contractu medietatis bonorum, sive contractu arrharum & dotis, matrimonia celebrentur, & qua ratione acquisita, matrimonio constante, sint utriusque conjugis, lege apud Molinam. bb Nobis juxta prædictum jus commune, quod est uni-

versalius, quodque cultiores in Sicilia, ubi scribimus, ex pacto servant, (*& alla greca*, ad differentiam, *dalla latina*, dicunt se contrahere,) res hæc pertractanda est.

bb *Mol. d. disp. 274.*

3. Uxor ergo si auferat ex fructibus dotis, vel etiam ex capitali, cujus ipsa est domina, aliquid notabile, invito marito, peccat & mortaliter, cum obligatione restitutionis: ratio est perspicua, quia fructus sunt omnino mariti, & capitale, licet sit uxoris, ejus tamen administrationem habet vir. In casu autem, quo ipsa peccasset, auferendo, sed constante matrimonio, non haberet, unde restituere posset, excusaretur quidem ex impotentia, dum matrimonium constat; ac eo dissoluto debet restituere ex ipso capitali, quo jam libero potietur; vel, si ea præmoriatur viro, ex bonis, quæ ipsa possit disponere.

c *Mol. Clavis reg. alij. passim apud Dicastill. l. 2. de just. tr. 2. d. 9. dub. 8. num. 194.*

4. Sunt d tamen multa capita ex quibus excusatur, saltem à mortali, uxor bona conjugis usurpans: nam bonis proprijs posse, ut ei libet, uti sine peccato, quia sua absolutè sunt, non est dubium:

d *lb. ubi citantur & alij.*

Primò. Si materia notabilis non sit, spectato statu, opibus, familia, & signatè, dote allata, de qua re iterum e infra, cum de furtis domesticorum.

e *inf. tr. 2. c. 3. n. 2.*

5. Secundò. Si vir rogatus concederet.

6. Ter-

6. Tertio. Si proximus, cui ipsa porrigit, extremam pateretur, aut gravem necessitatem.

7. Quarto. Si faceret donationes liberales, & eleemosynas, secundum consuetudinem aliarum suæ conditionis mulierum, etiam viro invito, quia absque ratione tunc invitus esset.

8. Quinto. Si quid alicui daret, ad avertendum damnū temporale mariti; nam tunc præsumitur adesse ejus voluntas. Quid ad avertendum damnū ejusdem spirituale, ut si uxor daret eleemosynam, qua Deus maritum converteret? Molina *f* negat; concedit Lessius; *g* utrumque probabile.

f Mol. t. 2. d. 234. nu. 12. *g* Less. l. 2. c. 12. nu. 85. sequens Nav. aliosq.

9. Sexto. Si pro rebus familiæ, vel pro suo victu cultuque, juxta suum statum, accipiat &c.

10. Septimo. Si administraret bona, quando maritus absens est, vel dissipator, vel stolidus &c.

11. Octavo. Si det quid patri matricque, imo & fratribus, sororibus, ac filiis ex alio marito, quando hi omnes indigent alimentis. Atque in hoc octavo casu, adverte, uxorem, si habeant aliunde, non posse licite, hos sibi attinentes alere fructibus dotis: at si non habeant, poterit quidem, sed ex jure communi debet soluto matrimonio, ea, quæ dedit, restituere ex sua dote hæredibus mariti. ratio est, quia quando quis habet, unde suos alat, non potest ab alio accipere; quod si accipiat, quando suæ res sunt impeditæ, debet, quando eadem erunt expeditæ, restituere,

Quantum possit sibi congregare uxor ex mariti bonis?

12. Sed jam singulare aliquod in medium afferamus. Ex eo, quod moderatas eleemosynas potest uxor largiri, colligit Molina, *h* eandem posse, illas simul congregare, & totam summam uni simul, v. g. parenti pauperi tribuere. Nos igitur, pari modo, ex eo, quod eadem uxor liberales juxta suum statum donationes facere potest, colligere possumus, easdem posse unire, & uni eidemque simul liberaliter donare. Quidam tamen scopulus est cavendus. Cum enim ad splendorem familiæ, adeoque ad honorem mariti pertineat, donationes has, & eleemosynas facere, non potest licite ita se gerere uxor, ut semper uni tantum congreget, quia sic merito vir esset invitus; ideo non semper, non sæpè, sed parcè, sed sine offensione splendoris uti hac arte poterit congregandi in utilitatem unius.

h Mol. ib. n. 8.

13. Inquiret curiosus: licebitne uxori, hoc congregandi artificium exercere, ut sibi ipsi summam totam, quam congregat, suis usibus liberis applicet? Respondeo, quoad eleemosynas, non licere; licere, quoad donationes. Ratio discriminis est, quia eleemosyna pauperibus, vel locis pijs debet erogari, qualis ipsa certè non est; at liberalis donatio, sicuti potest reservari pro alijs, cur non pro se ipsa? Verum tunc scopulus ille detrimenti splendoris familiæ multo magis, ut ex se patet, erit declinandus.

I i 2

14. Vnum

14. Vnum difficile te doceri, ut sequens resolutio. Vxor prædivitis video, cupis. Ecquanam sit quantitas, quam in hisce eleemosynis, & liberalibus donationibus possit uxor, vel expendere, vel congregare, sine viri consensu? Respondeo, id non posse, nisi à prudentis viri iudicio deterni, expensis facultatibus viri, dote allata, necessitate familiæ, imo & necessitate & multitudine pauperum, consuetudine aliarum mulierum similis conditionis &c. Certè simile quid docet Sanch. i cum loquitur de quantitate, quam in eleemosynas potest superior Religionis expendere. Quoniam vero supra dixi, // quemlibet satisfacere præcepto de eleemosyna facienda pauperibus communibus, si det duos aureos quotannis ex aureis centum, quos forte habet; quatuor ex ducentis &c. idem hic dici de eleemosynis posset. Totidem pro liberalibus donationibus dici posse crederem, quia pro ejusmodi summa, vel non erit invitus vir, vel certè invitus erit immeritò. Duo tamen adverto. Prindò, id dicimus in mediocri patrimonio; nam si divitiæ multum excreverent, nimis excreveret uxorum licentia, ut iterum mox. l cum de uxoris furtis dicam, & ibidem dixi cum de eleemosyna. Adverto secundò, excogitatis regulis quibuscumque, nisi tandem hac in re ad prudentis viri prædictum iudicium recurramus, numquam animos nostros posse conquiescere.

i Sanch. l. c. in Decal. c. 19. num. 42.
Il sup. li. 5. c. 1. §. 1. n. 17. l infr. tr.
2. c. 3. n. 2.

15. Illustrabit, quæ hætenus docui,

ri, quæ parvam, aut nullam dotem adduxerat, advertens, se filios non procreare, unde tempore suæ viduitatis fore, ut indigeret, partim ex pecunijs, clam sine mariti, ne præsumpta quidem licentia, surreptis ex ejus bonis, partim ex eleemosynis, ac largitionibus liberalibus, quas juxta suum statum, exhibere poterat alijs, quas sibi uni cumulabat, partim ex opera & suo labore, extra id, quod obligabatur, partim ex ijs, quæ sibi, defraudando suo genio, reservabat, contenta quotannis v. g. uno, eodemque vulgari ac panneo indumento, cum licitè potuisset petere duo, vel tria, easque holoseria & ornata, collegit summam trecentorum aureorum intra decem annos constantis matrimonij. Hos ergo per fidum servum occultè negotiationi applicuit, atque intra alios decem annos, felici eventu, ad tria millia aureorum summa pervenit, qua redditum annuum emit suæ viduitatis tempore reservandum. Nec multo post, è vivis ablato viro, quæsi vit vidua à quodam non satis perito Theologo, an eam summam censumque hæredibus viri restituere teneretur? Qui respondit, eam non teneri, sed suæ industriæ id emolumentum acceptum referre licitè posse.

16. Profecto non debuit absolute decernere. Quare ad me cum accessisset, eam resolutionem referens, animo nondum sedato mulier, distinctionem porro necessariam hac in re tota adhibendam esse pronunciai. Nam sex bonorum genera, ex quibus conflata fuit

fuit illa summa, perpendenda diligenter sunt: primò, pars pecuniæ clam surrepta; & hæc tota est restituenda, quia injustè accepta: secundò, lucrum ex hujus surreptæ pecuniæ negotiatione acquisitum; & hoc restituendum non est, quia pecunia ex se est sterilis, & lucrum, quod parit, totum cedit industriæ negotiantis: solum, si ex hac surreptione cessavit viro aliquod lucrum, vel damnum emerfit, debet illud uxor restituere. Quia tamen ea affirmabat, id certo non evenisse, jam quantum est ex hoc capite, liberata fuit: tertio, perpendenda est pecunia, quæ ex suo labore extraordinario comparata est ab uxore, & hæc tota est uxoris, ut etiam lucrum omne ex hujus negotiatione acquisitum: quarto, pecunia, quam fraudando suo genio, sibi reservavit, & hæc ejusque lucrum, pari modo plene cedit uxori: quinto, pecunia, quam ex eleemosyna pauperibus eroganda sibi applicuit; & hæc tota est viri hæredibus restituenda, vel certe, juxta probabilem defuncti viri voluntatem, pauperibus distribuenda, quia ipsa sibi eam, utpotè non pauper, applicare nequaquam poterat: lucrum tamen ex illa, uxoris erit, propter rationem modo in secundo capite dictam: sexto denique, pecunia, quam ex liberalibus donationibus, quas potuisset facere, sibi seposuit: & hæc non tota potest uxori cedere, nam sic passa est familia detrimentum splendoris; quare ad illam partem, quæ hoc detrimentum cavisset, in vitis merito fuit maritus; hanc ergo restituat uxor, necesse est. Et qui-

dem morali judicio, spectatis personis, divitijs, occasionibus, consuetudine similitum faminarum &c. putavi, medietatem ejus pecuniæ, quam liberaliter dare potuisset, sufficientem fuisse ad decus illud familiæ conservandum; quare mediam hanc partem omnino restituat. Lucrum vero ex negotiatione utriusque medietatis uxori cedit, quia, ut dictum est, fructus est industriæ ipsius, & ex alia parte nullum lucrum cessavit ex hoc, nec damnum emerfit marito.

17. Ex dictis ergo bene distinctis apparet, viduam hanc debere restituere primò, pecuniam surreptam, quam ipsa dixit fuisse aureos quinquaginta: secundò, pecuniam congregatam ex eleemosynis faciendis, quam omnibus expensis (dabat enim præter eam, quam sibi reponebat, aliquid subinde pauperibus) censui esse aureos decem: tertio, medietatem pecuniæ ex negatione liberalium donationum, quas tempore viginti annorum poterat facere, quam medietatem, expensis omnibus, ad viginti aureorum summam circiter ascendere judicavi: cætera sibi ad viduitatem, ut ipsa dicebat, sublevandam tuta conscientia conservet.

§. IV.

De beneficijs.

1. **T**Oties hæc quæstio discussa à sapientibus est, ut me pigeat, eandem iterum iterumque recu-

recudere. Memineris ergo dumtaxat, beneficiarios beneficiorum & commendarum non esse dominos, quoad proprietatem, esse tamen vel dominos, vel liberos administratores fructuum; quare posse quidem beneficiarios, sive saeculares, ^a sive regulares ^b (hi sunt illi, qui ab religione assumpti sunt ad Episcopatum, Archiepiscopatum, &c.) validè, ut eisdem libet, in profanos usus fructus illos consumere, sed peccare mortaliter ^c si superflua suo statui non expendant in usus pios, & quidem peccato specialiter confitendo; quod tunc committitur, sive contra præceptum Ecclesiae id præcipientis, sive contra præceptum naturale de non expendendo profanè res Deo à fidelibus donatas. Ex his ergo fit, ut accipientes ex titulo profano non obligentur ad restitutionem, quia validè accipiunt.

^a De Lugo, late alios cit. t. 1. de just. d. 4. per tot. & Sanch. t. 1. conf. l. 2. c. 2. a d. 36. & deinceps Castrop. t. 1. tr. de carit. d. 2. p. 5. Bonac. propria disp. de obl. benef. t. 3. in edition. Lugdun. ^b Sanch. l. 6. in Decal. c. 6. nu. 13. 14. ^c Ibidem, & communiter, ex Trid. sess. 25. c. 7. de reform. licet non peccare mortaliter, doceat Lorca, quem novissimè refellit Diana p. 10. tr. 11. ref. 35.

2. At verò, peccantne hi accipientes, saltem ex eo capite, quia cooperantur cum peccato dantis? Respondeo, si inducant, vel excitent dantem, peccare, ^d quia sic sunt causa peccati alterius: si sine inductione solum acceptent ea, quæ sibi donantur, non peccare, quia tunc non sunt peccati causa, sed tota malitia est ex parte dantis,

d De Lugo l. c. sec. 3. n. 49. & 50.

§. V.

Selecta de Religiosorum paupertate circa usum dependentem.

1. **H**Os ex vi paupertatis non habere dominium rerum temporalium, sed solum usum dependentem à superioribus, insinuavimus modo; dependentia autem à superiore in hoc usu duplex distingui potest. Prima, veluti comitanter, id est, ita utar, v. g. hoc libro, ut semper quidem sim paratus eum relinquere, quoties superior voluerit: at eo utor, sine ulla prævia superioris licentia. Secunda antecedenter: id est, ita, ut non utar hoc libro, nisi præhabita licentia, sive tacita, sive expressa. Iam assero, ^a ad posteriorem hanc dependentiam Religiosos obligari à voto paupertatis, nec solum ad priorem. Ratio est, quia si ad priorem dumtaxat, jam nulla vel modica esset paupertatis obligatio; posset enim quis omnia habere, omnibus divitijs frui, paratus, ea relinquere, quando superiori libuerit; quo quid absurdius fit in homine Christi paupertatem sequenti, non video. Accedit, votum obligare, juxta intentionem voventis: at intentio Religiosi, dum vovet paupertatem, est, se conformem reddere pauperibus indigentibus, qui nec proprietatem rerum habent, nec usum rerum independentem à facultate dominorum. Rectè ergo DeLugo ^b sic habet: per paupertatis votum, intendimus abdicare à nobis omnem usum rerum temporalium, qui

am, qui opponatur vitio proprietatis; proprietatem autem intelligimus usum rei, non ex communitate, sed ex proprijs, & quod non fit ex præscripto Prælati, quam abdicationem fuisse annexam ab initio, statui religioso, probat Suarez. c

a *Sanch. l. 7. in dec. c. 53. Aror. ib. citatus.* b *De Lugo de just. to. 1. d. 2. sec. 3. nu. 54. vide et n. 50. e Suar. l. 8. de statu Relig. c. 7.*

2. Hinc non placent quatuor, quæ nonnemo docet; primò, peccatum contra paupertatem esse solam proprietatem; unde accipientem rei usum, & non proprietatem, contra superioris iurisdictionem, peccare contra obedientiam, non contra paupertatem: secundò, non peccare Religiosum contra paupertatem, qui in scio Prælati libros accipit à seculari, vel nummos, quibus libros emat, atque ijs in cella expositis utitur: tertio, Religiosum dantem alteri Religioso ejusdem monasterij quascunque res, etiam pretiosas, ut item easdem accipientem ab ejusdem Monasterij Religioso, non peccare contra eandem, quia nimirum non facit detrimentum rebus Monasterij, dum in eodem, res remanent: quartò, Religiosum commutantem res suas, vestes v. g. libros &c. cum alijs dissimilibus rebus suorum Conreligiosorum, imo & cum rebus secularium, servato circum circa eodem rerum valore, non peccare contra paupertatem, quia semper in Monasterio remanet æquivalens; idemque esse, si commodet, vel mutuo det. Non placent, inquam, tum quia in

his omnibus semper intercedit usus à superiore independens, qui, ut dictum est, interdicitur à voto paupertatis; tum quia in quarto adest in contrarium alia ratio; nam in commutatione intercedit vera rei alienatio, quam nemo facere potest, nisi quæ perfectum rei dominium & proprietatem habet, ut supra vidimus: & certè, (ut alia omittam) si satis esset æquivalens valor, ad tollendum peccatum contra paupertatem in commutante, etiam valeret in vendente & emente, ergo posset Religiosus vendere omnia bona monasterij; quo nihil absurdius.

d *Caram. in Reg. S. Ben. n. 886. et nu. 965.*

3. Hæc igitur omnia, per se contra paupertatem sunt. Solum rigor est temperandus ex eo, quod multa ex his fieri solent per tacitam, vel præsumptam Superioris voluntatem, juxta cuiuslibet Religionis consuetudines; lege citatos.

Aliqua item excusantur à mortali, ob parviteriam materiæ. Nam propter hanc rationem dare mutuas etiam pecunias Conreligioso, vel seculari, sine licentia, non esse mortale, docet probabiliter Ledesma, f alijque, quia quamvis per mutuū transferatur dominium, tamen ipsum dare mutuuum, quædo certè moraliter erit reddendū, est res levis, quia datur cum onere restituendi: id quod Ledesma propter eandem rationem extendit ad permutationem; quod tamen improbat Sanchez. g Dixi autem, non esse mortale; nam esse veniale, nisi tacita præsumatur licentia Prælati, dubium non est.

est, quia contra votum, etiam tum, delinquitur, licet in re levi.

e De parvitate hujus materiae l. Sanch. l. 7. in dec. c. 20. n. 3. & c. 12. nu. 30. benignius habet apud Fag. l. 7. in secundum Eccl. præc. c. 6. nu. 7. dum ait, in Religiosis haberi rationem filiorum, quod docet etiam Reb. apud eundem Sanch. d. c. 20. n. 3. lege item Dian. p. 1. tr. 6. de paup. relig. ref. 36. F. Ledesma in addit. ad summ. to. 2. c. 4. dub. 2. alijque apud Dian. p. 1. to. 6. resol. 57. Peyrinus t. 1. qu. 2. ca. 2. §. 1. favet Suarez. de Rel. l. 1. c. 11. nu. 25. g. Sanch. t. 2. in dec. l. 7. c. 20. n. 67.

De dispositione pecunie à Religioso, nomine alieno, vel nomine testatoris facta.

4. Licetene potest Religiosus accipere pecuniam, sine licentia sui superioris, ut ipse liberè expendat in elemosynam, nomine ejus, qui ad talem finem dedit?

Respondeo: si Religiosus eas pecunias sine licentia acceptet, ut sibi donatas, non licere, nimis est certum: at, si non ita, quare totum dominium remaneat domino, licere, absolute docet Sanchez, h quia tunc nec dominium usurpat Religiosus, ut supponimus, nec usum, cum pro se illum non usurpet. Non licere, docet Rodriguez, i quia ipsa distributio, præsertim quando est in pauperes, vel pia opera, liberè à Religioso eligenda, pretio est æstimabilis, ac propterea paupertati contraria. Distinguit denique Dilugo. l. Si enim distributio, ait, fiat in commoditatem ipsius Religiosi,

ut scilicet is possit dare, vel donare alijs, sicuti si haberet bona propria, non licere; quia tunc usum pecunie independenter à superiore usurpat. At si sincerè, & bona fide distributio acceptetur, ut cum fidelitate distribuatur pecunia, licere, quia tunc nihil sibi usurpat Religiosus.

h Sanch. l. 7. in dec. c. 30. n. 4. alijque apud Dian. p. 1. tr. de paup. relig. ref. 10. i Rodriq. in exerc. spir. p. 3. tr. 3. c. 15. Laym. l. 4. tr. 5. c. 7. num. 26. Turr. 2. 2. d. 84. du. 8. l. De Lug. t. 1. d. 2. sec. 3. nu. 53. & 54.

5. Ego sic breviter ratiocinor, Paupertatis votum non me prohibet acceptare, vel pro altero præstare ea omnia, quæ pretio sunt æstimabilia: patet, quia secus, peccaret in paupertatem Religiosus, associando amicum, illique officia & beneficia impetrando, honores pro se acceptando, pro alijs apud Principem intercedendo, & similia, quæ maximè sunt pretio æstimabilia: illa igitur dumtaxat paupertatis votum prohibet, quæ ita sunt pretio æstimabilia, ut æquivalent pecunijs, seu bonis temporalibus & externis, qualia sunt, quæ solent in convictu hominum ex se pretio comparari, & simul pertinent ad ipsa temporalia bona, seu clarius, quæ si excrescerent, constituerent hominem divitem, & non indigentem. Audi sanct. Bonaventuram: m paupertas est virtus temporalium abdicativa bonorum, qua quis nil proprium gerens, sustentatur de non suo; quem locum afferens Faustus, n definiendo votum paupertatis, sic concludit. Vnde paupertas (religiosa) nihil aliud significat, quam

quā parvam substantiam, five pecuniam, exiguum patrimonium, penuriam rerum, & modicas facultates. Idem docuit modo ipse Delugo nu. 1. allatus. Hoc supposito, clare videtur consequi, Sanchez sententiam esse absolute veram: esto enim, illa distributio pretio sit aestimabilis, non est ejus generis, quod tendit ad hominem ditandum, nisi forte fiat palliate, ut vere hoc medio ditescat Religiosus, quod vix in praxi contingit. Contingeret tamen, quando ijs pecunijs Religiosus aseret v. g. pauperem, quem pro suo seruo habeat, vel quid simile. At illa sola commoditas imbibita in ipsa distributione (placet enim homini, habere à se dependentes pauperes, vel Rectores Ecclesiarum, vel operum piorum Praefectos &c. ut in occasionibus ab ijs invicem Religiosus beneficia recipiat) illa, inquam, commoditas non est contra paupertatem.

in *S. Bonav. apud Faust. mox citandum* n. *Faustus in thes. relig. l. 8. qu. 22. vide eum, q. 28.*

6. Si pecunia distribuenda, modo dicto, à testatore relinquatur, cum debeat Religiosus tunc esse exequitor testamenti, an à sacris canonibus prohibeatur, quaestio est aliena ab hoc loco. Dic tamen breviter, non prohiberi ex licentia superioris; sine licentia prohiberi; & quantvis ex probabiliori opinione Sanchez *o* & Castropalati *p* contra Molinam, *q* valide Religiosus acceptet onus executoris testamenti, valideque ministret, tamen eum peccare mortaliter, si id faciat sine licentia, quia prohibitio hæc est de re gravi, docet Sanchez, *r* de quo

mox num. 8. licentiam autem hanc posse concedi à quolibet locali, nec necessario à Provinciali vel Generali, docent iidem; solum excipiunt Societatem nostram, quia ejus constitutiones hanc licentiam reservant Generali. Sed De Lugo *f* satis probabiliter concedit, posse, etiam in Societate, valide concedi à superioribus localibus; solumque contra regulam & constitutionem illam, quæ ad mortale non obligat, faceret superior localis, si cederet. Cum ergo nostri locales superiores habeant potestatem dispensandi in omnibus regulis, pari modo poterunt & in hac, quando id discreta prudentia diceret.

o Sanchez. l. c. in dec. c. 11. nu. 2. p. Castrop. t. 3. tr. 16. d. 4. p. 13. §. 1. nu. 8. q. Mol. t. 1. d. 247. r Sanchez. ib. nu. 18. f. De Lug. t. 2. de just. 14. de test. sec. 16. nu. 326.

7. Onus nominandi, seu eligendi pauperes, vel loca pia, quibus hæres testatoris, vel alij pecuniam deinde ex præscripto dicti testatoris distribuant, posse suscipi sine licentia, probabilissimè docet Castropalatus *t* contra Sanchez: *n* ratio est, quia nominare, seu eligere, non est exequi voluntatem testatoris, quod est Religiosis solum prohibitum, sed est quid antecedens ad executionem, quæ executio consistit in pecunie distributione. Confirmatur, quia dum Religiosus nominat ex sua libertate, suam facit voluntatem, non testatoris, ergo per illam solam nominationem, voluntatem testatoris non exequitur.

t Castrop. l. c. num. 12. n Sanchez. l. c. num. 34.

K k

8. Denique

8. Denique illud, quod sentit Sanchez, peccari mortaliter à Religioso, si is acceptet, exercentve sine licentia ejusmodi officium, sic tempero, ut effelicite non possit executor testamenti universalis in eo testamento, seu quacumque ultima voluntate, in qua multæ lites sunt protrahendæ, multa peragenda, quæ non congruunt Religioso (id quod tamen, an sit mortale, quando negotia non sunt graviter indigna Religioso, religionemque infamantia, nolo decernere.) at vero si gravis indignitas absit, ac negotia sint pauca, modicè scilicet avertentia Religiosum à cultu divino, ut v. g. si Misæ essent ad voluntatem testatoris, vel pecuniæ ad opera pia distribuendæ, persuadere mihi nequeo, peccatum mortale committi. Ratio est, primò, quia facile superioris tacitam licentiam in rebus his, præsertim pijs, adesse censendum est; quo pacto, ne venialis quidem culpa committetur: Secundo, quia tunc ejusmodi executio non valdè Religiosum abduceret ab applicatione ad divina; id quod intendunt in prædicta prohibitione sacre leges: tertio, quia video, sine scrupulo Religiosos ijs distributionibus pijs, vel parvæ occupationis intermisceri: unde apparet, in his sacros illos textus non esse usu receptos, vel jam esse abrogatos: quarto denique, quia hæc cum sit odiosa prohibitio, non est extendenda, sed restringenda ad executores universalem, ac propriè dictum executores, non vero ad eum, qui unam, vel alteram testatoris dispositionem executioni mandandam curat

De Religioso invitato ad convivium, & de acceptante res comestibiles à seculari.

9. Ex eo capite, quod paupertas negat Religioso usum independentem rei temporalis, qui fit in ipsius Religiosi commodum, colligit Delugo, x invitatum ad convivium posse, præsentem domino, etiam pretiosa quæque comedere, sine superioris licentia; quia tunc passivè potius se habet Religiosus, quàm active; nam tunc dominus consumit res illas comestibiles, per os Religiosi. Quare sicuti, si gemmam pretiosam in mare projiceret Religiosus, ita domino volente, vel si aromata pretiosa combureret, præsentem domino, ex ejus jussu, non peccaret contra paupertatem, quia nomine alieno projiceret, & combureret (esto, ipse Religiosus odorem sentiat ex aromatibus combustis, vel delectationem ex gemma projecta suscipiat) ita in casu convivij. Addit, non ita rem se habere, si res pretiosas, etiam comestibiles, secularis ad Religiosum mittat, ipseque acceptet, consumatque; nam peccabit, & acceptando & consumendo, quia in suum commodum consumit, activeque se habet, non passivè tantum, nec in commodum domini.

x *De Lugot, 1. de just. d. 2. sec. 2. à num. 51.*

10. Hæc doctrina, pace tanti viri, mihi animo nequaquam sedet: primò, quia conviva non se passivè solum

solum habet, & in commodum dumtaxat domini; se enim active etiam habet, (dum consumit) & in commodum suum: qua parte ergo in suum commodum agit, contra paupertatem peccabit: secundò, quia Religiosus, qui sine licentia acceptat res comestibiles pretio æstimabiles, peccat contra votum, (ut pro certo omnes supponimus) at quidnã est acceptare res has comestibiles, si non est illud, quo quis eas re ipsa comedit? Id certe esse tacitam, imò per ipsum factum expressam acceptationem, quis negabit? Tertio, discrimen latum est inter gemmæ illius projectionem, illorumve aromatum combustionem, & inter casum nostrum: nam illa fieri possunt, sine ulla acceptatione gemmæ, vel aromatum: at frui esculentis & poculentis, sine acceptatione, qua convivio quis accumbere, cibos sibi dividere, ad os applicare consentiat, humano more non potest: adde, convivam non uti his speculationibus, sed more humano comedit cibos appositos; at more humano tunc cibi acceptantur & comeduntur, non verò ut instrumentum alterius destruuntur, vide infra, cum de restitutione ex re accepta tract. 3. c. 3. §. 1. num. 8. Quarto, idem Delugo, & alibi, probans, comedentem notabilem ciborum quantitatem rei alienæ, committere furtum propriè dictum, & non damnificationem, quanvis eos cibos destruat, nec aliquid apud se illorum remaneat, assignat rationem, quia, inquit, humano modo illa videtur esse vera usurpatio rei alienæ, & applicatio ad proprium usum; sic ergo di-

cere possumus in casu nostro: humano modo illa comestio in convivio, videtur vera usurpatio rei applicata ad proprium usum; cur ergo non se habet tunc Religiosus, active, nec passive dumtaxat? quinto, etiam si secularis mittat ad Religiosum eas res comestibiles, posset Religiosus nomine alieno consumere, quamvis absente domino; sicut eodem absente, posset ejus gemmas projicere, sine peccato contra paupertatem. Vnde enim id repugnat? ergo non subsistit discrimen de domino præsentem, vel absente in comestione ciborum.

2 De Lugo t. 1. de just. d. 16. sec. 1. num. 5.

11. Satius ergo erit, in ejusmodi convivio recurrere ad parvitatem materiæ, ut excusetur quis à mortali, & quidem huc facit consideratio à nobis allata c. 1. num. 13. Ut autem ab omni culpa inanimis fiat, recurrat Religiosus ad tacitam licentiam, quæ in his comestibilibus facilius, quam in cæteris præsumi potest, quia earum acceptatio cedit in commodum monasterij, ut rectè notant Doctores. ¶¶ Vide, quæ dicam infra tr. 2. cap. 4. de quantitate furti Religiosorum, deque prædicta parvitate materiæ.

22 Sanch. l. 7. in Dec. c. 21. nu. 35. Faustus l. 8. thes. rel. qu. 182. Suar. t. 3. de Rel. l. 8. c. 11. n. 41.

CAPVT TERTIVM.

Quæ ratione acquiratur dominium?

1. **D**Vo regulariter à legibus & requiruntur ad acquirendum dominium

kk 2

dominium, titulus *b* & traditio. *c*
 Quid traditio sit, patet ex ipsa declara-
 tione vocis; at titulus est principium,
 basis, radix & veluti causa moralis, ex
 qua nascitur dominium; unde dicen-
 ti, se esse dominum alicujus rei, statim
 inquirimus, quo titulo? Duplex autem
 est titulus, verus, & præsumptus;
 verus est, v. g. emptio, legitima do-
 natio, hæreditas, legatum, &c. ut etiam
 in rebus incorporeis electio, collatio
 officij, &c. Præsumptus est,
 quando quis putans bona fide, vendi-
 torem v. g. vel donatorem esse verum
 dominum rei donatæ, vel venditæ,
 rem habet pro sibi donata vel vendi-
 ta, &c.

a Mol. t. 1. fr. 2. d. 4. Dicastil. l. 2.
de just. & jure tr. 1. d. 1. d. 9. b l.
 1. 2. 6. & 7. ff. de acq. dominio. c l.
Traditionibus. C. de pactis l. quoties de
rei mutatione.

2. Dixi primò, (regulariter duo re-
 quirantur) aliquando enim sufficit
 solus titulus: nam hæres v. g. & le-
 gatarius rei determinatæ acquirunt
 dominium bonorum defuncti, sola ac-
 ceptione hæreditatis, vel legati; ut etiam
 jus beneficij ecclesiastici acquiri-
 tur sola electione acceptata. Loca item
 pia, & civitates acquirunt dominium
 rerum donatarum vel venditarum
 ante rei traditionem seu possessionem
 & denique si princeps det feudum, ex-
 pticando, se velle transferre dominium
 ante possessionem feudatarij, sane
 transfert. Atque in his casibus debet
 consequenter dicere, hos acquirere sta-
 tim jus in re, nec solum jus ad rem.

3. Dixi secundò, (à legibus) nam
 jure naturæ non est necessaria ipsa tra-

ditio; est tamen rationi congruum,
 ut tunc transferatur seu acquiratur
 dominium rei, quando res, quæ erat
 in manu & possessione materiali uni-
 us, transit in manum alterius.

4. Adhuc inquire, quomodo ac-
 quiratur dominium, seu hujusmodi
 titulus & legitima possessio? Respon-
 deo, sane multis modis, variisque,
 juxta rerum exigentiam. Nam v. g.
 dominium hominum acquiratur per
 captivitatem ex bello justo, emptione,
 donatione, nativitate ex ancilla, quæ
 neque tempore conceptionis, neque
 tempore partus fuit libera. Animantia
 mansueta, ut & bona stabilia, vel
 mobilia, donatione, hæreditate, em-
 ptione, præscriptione, prima occupa-
 tione, aliisque similibus titulis. Ani-
 mantia fera, captione, vulneratione,
 qua fugere non possint, piscatione, a-
 liisque modis passim videndis apud
 Doctores; nos enim ex his ea, quæ
 pro praxi sunt necessaria, explicabi-
 mus inferius, cum de furto, & de re-
 stitutione. Hic solum de præscriptio-
 ne, tanquam in proprio loco nonnul-
 la tangemus.

d Mol. Dic. l. c. alijque Jurisperiti
 assim.

CAPVT QVARTVM.

De Præscriptione.

§. I.

*Communia de præscriptione summam
 afferuntur.*

PER legitimam præscriptionem
 acquiri in utroque foro rei do-
 minium,

minium, res est jam nunc omnibus certa; quia potuit princeps per legem ob bonum commune rem unius alteri applicare, ut fuisse Doctores. *a* Quare si ad antiquum dominum post legitimos annos præscriptionis, res casu revertatur, illam sine novo titulo is non posset sibi usurpare; usurpare enim alienum, quidquid in contrarium in iuramento fundamento dixerit Valer. *b*

a Doctores mox citandi, quibus adde Tolosanum, Abbatem, Fachinaum, aliosque apud Dicast. mox citandum, & Molinam d. 61. à n. 6. *b* Valer. in differentia utriusque for. V. præscriptio diff. 6. sine.

2. Præscriptio ergo est et acquisitio dominij, vel alieni juris preemptio, per continuationem temporis lege definiti. Ex qua definitione colligis, quatuor requiri ad legitimam præscriptionem, possessionem, bonam fidem, (mala enim ex jure Canonico, cui semper standum, nunquam præscribit) titulum præsumptum, tempus, de quibus passim scribentes. Solum, quoad tempus, aliquid est pro Tyronibus explicatius addendum.

c l. Mol. tr. 2. d. 60. Less. l. 2. c. 6. Dic. l. 2. de just. tr. 2. d. 1. d. 12. Castrop. de just. in gener. d. unica à p. 12.

Tempus pro rebus temporalibus.

3. Ad res mobiles præscribendas, siue privatorum hominum, *d* siue Ecclesiæ, etiam Romanæ, *e* si adsit titulus, sufficit triennium; si non adsit, nihil est in jure constitutum: pu-

tamus *f* tamen, tum contra privatum, tum contra Ecclesiam, triginta annos requiri.

d l. un. C. de usuc. transf. & Instit. de usucap. §. 1. *e* Mol. l. c. dec. 68. *f* Mol. ibid. Less. l. c. nu. 22.

Cum enim hoc in jure decretum non sit, erit id statuendum ad normam justæ præscriptionis immobilium, ad quam deponuntur, ut dicemus, triginta, vel quadraginta anni.

4. Res autem immobiles, inter quas numerantur servitutes reales, ut adversus privatos cum titulo præscribas, decem anni inter præsentem, satis superque *g* sunt; duplicati, id est, viginti inter absentes (præsentem dicuntur, qui in eodem territorio, licet non in eadem civitate; absentes, qui in diverso territorio, commorantur *h*) at verò, sine titulo, triginta omnino requiruntur. *i* Hinc si quis sit præsentem septem annis v. g. & postea egrediatur territorium, alibi habitaturus, opus sunt alij sex anni, & non solum tres, ut contra illum præscribatur, quia anni, qui deerant in præsentem, duplicari in absentem debent; quare cum in casu posito desint tres anni præsentem, requirentur in absentem sex.

g l. mala fidei. C. de præscr. longi temp. decem, vel viginti annorum. *h* Instit. de usucap. §. 1. l. cum longi. C. de præscr. 10. vel 20. annorum. *i* c. de quarta. de præscr. & comm.

5. Dixi (adversus privatos) siquidem, ut easdem res immobiles adversus Romanam Ecclesiam præscribas, annos centum eluxisse necesse *l* est.

1 c. si diligenti. c. cum vobis. cap. ad
audien. de præscript.

6. Idem adversus civitates, idem
adversus principem, in bonis corona-
m qualia sunt oppida, Regna, & simi-
lia; nam in cæteris bonis perindè se
habet princeps, atque privatus n qui-
libet. Contra alias Ecclesias, Mona-
steria, loca pia, sufficit quadraginta
annorum intervallum, nisi ex privi-
legio p concessum sit, annos esse sexa-
ginta computandos.

m facit l. ut inter. de præscript.
C. de sacrosanctis Eccl. juncto Mol.
l. c. d. 74. §. Quarta conclusio. n ibi-
dem. o c. illud. c. quia. de præscr. p in
Comp. Privil. Soc. Jesu. V. præscriptio. &
alibi.

7. Denique adverte primò, contra
pupillum, quamdiu est in ætate pu-
pillari, numquam aliquid, sive mo-
bile, q sive immobile præscribi; con-
tra minores vero, id est, non attingen-
tes 25. annum expletum, semper
requiri annos triginta, r secundò, ob
libertatis favorem, nullo eam tempo-
re præscribi. s tertio, contra vacan-
tem Ecclesiam, cum legitimus tunc
desit defensor, præscriptionem non
surrere; unde illud viduatæ sedis tem-
pus, erit de præscriptionis spatio sub-
elucendum. t

q l. sicut in rem. C. de præscript. 3.
annorum, r l. ultima, C. in quibus caus.
in integrum restitutio necessaria non est.
s l. si. C. de longi temp. præscript. qua
pro libertate. t c. de quarta. de præscr. &
Gloss. ib.

Tempus pro legibus &c.

8. Adversus legem, vel legitimam

consuetudinem requiritur præscriptio
decem annorum, ità, ut si per decem
annos, illæ per defuetudinem non ser-
vatæ fuerint, in posterum non n ob-
ligent. Ratio est, quia leges, cum sine
perpetuæ, æquiparantur bonis stabili-
bus, modo notes quatuor.

u l. Castr. t. 1. tr. 3. d. 3. p. 2. §. 2.

9. Primò, id intelligendum tum de
legibus civilibus, tum ecclesiasticis;
quia cum lex sit lata in bonum subdi-
torum, & non in bonum personæ par-
ticularis, principis, vel Pontificis, ea
se habet, ut bonum peculiare, ad quod
præscribendum satis est decennium.

10. Secundò, nunquam necessa-
rium esse decursum annorum viginti,
ut pro rebus temporalibus requiritur
inter absentes, quia & lex, & subditi
semper sunt præsentis.

11. Tertio, sive prædictæ leges non
fuerint observatæ bona fide, sive mala,
eas semper præscribi a per dictum
tempus. Ratio est, quia secus, vix
umquam lex præscriberetur; nam
cum mala fide numquam currit præ-
scriptio, & ex alia parte sæpissimè lé-
ges mala fide non observantur. Acce-
dit, quod cum lex præscriptionis sit la-
ta propter bonum subditorum, meri-
tò ipso usu communiter receptum est,
ut præscriptio quidem rerum tempo-
ralium non currat ex mala fide, quia
sic subditi privarentur re sua, ex mali-
tia alterius; præscriptio autem legis
currat etiã cum mala, quia si per
longum tempus non fuit lex observa-
ta, præsumendus est benignus legisla-
tor nolle laqueos injicere subditis, &
eos cogere ad illam observandam.

2. Cal.

^a Castrop. & Suarez. contra Less. a-
pud De Lugo. lib. n. 90.

12. Quarto, nos hic non loqui de lege numquam observata; hæc enim ipso initio non obligat, quia nondum est acceptata, quam acceptationem esse necessariam ad quacumque legem civilem, docetur communiter, & probabiliter multi docent, ad Ecclesiasticam. An vero primi, qui non acceptant legem, peccent, & similia, vide apud Castrop. t. 1. tr. 3. d. 1. p. 13. Rursus nec loqui de lege, quæ non observatur, cum tacita, vel expressa voluntate Principis, ut cum ipse scit, & urgere observationem non curat, tunc enim lex non obligat, ^b quia Princeps tacite censetur eam revocare: id quod intra paucos annos fit, imo menses vel dies, quando scilicet prudenter præsumitur dictus tacitus consensus Regis, vel eorum, ad quos pertinet, v. g. Proregis, supremorum Officialium &c. loquimur igitur de vera præscriptione, quæ est sine consensu ejus legislatoris, contra quem currit.

^b Castrop. t. 1. tr. 3. d. 1. p. 13. nu.
10.

13. De præscriptione, quoad beneficia triennali spatio possessa, quoad jus patronatus, quoad actiones, debita, & pleraque alia huc pertinentia, vide fuse apud Doctores: ^c & De Lugo ^d quidem disputat item de tempore, quo præscribuntur delicta ad effectum, ut delinquens non possit amplius accusari; sive quoad actionem civilem, qua damnum passus recuperet suum; sive quoad poenam statutam à lege, ad quam quis damnari debeat: quem locum satis fit innuisse.

Atque hæc, quæ sunt omnibus obvia, compendio dixisse sufficiat.

^c Cov. Reg. Possessor. p. 2. §. 10. nu. 9.
Mol. d. 70. De Lugo t. 1. de just. d. 7. sec.
^d Dicast. l. 2. de just. tr. 1. d. 1. §. 12.
à nu. 249.

§. II.

Selecta de præscriptione.

*An jure præscriptionis in foro conscientie
quis gaudeat in Regno Siciliae?*

Titius Panormi pingue latifundium possedit duodecim annos, cum titulo & bona fide: nunc sine ulla hæsitacione, pro certo nescit, ejusmodi prædium ad Cajum concivem pertinere: quaritur, an Titius prædium restituere ex se debeat Cajo, quandoquidem hic rei nescius, prædium illud, neque in judicio, nec extra judicium repetit?

2. Si ejusmodi quæstio verteretur in locis, ubi servatur jus commune, quoad præscriptionem, nimis esset exploratum, Titio nullam esse restituendi obligationem imponendam, quia, ut modo ^a diximus, inter presentes ad præscribenda stabilia, sufficit, etiam in conscientia, possessio bonæ fidei decem annorum: verum quia in Regno Siciliae jus hoc præscriptionis non admittitur in Regia Curia; quare si prædictus Titius in judicium vocaretur à Cajo, cogeret per judices, ipsi reddere prædium, ideo molesta est difficultas, an etiam in foro interno cogendus sit, in præsentis casu, Titius ex se Cajo prædium restituere?

^a modo §. 1. n. 4.

3. Vo-

3. Volui cum doctissimis hujus urbis Theologis ac Iurisperitis hanc difficultatem communicare; & Iurisconsulti quidem assueti à judicijs præscriptionem expellere, condemnabant Titium; Theologi verò subdubitare videbantur, & tandem me nonnulli exorant, ut quæstionem hanc à nemine adhuc excussam, ego agitarem; nam Iurisperiti Regni nostri, qui passim varias decisiones de præscriptione typis evulgarunt, solum loquuntur in foro judiciali, quod ad ipsos pertinet, & nostrates Theologi, quibus id discernere incubisset, nondum ad eam quæstionem decidendam, animum adjecerunt.

4. Duplex hac in re sententia esse potest. Prima obligans Titium, & similes ad restitutionem: ratio potissima hæc esse potest. Ideo rem suam in conscientia facit sine onere restitutionis, qui legitime præscripsit, quia justa lex præscriptionis ei tale jus tribuit, ut supra §. 1. nu. 1. vidimus: at in hoc Regno lex præscriptionis est legitime abrogata, ergo &c.

5. Minor, in qua vis est argumenti, probari potest primò, quia Martinus Rex, qui in Sicilia regnavit, ex proemio præfixo ad Constitutiones Martini, ab anno 1386. abrogant c. 57. de præscript. legem præscriptionis. Quapropter sicut in jure communi legitima est, etiam in foro conscientia, præscriptionis lex, quia eam legitime Imperator tulit, ita in jure municipali hujus Regni, ideo legitima ea nequaquam erit, etiam in conscientia, quia legitime à suo Rege fuit abrogata.

6. Secundò, quia in pragmaticis & hujus ejusdem Regni, dicitur, ut *judices judicent solum, facti veritate inspecta*. Ex qua pragmatica fit, ut ij non debeant respicere, nisi factum causæ; non ergo habere possunt rationem præscriptionis, quæ fundatur in jure; sicut ergo iudicibus ad præscriptionis legem respicere in judicando non licet, ita neque colligantibus; Relatorum enim eadem est ratio; si autem hi præscriptionis rationem non respiciant, quia ratione illa stui in conscientia possunt?

b Pragm. 17. titulo de Offic. Iud. M. R. C. in remiss. t. 1.

7. Tertio, quia etiã si nulla per prædictas municipales leges inducta esset abrogatio juris præscriptionis, consuetudo tamen tam diuturna, per quam multis ab hinc annis in Sicilia à tribunalibus jus præscriptionis expulsum est, ita ut ridendus ille esset, qui in judicijs pro cliente vellet beneficium præscriptionis opponere, consuetudo, inquam, tam diuturna, quæ ex omnium sententia, legis vim habet, satis superque in hoc Regno jus præscriptionis abrogavit: lege autem, quæ sit abrogata, nemo, ut ex se patet, uti potest in conscientia. De hac consuetudine sic testatur D. Io. Franciscus de Castillo hujus Regni jurisconsultissimus: *Hodie c. (scripsit autem 1622.) præscriptiones non admittuntur in Regno, & præcipue in magna curia, quæ uti mater veritatis & æquitatis, semper odit præscriptiones, etiam perpetuas, seu longissimi temporis. Sic item Antoninus de Amato ex Siculis Iurisperitis nemini secundus: d. quamvis per*

vis per lapsum triginta annorum (ait) quod legitimum tempus præscribendi de jure est, jus istud petendi usuras remissum esse, omnes firment; tamen in Regno difficillimè locum obtinere posse existimo; nos enim odio habemus præscriptionem, nisi longissimi temporis, aut centenariam, vel inmemorabilem, cum existimetur præscriptio iniquissimum præsidium, maximè in magna Regia Curia, quæ sola facti veritate inspecta procedit, eamque matrem æquitatis appellamus. Hæc Amatus, qui scripsit anno 1627. Id quod signate aduerto, quia Castillo, ante quinque annos scriptis, ne perpetuas quidem & longissimi temporis præscriptiones admitti, modo asservit, cum Amatus asserat, has admitti.

c. Castill. c. 2. decis. 94. n. 71. citans Ursill. ad Afflict. dec. 13. & Paris. cons. 101. vol. 1. d. Anton. de Amato res. 43. num. 21.

8. Secunda sententia docet, Titium non obligari in conscientia ad restituendum prædium, sed posse uti in foro interno, beneficio præscriptionis. Fundamentum potissimum esse debet, quia in foro conscientie, saltem ante judicis sententiam, adhuc viget in hoc Regno lex justa de præscriptione à jure communi inducta; id quod probatur, discurrendo per illa tria capita, quibus prima sententia contendit, in Sicilia abrogatam prorsus esse præscriptionis legem. Cum enim aliud caput assignari nequeat, si ab aliquo ex illis abrogata non est, adhuc illa in hoc Regno, saltem ante sententiam, ut mox declarabimus, immota persistet,

9. Primò igitur à Martino Rege Sicilia abrogata non est lex præscriptionis. Ecce verba Martini d. Regis ex idiomate Siculo in latinum sincera fide conversa.

d. Martinus Rex Const. 57. de præscriptione.

Continua &c. Quoniam subditi nostri Siculi litibus per sæpe, etiam quæstionibus antiquis vexantur, à quibus nonnulli se tueri ideo nequeunt, quia ob bellorum turbines, privilegia, documenta, scripturas, ac testes amiserunt &c. ideo præsentis constitutione præcipimus, ut omnis præscriptio tempore triginta annorum finiat &c. ita ut omne jus, & omnis actio cuiuscumque causæ, ob quæ, triginta annis intra, nulla fuerit lis contestata, vel legitima protestatio exhibita, edito præsentis constitutionis, prorsus submoveatur, & nulla ex prædictis causis triginta annis ultra, in ullo iudicio audiatur. Aliæ tamen præscriptiones decem annorum, & annorum viginti in suo robore, juxta dispositionem juris communis firmæ remaneant. Hæc Martinus Rex.

10. Ex his oppositum colligo ab eo, quod prima sententia supponebat: Primò enim in his postremis verbis (aliæ tamen præscriptiones decem annorum &c. remaneant) clarè apparet, nihil in hoc innovari de jure communi: secundò, per illa verba (triginta annis ultra) adjuncto illo proemio (litibus vexantur &c.) nihil aliud velle Martinum Regem video, nisi prohibere Siculis, ne exposcant à concivibus titulos de rebus ab ipsis posses-

L 1

fisante.

sis ante annos triginta; non ergo per hoc tollitur præscriptio, imo ampliat, ut si quando per jus commune in aliquibus rebus requirebatur possessio quadraginta annorum, vel amplius, jam per hanc Martini legem sufficiant triginta; id quod in beneficium subditorum præcepit Rex, ne tunc iurgerentur ostendere titulos, propter bellicorum tumultus fortè deperditos. Dico (tunc) nam hodie vix locum habet hoc beneficium, cum nemo jam nunc cogatur ostendere titulum suæ possessionis habitæ tempore illo eorum tumultuum, pro quo tempore disponere dumtaxat videtur Martinus. Tertio perpendantur, imo solum legantur ea verba, quibus veluti concluditur mens hujus legislatoris (nulla ex prædictis causis, triginta annis ultra, in ullo judicio audiatur) quid clarius?

11. Secundò, Pragmatica Regni beneficium præscriptionis nequaquam ademit. Ecce ejus verba ex Hispano in Latinum fideliter translata. Considerantes 5. enasci solere in nostro Sicilia Regno non modicas differentias, ac lites, ob quemdam modum, qui de ritu magnæ Regiæ Curiæ servatur procedendi summarie, vel ordinariè in aliquibus causis, quæ ob id in longum extenduntur, ac pænè reelduntur immortales, cum maximis expensis & partium damno; ac volentes earum indemnitati consulere, tenore præsentium præcipimus, ut in posterum in omnibus causis tam civilibus, quam criminalibus procedatur summarie, & de plano, sine strepitu & figura judicij, sed solum veritate facti inspe-

cta &c. & paulò post: declarantes, nequaquam per hanc præsentem dispositionem aliquid derogari debere dispositioni juris, circa probationes necessarias, vel circa appellationes &c.

e Pragm. 17. in noviss. t. 1. de offic. Ind. M. R. E.

12. Deus immortalis! & est, qui ex hac dispositione colligat, præscriptionum legitima jura esse sublata? Primò, lex hæc solum intendit expeditionem causarum, non ergo derogationem juris tam certi, quale est jus præscriptionis. Secundò, solum intendit prolixas, easque inutiles lites atque expensas rescare: at, qui utitur jure præscriptionis, à sanctis legibus tam prudenter instituto, nullo modo lites inutiles ac superfluas expensas intrudit. Tertio, ei, qui putat, sibi injustitiam fieri, datur jus appellandi; signum, quod neque alia jura eidem adimantur. Quarto, hæc Pragmatica tota est in statuendo modum procedendi summarie, ut vel cæcis patet: at jus præscriptionis non obstat summario procedendi modo, & statim sine strepitu, & de plano ejusmodi jus proponi & excipi potest: cur ergo ab hac Pragmatica illud abrogari dicendum erit? Quintò, signatè legislator advertit, ex eo, quod causæ summarie agitanda sint, non fieri, ut ea jura & modi procedendi, quæ necessario imbibuntur in causis, & necessaria sunt ad probationes firmandas, prætermittantur, quare solum alia juris solemnitates, & terminorum protensiones, velati extrinsecæ, & quæ necessariæ ad jus

ius partium indagandum non sunt, jubentur prætermitti. Non ergo jus præscriptionis, quod maxime necessarium est ad jura partium cognoscenda. Sextò, quando dicitur in Pragmatica, *facti solum veritate inspecta*, non removetur præscriptio, sed potius advocatur; nam, me possedisse rem tot annos, factum est, non jus, esto, deinde fit necessario connexum huic facto illud jus præscriptionis, quod ad tale factum consequitur. Quapropter inspectio sola facti non excludit inspectionem juris, quod est necessarium ad decidendum de tali facto; secus, temerè, & sine ratione deberet iudex decidere, quod asserere, esset nimis ridiculum; sed solum excludit solemnitates illas, terminos prolixos & longos, easque non necessarias discussiones, ut dictum est; nec omisit id advertere prudens legislator, ibi: Nequaquam aliquid derogari debere circa probationes necessarias.

13. Tertio. Contraria consuetudo legem præscriptionis in Sicilia, saltem ante sententiam iudicis, non abrogavit. In præsentì dicto aliquanto diutius est nobis immorandum, quia argumentum ductum à prædicta consuetudine videtur magis apparens contra Siculas præscriptiones.

Et quidem duæ sunt consuetudines in re hac nostra per diligentem distinguendæ. Altera est, quam fortè potuisset introducere populus Siciliae, per quam noluisse servare leges præscriptionis à jure communi statutas. Altera est, quam introducere potuissent Iudices & tribunalia, per quam no-

luisse iudicare secundum prædictas leges præscriptionis, & ad id moveri potuissent ex eo, quod præsumerent, in Siculis non raro possessionem incerpisse mala fide, quo pacto nulla præscriptio est legitima, ut §. 1. dictum est. potuerunt ergo repellere exceptionem præscriptionis, ob hanc præsumptionem malæ fidei, sed deinde processu temporis fuit absolutè & simpliciter introductus stylus, omnem præscriptionem, etiam bonæ fidei, repellendi. His positis;

14. Dico primò, probabile est, imò mihi certum, nunquam populos Siculos introduxisse consuetudinem, contra præscriptionis beneficium sibi concessum à jure communi, ita ut illi uti nunc non possint ante sententiam; quare ante hanc licitè illa uti poterunt, perinde, ac ceteri jure communi fruentes, & consequenter Titium nunc à allatum, non obligari ad ipsius prædij restitutionem.

Probatum primò. Ad consuetudinem introducendam contra aliquam legem, qua contraria consuetudines, lex abrogetur, duo inter cætera concurrere debent; primò, ut actus abrogativi legis sint voluntarij ipsi, qui introducere debent dictam abrogantem consuetudinem; secundo, ut sint ex intentione introducendi novam consuetudinem obligantem; jam expendamus utramque præ nostra proposita probatione.

15. De priore sic habet Castropalanus: *f. ad stabiliendam consuetudinem requiruntur actus voluntarij his, qui consuetudinem introdu-*

L. 1. a.

cara:

ere debent, quia ex eorum consensu libero debet introduci, aliàs vim legis habere non poterit; & ita docet cum communi Suarez, Salas, Bonac. Hæc Castropal. Addit Suarez, g si per vim aut metum gravem obligetur populus, actionem aliquam præstare, & in ea longo tempore persistere, nunquam censendus est præstare consensum sufficientem consuetudini introducendæ, quia præsumi non potest velle stabilire jus, actibus ita sibi repugnantibus; idem dic, si illi actus sint ex ignorantia, vel errore circa substantiam consuetudinis, quia nihil magis voluntati contrarium, quàm ignorantia & error: hætenus ex Suariorum alios referente.

f. Castrop. t. 1. tr. 3. d. 3. p. 2. q. 3. nu. 11. l. etiam multos DD. c. a Dian. p. 6. t. 5. ref. pres. 9. g. Suar. l. 7. de legib. c. 12. si. c. 18. n. 8.

16. Iam subsumo: Siculi populi, qui introducere debuerunt consuetudinem contra beneficium præscriptionis, nunquam exhibere ante sententiam, de quo loquimur, actus contrarios ejusmodi beneficio; ergo &c. Antecedens mihi sit admodum probabile, quia nunquam audivimus, aliquem Siculum ante sententiam restituisse rem à se per legitimam præscriptionem juris communis traditam, sed semper post sententiam; quod autem iudices per longam consuetudinem judicare soleant contra præscriptionem, nihil obstat communitati; iudices enim condere leges sine communitatis consensu non possunt. Audi Castrop. *h* Ex his constat, decisiones Rotæ, & declarationes Cardinalium

& sententias Cancellariæ, & Regiæ natus, non esse necessario habendas pro lege, quia non procedunt à iudicibus habentibus authoritatem legis constituendæ; & ita tradit Suar, Sanc, Sal.

h. Castrop. ib. nu. 7. vide etiam Pag. t. 2. in Dec. l. 8. c. 10. n. 9. loquentem de Stylo Curie Romane.

17. Verum, age, demus, Siculos non fuisse usos beneficio præscriptionis; certè vel propter metum iudicum, vel propter ignorantiam, qua putabant, ea uti non posse, id evenisse præsumendum est; & consequenter, non affuisse sufficientem consensum ad consuetudinem firmandam. Quid enim facerent, dum videbant explodi à tribunali illos, qui jus præscriptionis opponerent? fateor, potuisse post sententiam voluntariè acquiescere, ut mox explicabo clarius. Sed ante sententiam, ut hic loquimur, probabilissimum est, nunquam acquiescisse, quia nunquam, nisi in vitis, juri sibi acquisito renuntiare quis præsumitur.

18. De posteriore conditione sic habet idem Castrop. *i* Actus, quibus introducitur consuetudo, debent esse ex intentione introducendi consuetudinem; nam absque hac intentione, authoritatem & efficaciam habere consuetudo non potest: & paulo post; consuetudo, quæ legem abrogare debet, vel novam statuere, necessariò procedere debet ex speciali intentione abrogandi legem, & ex speciali intentione statuendi novam, quæ alia via statui non potest, nisi procedat ex intentione se obligandi ad illius observationem.

nionem, quia juxta intentionem populi talis est consuetudo; & in his ferè omnes Doctores conveniunt, ut videre est in Suar. Salas, Bonac., Vasquez, Sà, Azor, alijs. Hæc Castropal.

i Castrop. ib. nu. 12. leg. item mult. apud Dian. p. 6. tr. 5. ref. 10.

19. Iam subsume; nunquam probari potest, communitatem hujus Regni habuisse intentionem abrogandi legem præscriptionis, imo contrarium probari potest; tum quia nemo unquam scitur, res modo dicto præscriptas restituisse ante sententiam, tum quia eos voluisse tantum beneficium præscriptionis à se remove, nisi lucelarius ostendatur, præsumi nullo modo, ut modo dictum est, debet.

20. Nec desunt aliæ conjecturæ; quarum enim solet, qua ratione dignoscitur, esse ex intentione inducendi obligationem? & respondet Suar. l. id dignosci posse ex quatuor conjecturis. Prima conjectura, si consuetudo sit rei gravis & difficilis, & tamen communiter servetur à populo, quia non solet populus in his actibus uniformiter convenire, nisi se sentiat in conscientia obligatum. Hæc Suar. At in casu nostro, semper se populus difformiter habuit, quia semper, quantum potuit, restitit iudicibus, opponendo suam præscriptionem, licet deinde repelleretur; imo aliquando fuit admittus, ut ex testimonio, quod ponam infra, nu. 23. patebit.

i Suar. l. 7. de legibus c. 15. num. 13. fin.

Coconfirmatur ex Sylvestro, verbo

Inventum, num. 13. qui de thesauro sic loquitur; secundum Petrum de Palude, hodie ubicumque inveniatur thesaurus, de consuetudine est principis; sed ego dico, hanc consuetudinem in conscientia non ligare, quia non est introducta per modum legis, sed violentiæ, nec fuit unquam moribus utentium approbata, nisi violenter; est etiam contra jura Canonica, quæ volunt, bona incerta, si restituenda sunt, esse pauperum; & si non sunt restituenda, est contra jura civilia, ut patet Instit. de rer. divis. §. Thesauros, ubi dicitur, quod divus Adrianus naturalem æquitatem secutus &c. contra quam æquitatem consuetudo non potest. Hæc Sylvester, quæ facillimè quisque ad rem nostram applicabit.

Secunda conjectura; si viri timorati malè sentiant de his, qui non servant consuetudinem, vel communiter populus scandalizetur.

Hæc ex Suar. At quis unquam male sensit, vel est scandalum passus ex eo, quod quis in Sicilia, ante sententiam, præscriptionis beneficium consequi voluerit? id quod adeo verum est, ut antequam aliqui doctiores scrupulum hunc, dimittendi ante sententiam rem per præscriptionem possessam, injecerint, ne in mentem quidem venerit alicui, debere ante sententiam dimitti; quod ex eo colligi potest, quia nemo ex nostris scribentibus, sive Theologis, sive jurisperitis, hujus scrupuli vel obligationis meminit; solum Iurisperiti stylum externum magnæ Regiæ Curiaæ hac in re inculcaverunt, & nil præterea.

L 1 3

Tertia

Tertia conjectura, Si Pralati & Superiores puniant violantes consuetudinem. Ita Suar. at quis unquam fuit punitus ex eo, quod fuerit usus prescriptione?

Quarta conjectura, Si materia consuetudinis, & illius obligatio multum conferat Reip. Haecenus Suar. At abrogatio prescriptionis non solum non confert, ne quis possit opponere, se possedisse bona fide; cum possederit mala; obest tamen viris probis, qui verè bonam fidem habent, si repellantur. Et profecto majus bonum Reip. est, favere his bonis, quàm propter illos paucos fraudulentos, damnum in facultatibus probos pati, praesertim quia fraudibus jam satis provideri potest per providentiam judicum &c.

21. Denique communis est doctrina, apud eundem Suarez, *m* & Bonacinam, *n* in dubio semper praesumendum esse, consuetudinem non ex obligatione introductam; tum quia ea, quae sunt facti, & non juris, non praesumuntur, & lex non praesumitur, nisi probetur; tum quia nemo praesumitur, sibi velle onus & obligationem imponere, nisi id manifestè constet; quamvis ergo demus, nos versari in dubio, semper habebimus, non adesse contra Siculos ejusmodi obligantem consuetudinem &c.

m Suar. l. c. c. 15. nu. 13. *n* Bon. *disp. 1. de leg. q. 1. ult. §. 3 n. 21.*

22. Dico jam secundò, non esse improbabile, fuisse introductam illam secundam consuetudinem, num. 13. explicatam, per quam scilicet in Sicilia post sententiam judicum, non habea-

tur amplius recursus ad prescriptionem, & consequenter non peccare iudices sic judicando, nec rem, quam per ejusmodi sententiam quis sibi vendicat, esse restituendam, ratio est, quia non facile damnandus est mos tam antiquus in magna Regia Curia observatus à tot sapientibus viris, & timoratis iudicibus; unde quia iudices & Advocati, ut modo diximus, non possunt leges, nec consuetudines legitimae contra communitatem facere, ideo judicari probabiliter potest, ad hanc secundam consuetudinem consensisse populos Siculos; id quod conjici potest, quia post sententiam, nemo solitus est uti prescriptione, quare videri probabiliter potest, propter communem pacem, ad id consensisse non in vitam Siculam communitatem, Adde consensum Principis, qui in Sicilia, saltem tacitè, approbavit ejusmodi sententias, & fortasse etiam non rarè repulit eos, qui contra illas appellaverunt. Cum ergo Princeps possit statuere leges, videtur pro lege hanc consuetudinem statuisse. Id quod confirmat praecedentem conclusionem; nam nunquam idem Princeps coegit, ante sententiam populos Siculos ad dimittenda legitime praescripta; quare id nunquam, ne implicite quidem, approbasse censendus est.

23. Quoniam vero fateor, probabilitatem de hac secunda consuetudine esse valde tenuem, cum mihi persuadeam, Aylum Tribunalium magnae Regiae Curiae fundari in praesumptione, qua supponunt, possidentem mala fide possessionem incepisse; ideo rogare.

garem Iudices nostrates, sapientissimos æque ac religiosissimos, ut nisi malam fidem inveniatur, beneficium præscriptionis ne denegent litiganti. Et sicuti multis ab hinc annis, neque immemorabilis temporis, neque centenaria præscriptio in Siculis Tribunalibus admittēbatur, & nihilominus deinde, ut colligitur ex dictis ab Amato allatis nu. 7. re melius expensa, in iisdem capit admitti: ita in posterum admittantur & aliæ, ut consequenter tota lex præscriptionis per jus commune sanctè introduc̃ta, postliminio ad patriam tandem aliquando revertatur: atque huic meo desiderio, etiam nostros Iurisperitos, & Regios officiales video permaximè favere; sic enim habet D. Marius o Curtell. Jurisconsultus admodum celebris, muneribus magnæ hujus Regiæ Curix, ac libris editis toto orbe clarus; præscriptionis materiam (inquit) non tantum eliminatam, verum abolitam primis mei Patrocinij annis inveni, omnesque more vulgi solitos adducere Intrigiosum, *Decis. 28. n. 19.* affirmantem, nullam de præscriptione rationem haberi in Tribunali magnæ Regiæ Curix; & paulo post: omnibus ergo viribus suscepi Provinciæ Advocati, judicisque munere dum fungerer, ne indistinctè omnes, sed illæ tantum, quæ jure reprobarentur, præscriptiones rejici deberent, legitimis admisis. Et primò obtinui in immemorabilibus adversus census impositos, id est, Bullares: postmodum id ipsum tentavi, & obtinui in

jurisdictionibus, & non minori de-
mum gaudio, etiam in corporibus & legitimis, vidi per probos Iudices admitti: præcipuè contra D. Henricum Turtureti; cumque negotium facesseret Capitulum, vel lex sub Martino Rege condita, quæ est 57. illam non obstare, pluribus probavi; putò etiam non infeliciter, ut totis viribus præscriptioni in extremis laboranti operam ferrem, juxta quæ sæpius ego decidi,

o Curtell. t. 2. de donat. tr. 2. div. 1. speciale 39. nu. 1.

24. Hæc D. Marius, cui cum per P. Franciscum Bardi nostræ Societatis utriusque Theologiæ peritissimum, ac eidem D. Mario per familiarem hanc à me scriptam quæstionem misissem, simulque petissem, ut ubi id ipse probaverit, ostenderet, remisit peramanter ad me sequentem responsionem, quam hic honoris causa interferendam duxi.

Admodum Reverende Domine, & merito Magister.

25. Vidi disceptationem de præscriptione, suo jure disertissimam, eo publico hujus Regni bono excogitatam, ne conscientia vacillent, & bona omnia, quasi errantia sidera, aliquando subsistant: quæris à me non tantum quid sentiam, & probem; nam in scripta, quæ tua gratia laudas, incidi: verum etiam pro jure, quæve ratione illa scripserim, & quo sententiam ablegarim. Rogo, parcas; nam infirmus ex tempore respondeo.

26. Non est contendendum hoc in Regno, ubi Constitutio Principis no-

pis nominata deficiat, jus commune Romanum esse servandum, sub moderatione à jure Canonico in rebus pertinentibus ad conscientiam allata, puta super matrimonijs, Beneficijs Ecclesiasticis, usuris, jura fœnerandi &c. Nam licet subdamur Imperio, primo tamen legi Ecclesiasticæ parendum; hinc fit, ut præscriptio, quæ juris civilis munimen dumtaxat habeat, à nobis conscientiæ religione repulsa sit, *ex c. vigilant. &c. fin. de præscript.* quorum prior constitutio fuit Alexandri III. posterior Innocentij III. in priori, quadragenalis ab Ephesina Synodo statuta, si mala fides adsit, expellitur: in posteriori, contra primum præscribentem statuitur, nè possit in aliqua temporis parte præscribere, alienam si rem esse cognoscat. Non hic de centenaria, non de immemorabili sermo: nam prior, cum secundæ cedat, reservatur in *c. ad audientiam, 13. eodem titulo, &c.* de immemorabili sunt plures Canones, & plura, quæ attuli in *Controvers. general. de immunitate l. 2. q. 4. per totam, & nu. 19.* ibique alia in eandem rem addidi, tua censura digna.

27. Succedit inter hæc lex provincialis prioris Martini Regis, quæ apertissimè præscriptionem triginta annorum pro finali præjudicio inducit, quam ita receperunt patres nostri, ut solum contra præsentem & desidem vi in haberet, non in absentes à Regno, ut refert acceptum Carretius in causa Ciminnæ, quam luci reddidi in *2. decis. lib. decis. 20. fol. 171. num. 39.*

Ideo autem Martinus posuit turbidum causam & titulos deperditos, ut ex hac occasione bonam fidem induceret, ut Canonice legi non obistere videretur, & sua constitutio valeret. Neminem verò ex senioribus, cum aliquos legerim, vidi firmantem, huic legi per consuetudinem fuisse derogatum.

28. Quod vero audeant pauci hujus sæculi Authores, ex suo arbitrio non solum illam nostram explodere, verum & immemorabilem, divino etiam firmatam p̄ eloquio *Iud. c. 11. & Sanctorum Patrum unanimi consensu* cum nec sententias, nec præjudicia proferant, ipsi videant, perlege, si placet, tradita, dicta q. 4. & seq.

p̄. Intellige, quia in tam longinquo tempore præsumitur titulus, & bona fides, nam mala fides numquam præscribit.

29. Non ignoro, caudicos repulsam aliquando merito tulisse, qui nondam præscriptionem veris titulis objecerunt, quasi temporis beneficium id juris tribuat, ut actor expellatur; Martinus verò Rex, contra, temporis amissionem scripturarum, titulorum & eorum, in quibus exceptio possidentis fundatur, adjungit; & hoc pacto exceptio fundanda in legitimo titulo deperdito, & amisso, ex illo tempore in diem continue possessionis pacificæ, per triginta annos; sicut in immemorabili, allegatur titulus, penes nos sub nulla lege exhibendi manens; & ita satisfacit præmissis citatis à domino

domino Doctore scribente, & Intriglioso, ut diximus *decif. 90. 91. usque ad fin. t. 1. & decif. 8. nu. 35. to. 2. Iterum t. 1. decif. 8. num. 37. in fine;* ubi notavi, quod Castillus in senectute ann. 1630. decidit pro præscriptione.

30. Quia accepta distinctione, decifum est sapius contra proprietarios, repetentes res censui observato subiectas, ac per immemorabile tempus possessas, non apparente etiam Paulina, vel illa vitiosa, non exhibita tamen per possessorem, ut pro Cardinali de Torres contra Archiepiscopum Panormitanum; pro Principe Cutò contra Archidiaconum Montis regalis, pro Mastrillo, & Algaria contra Cantorem Regij Palatij.

31. Verius est ergo assumptum, ne in Sicilia rejectam præscriptionem dicamus: nam illa ratio Pragmaticæ summarie & de plano in promptu ac bene rejicitur in scripto Paternitatis vestræ; modum enim procedendi respicit, & ideo præscriptionem generatim in exceptionibus oppositam rejicit, quando in vim dilatoriæ opponitur cum dilatorijs similibus; sed quando, ut ajunt causidici, ad negotij totius peremptionem adducitur, & formatur inde obstaculum, quod arriculum dicunt, tunc Pragmatica ad illam ita oppositam non corrigitur.

32. Non mirum, si lege præcipientem, & bonâ fidem ac justam indubitamque conscientiam, atque undique quietam & tutam inducente, possidens nec restituere sponte, nec impetitus teneatur: nam nullam habere potest alieni conscientiam, si lex principis justa & sancta rem facit illius, quæ &

dominia & possessiones mutare potest.

TRACTATUS SECVNDVS.

De furto.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit furtum.

1. **F**urtum Theologicum, est acceptio, *a* seu contrectatio rei alienæ externæ, sine vi, invito rationabiliter domino,

a Ex DD. mox citandis.

Dixi primò, (acceptio rei alienæ) qui enim rem suam ab alio injustè detentam accipit, non furatur: qui item damnnum facit alicui, nihil ab ipso sibi applicando, ut si ejus comburat segetes, quamvis contrahat obligationem restituendi, tamen non dicitur propriè furari, *b* sed damnificare. In hac eadem particula comprehenditur *c* retentio injusta: quando enim supervenit mala fides, post rem à te bona fide: ut tuam possessam, incipis rem injustè possidere, quæ possessio est continuata quædam ablatio seu acceptio; nam propterea in definitione additum est illud (vel contrectatio) hæc enim vox apertius significat = jufmodi injustam retentionem. Denique eadem particula (rei alienæ) includit *d* usum injustum rei: oppignorasti Petro v. g. vas argenteum, vel locasti domum, non potes illa, invito Petro, usurpare; quia, quoad usum, res aliena est, non tua.

M m

2. Dixi

b *De Lugot. r. de just. d. 16. sec. 1. n. 5. e Mol. t. 3. d. 688. 3 num. 16. d Bonac. de rest. in partic. d. 2. q. 8. p. 1. num. 1.*

2. Dixi Secundò, (rei externæ) si quis enim furari possit à te scientiam, vel furaretur artificium secretum de aliqua arte, vel medicamento, propriè furtum non committeret, quam vis si dampnum sic tibi injustè inferret, damnificationem faceret, cum obligatione restitutionis illari damni. Hinc etiam fit, ut si quis surriperet hominem liberum, hoc est, sibi illum pro servo applicare, non diceretur e illum propriè furari, quia ejusmodi injustitia est contra bonum corporis, non contra bona externa: non ita, si fureris mancipium ab ejus domino; mancipia enim computantur inter dominorum externa bona. Furari filium à patre, aliqui *f* putant esse verum furtum, quia pater jus externum habet in filios: at probabilius *g* puto, esse damnificationem, quia ex una parte filius non computatur inter externa patris bona, & ex alia, cum propter ejus carentiam privetur pater servitijs & commoditate, vel familia, damnum patitur absque dubitatione pater.

e *De Lugot. ib. n. 18. f Val. Tur. apud eund. g Mol. l. c. n. 14. Less. c. 12. d. 1. nu. 5.*

3. Dixi tertio, (sine vi) hac enina posita, constituitur alia species peccati, nempe *h* rapina, quæ ultra furtum addit violentiam in personam domini. Quod si, sciente vel vidente domino, aliquid ab illo sine vi surripias, furtum committes, non rapinam, ut

solet evenire, quando dominus servo furtum *hh* permittit, ut illum in furto comprehendat puniatque. Vis autem hæc non solum inferitur manibus, sed etiam verbis, puta minis; incussioneque metus; unde grassator in via incutiens metum mortis, ni ei dones pecuniam, rapinam sine dubio committit; & Molina *i* quidem etiam addit malitiam rapinæ inveniri, quando subditi tributa iniqua solvunt, vel Principibus sua donant, si coacti metu injusto solvant, donentque. Injusto, inquam; nam cum vis rapinam constituens debeat asferre injuriam, injustus debet esse metus.

h *Mol. d. t. 3. d. 683. hh An id sit licitum, dixi sup. l. 5. §. 4. à nu. 2. i Mol. ib. nu. 4.*

4. Dixi quarto, (in vito domino) nam non erit furtum *l* si probabilem rationem habes putandi, dominum consentire; hoc modo frequentissimè excusantur à peccato amici, filij, conjuges, servi, aliquid non valde grave, spectatis cujuscumque facultatibus, alijsque circumstantijs, in vicem accipientes. Dico (probabilem rationem) nam si vel dubius sis, vel nescias, an dominus sit in vitus, in vitum præsumere eum debes; *m* cum ex frequenter contingentibus sciamus, neminem sua velle dispergere.

l *Bonac. de rest. in par. d. 2. q. 8. p. 1. n. 1. m Sa. Syl. Vasq. alijsq. apud Mol. t. 3. d. 686. nu. 11. fi. & apud Sanchez. in Dec. l. 7. c. 19. n. 13. fine.*

5. Dixi quinto, (rationabiliter in vito) nam furtum non committis, qui rem alienam aufert *n* ad suam justam

stant compensationem, nec qui exi-
stir in extrema, & per aliquos, o eti-
am in sola gravi necessitate, nec qui
p. gladium v. g. vel librum haretic-
cum à domino aufert, ne is hominem
occidat, neve hareses legat, quia tunc
irrationabiliter in vitus esset dominus;
idem puto, si uxor, q vel filij aufe-
rant pecuniam, vel quid simile à pa-
tre, ne scortetur ludatque &c.

n Bonac. ib. alijq. passim. o Nav.
Lef. Fill. quos refert, licet non sequatur
Bonac. ib. q. 9. p. 3. n. 5. p Bon. ib. d.
2. q. 8. p. 1. n. 1. q Bon. ib.

6. Petes: cur furtum hactenus ex-
plicatum, vocavimus nu. 1 Theolo-
gicum? Respondeo, quia hoc, in
foro conscientiae, Theologi pro vero
farto habent; nam Iurisperiti multa,
quae in conscientia vera sunt furta,
nolunt habere pro furtis, & aliquando
mitiori poena puniunt. Vide Docto-
res, r

r apud De Lugo to. 1. de iust. d. 16.
sec. 5. n. 3.

7. Quare illud hic notum sit, intel-
ligi defurto Theologico, non de civili,
quoties fulminatur excommunicatione
vel reservatio, contra furtum.
Hinc omnes ij, qui furantur res im-
mobiles, licet fures apud Iurisperitos
non appellentur, volentes, furtum
semper esse de re mobili: hinc ij, qui
expilant hereditatem defuncti, ante-
quam haeres hereditatem adeat: hinc,
qui cum sit conjux, aufert bona sui
conjugis, sive demortui, sive viven-
tis: hinc, qui tutores usurpant pupil-
li bona, omnes; inquam, hi, cum à
Theologis reputentur pro veris furi-
bus (licet non ita reputentur à Iuris-

peritis s) in excommunicationem
incidunt, & in reservationem, t si
hae contra furantes fortè sint imposi-
tae; non ita, qui damnificat, vel qui
personam liberam, vel qui filium fur-
ripit, vel qui censum non solvit &c.
hi enim, etiam in foro conscientiae, &
apud Theologos, non sunt, ut modo
vidimus, veri fures, quam vis contra
justitiam peccent &c.

l. 2. & tot. cit. ff. de crim. expil.
heredit. l. adversus. C. de crim. expil. her.
& ff. & C. toto cit. rerum amotarum.
l. 1. & 2. ff. de Tutela & rationibus di-
strahendis. t De Lugo, 1. 1. de iust. d. 16.
sec. 1. nu. 4.

8. Solum de retentione injusta du-
bitari posset, de qua diligenter sic erit
distinguendum. Si accepisti rem alie-
nam bona fide, & deinde superveniat
cognitio, rem illam alienam esse, & tu
tamen adhuc illam retines, nec dum
illam consumpsisti, sicuti peccas, ut
supra dixi, vero peccato furti, sic in ex-
communicationem vel reservationem
fulminatas contra furantes incidet. At
si res jam consumpta est, nec inveniris
habere, nisi ejus valorem, vel partem
ejus, in quibus ditior factus es, & ta-
men non restituas, cum certè deberes,
peccas quidem, at non propriè pecca-
to furti; sed damnificatione, atque a-
deo non incurris dictas poenas: ratio
est, quia quando accepisti, non fur fui-
sti, propter bonam fidem: nunc verò
ne fur es, quia valor ille rei alienae
consumptae, vel id, in quo locupletior
factus es, tua sunt, & solum debes, do-
minum ex illa consumptione rei suae
damnificatum servare indemnem,
juxta valorem, qui in te invenitur

CAPVT SECVNDVM.

De quantitate furti sufficientis ad mortale inter extraneos.

1. **S**emper mihi infedit animo sententia docens, ejusmodi quantitatem desumendam esse respectivè, ad personam domini rei acceptam. Ratio est, quia furti malitia fundatur in duobus, nempe in detrimento, quod proximo fit, & in ejusdem proximi rationabili involuntario. At, quod nocumentum sit notabile, quodque dominus sit rationabiliter invitus, dependet essentialiter, ut ita loquar, ab ipsa conditione personæ, à qua res aufertur, ut ex se patet; nam propterea mox, ex communi sententia, dicemus, majorem requiri quantitatem ad mortale, quando furtum committitur per modica, perque interpolatas vices, quàm quando simul, quia nimirum minus est nocumentum, minusque est invitus dominus ibi, quàm hic. Non potest ergo decerni quantitas sufficiens ad construendum peccatum mortale furti, nisi ejusmodi conditio personæ diligenter inspiciatur.

2. Hec posito, tres personarum conditiones statuo. Pauperes, divites, & medios inter hos, quas personas communes vocamus. Si à paupere auferas unum vel duos Regales, seu Julios (unum Regale continet tarenum unum, & circiter grana quinque moneta Siculæ) peccabis mortaliter; si à valde divite fureris unum circiter au-

reum seu scutum (quod tarenos duodecim continet nostræ moneta Siculæ) peccabis item mortaliter; solum fateor, propter rationem dictam numeri, præcedenti, à ditissimo Principe, nisi duos vel tres aureos fureris, fortasse te non peccaturum mortaliter: si denique clam accipias à communi persona quatuor vel quinque regales, seu Julios, seu tarenos quinque, vel sex Siculæ moneta, mortaliter peccabis. Quod si à prædictis minus fureris, quàm quod dictum est, solum peccabis venialiter. Neque te offendat illud (vel) quod semper apposuimus: nam cum tota hæc furti malitia, ut dictum est, dependeat à qualitate personæ, semper illam præ oculis habere debes, ut prudenti moralique judicio, quod varium esse solet, decernas, qualis peccatum committatur. Ratio ergo nostræ doctrinæ a est, quia qui illa furatur à prædictis, notabile nocumentum ipsidem immediatè infert, unde ipsi rationabiliter sint invitæ; secus, non item; lege Lessium, b qui probare contendit, unum aureum, etiam in Rege ditissimo, afferre ex se grave nocumentum.

a Hanc doctrinam sequuntur Pet. Arag. 2. 2. q. 66. ar. 2. Petr. Nav. t. 1. de rest. c. 1. nu. 39. Io. Med. C. de restit. q. 10. favetq. Sotus l. 5. de just. qu. 3. art. 3. apud Bartol. à S. Fausto mox citat. vide etiam Bon. de restit. in partic. d. 2. q. 8. p. 1. n. 7. b Less. l. 2. c. 12. num. 29.

3. Dixi (immediatè) nam si aliud damnum ex tali acceptione consequeretur illi, à quo rem surripuisti, ut si abitu-

abstulisti acum ab eo, qui ob ejus carentiam blasphemavit, vel ab eo, cui cessavit grave lucrum, vel grave damnum emerfit, peccasses quidem mortaliter, at non ob ipsum immediatum furtum acus, sed sive ob scandalum, quia nulla excufante necessitate fuisti causa blasphemiae, si illam praevidisti; sive ob consequens grave damnum; quod certè non est propriè furtum, sed ut supra vidimus, damnificatio. Hinc si fuisset imposita excommunicatio vel reservatio contra furtum, illas non incurrisses, quia propriè furtum grave, dum solum acum furatus es, non commisisti.

4. Aliqui *e* quantitatem sufficientem ad mortale putant esse dimidium Regalè, seu Julium; alij *d* unum Julium, alij *e* duos, alij *f* tres, alij quatuor, *g* alij *h* à communibus personis quinque, alij à Rege *i* ditissimo centum aureos, alij *l* tantum pecuniae valorem, quanta in unoquoque loco solet conduci opera fossoris unius diei, alij *m* quantum est valor unius gallinae: sed certè tanta varietas sententiarum non nisi in nostra doctrina fundari potuit, quia scilicet ij Doctores censuerunt (probabiliter, necne, ipsi viderint) eam quantitatem afferre nocumentum grave & involuntarium domini; illa minorem, non afferre.

c Navarr. *d* Toletus, *e* Id. Tol. *f* Valentia. *g* Ia. Val. *h* Io. Med. *i* Bannes. *l* Molina. *m* Cordub. Hi omnes citantur à Barthol. à S. Fausto in Thes. Reg. l. 8. q. 19. 3. & in spec. Conf. d. 34. qu. 51. De parvitate hujus materiae lege

item Dicastill. lib. 2. de just. tr. 2. d. 9. dub. 2.

CAPVT TERTIVM.

De furtis modicis successivè continuatis.

1. **T**Riplici modo, quantum ad nos pertinet, modica furta usurpare contingit: primò, modica per interruptas vices, ab uno eodemque furripiendo, verum ita, ut per priora furta non perveniatur ad damnum notabile proximi, perveniatur per posteriora: secundò, modica furando à multis, modo his, modo illis, non perveniencia ad damnum grave ipsorum, verum ita, ut hæc modica unita faciant notabilem quantitatem, & notabile lucrum afferant furi: tertid, si multi modicum quidem ab uno eodemque auferant singuli, sed cum notabili hujus damno, cum interim ipsi singuli modicum quid duntaxat acceperint.

§. I.

Furans modica ab eodem.

1. **C**ertum *a* est, eum, qui minutatim repetitis vicibus, aliqua furatur, animo perveniendi ad summam notabilem, peccare mortaliter, etiam prima vice; ratio est, quia jam intentio refertur ad faciendum grave damnum proximo. Obligatio autem restitutionis, donec cum effectū ad notabile damnum perveniatur,

M m 3

veniatur,

veniatur, erit sub levi culpa, sicut leve est damnum re ipsa illatum. hinc emptores nobilium, hinc venditores vini vel panis, hinc caupones, hinc quicumque per modica fraudant rerum mensuras, non possunt à mortali excusari, si parva furentur, animo continuandi.

a. *Dechores max cit. & passim.*

2. Certum *b* est secundo, qui pari modo exigua ab aliquo surripit, quam vis animo non perveniendi ad summam gravem, si tamen, repetendo furtula, ad quantitatem notabilem de facto, advertens perveniat, peccare mortaliter, cum aequali obligatione restituendi. Ratio est, quia de facto tunc grave damnum infert proximo. Dixi (advertens) nam si non advertat ad præcedentia, quia scilicet præcedentium inculpabiliter non meminit, vel eadem non considerat, non imputatur ipsi ad peccatum mortale ultima prædicta exigua acceptio. Ratio est, quia ratione inadvertentiæ non unitur moraliter hæc cum præcedentibus, cum damnum notabile proximi tunc non sit huic voluntarium, atque adeo nec mortale. Quod autem id sit (quando advertet) restituendum, & per se patet, & dicitur max nu. 7. & 8.

b. *Idem.*

3. Certum *c* est tertio, ejusmodi minutula furta, ut mortalem constituent culpam, debere fieri tempore continuato, & non magnis interpositis intervallis. Ratio est, quia si magnum intercedit tempus inter unum & aliud furtulum, ea omnia furtula nequeunt constare unum, notabile

damnum proximo; unde nec proximus graviter invitus in his fuisse censetur. Quod autem temporis spatium reputetur hac in re magnum, cum sint hominum ingenia diversa, variè à varijs assignatur. Si inter furtulum unum & aliud intercedant quatuor anni, intervallum magnum reputatur à Rebellio; *d* si unus annus, à Sanchez; *e* si sex menses, ab alijs; si unus mensis *f* ab alijs; si quindecim dies ab alijs; sed melior est regula prudentiæ, quam max. innuam numero 6.

d Rebell. p. 1. l. 3. q. 15. sec. 4. nu. 37. versic. *Dictum est.* *e* Sanchez. l. 7. m. Dec. c. 21. n. 10. *f* Fill. t. 2. tr. 31. c. 10. nu. 14. *g* *idem ib.*

4. Certum *b* est quarto, major rem quantitatem rei ablatæ requiri, ut acceptiunculæ sic repetitæ sint mortales, quàm si sint simul. Ratio est, quia quando simul, merito dominus est magis invitus, majusque detrimentum sentit, quàm quando per partes.

h *Idem.*

5. Inquires, quanto major quantitas requiritur ad mortale? Respondeo, dimidio majorem, docere possent nonnulli; sed profecto tum in hoc casu, tum in præcedenti, de temporis interposito intervallo, melius id à prudenti decernatur; spectato nimirum damno proximi, ejusque involuntario &c.

6. Remanet ergo sola quaestio, an qui repetitis vicibus modica sumpsit, peccet mortaliter in ea ultima acceptance, quam advertit complere notabilem rei ablatæ quantitatem, an solum in retentione?

7. *Præmitto*, hujus resolutionem vix utilem esse pro praxi: omnes enim fatemur, tunc peccari mortaliter, cum obligatione restitutionis, saltem ratione retentionis; quia tunc retinetur fur quantitatem rei alienæ confiatam ex hæc & ex præcedentibus, quæ quantitas jam nunc esse incipit notabilis, idque etiam, postquam latrunculus ea furtula præcedentia ritè fortasse cum cæteris peccatis fuit confessus, quia adhuc quantitatem notabilem alienæ rei apud se retinet.

7. *Dissensio* igitur Authorum solum in eo vertitur, an ea ultima acceptiuncula faciat ita moraliter unum, cum acceptiunculis præcedentibus, ut non solum dicta retentio, sed etiam ipsa acceptio sit peccatum mortale?

Respondeo: probabilius mihi videri, etiam acceptionem esse mortalem. Ratio est, tum quia illa ultima acceptio, licet si sola fuisset, exiguum attulisset nocumentum, at ut unita cum præcedentibus, affert non modicum: tum quia, si tunc, per omnes, est mortale, ipsum retinere, ergo & ipsum accipere, ut retineatur; nam hæc duo moraliter idem sunt: tum denique quia ideo ea retentio est mortalis, quia unitur cum præcedentibus, ergo quia acceptio pari prorsus modo unitur cum præcedentibus, erit & mortalis.

1 *Sot. l. 5. de just. qu. 3. ar. 1. Mol. t. 3. d. 688. Vasq. Rebell. Val. Arag. apud Bart. à S. Faust. li. 8. Thes. Rel. q. 189. alijq. contra Nav. in man. c. 16. nu. 140. Vega l. 14. in Trid. c. 11. fine.*

8. *Dices*, cum Sæctatoribus prioris

sententiæ; at sic ex multis venialibus confiaretur unum mortale, quod esse contra communem sententiam. Respondeo, in casu nostro illa ultima acceptio, ut nunc fit, nempe cum relatione, ut supponimus, ad cætera præcedentia, semper est mortalis: quare nihil nobis obstat sententia dicta communis. Vide, quæ dixi lib. 1. in Decal. c. 1. §. 1. à num. 13. Acceptiuncula autem illæ præcedentes semper in se sunt & remanent veniales, solum extrinsecè sunt materia & subiectum mortalis; sicut numerus ternarius v. g. semper est ternarius, sed est subiectum, & materialiter se habens ad denarium, centenarium &c.

9. Denique nota, probabilissimum esse, per vices prædictas furripiente non obligari *m* sub mortali ad restitutionem totius quantitatis surreptæ, sed illius dumtaxat, quod complevit quantitatem notabilem; quod enim remanet, cum sit exiguum, non remanebit obnoxium restitutioni sub mortali, sed solum sub veniali. Idem dicimus *n* de quocumque, qui furatus est simul materiam gravem, v. g. centum; nam si retineat materiam parvam, duos v. g. vel tres lulios, & reliquum reddat, non peccat, nisi leviter, sicut leve est, quod retinet.

m *Rebell. de just. p. 1. l. 3. qu. 15. sec. 4. Petr. Nav. l. 3. de rest. c. 1. p. 1. dub. 8. n. 67. De Lug. t. 1. de just. d. 16. sec. 3. n. 41. a Mol. to. 3. dist. 688. n. 3.*

An ex multis acceptiunculis venialibus oriatur aliquando obligatio restituendi sub mortali, si Deo placebit, dicemus inferius. o

o *inf. tr. 3. c. 2. §. 5. n. 6. 7.*

§. I.

§. II.

Furans modica à multis.

1. **V**enditor vini à singulis ementibus parum furatus est, ita ut singulis ementibus parvum fecerit nocumentum, ipse verò notabilem quantitatem rei alienæ habeat, mortaliterne cum obligatione restitutionis peccavit is, simileve? Respondeo affirmativè; ratio, præter alias, est, quia licet detrimentum leve peculiaribus ementibus fecerit, facit tamen grave communitati & Reipublicæ. Explico; singuli hi domini, à quibus leve quid surripitur, graviter & rationabiliter inviti sunt, propter periculum, quod imminet, ne multitari velint hoc modo furandi levia à singulis. Id quod grave esse malum Reipublicæ, per se patet; quæ autem quantitas in hoc modo furandi, & quanto major debeat esse, ut gravis censeatur, clarè colligitur ex dictis §. 3. à num. 4.

2. Quid si eiusmodi detrimentum fecerit personis vagis? Respondeo, easdem personas vagas, & damnificatas ab uno eodemque, uniri moraliter censeri, & facere Communitatem damnificatam; ni enim ita, vel simili modo dixeris, aditum aperis ditescendi, sine scrupulo peccati mortalis, modica surripiendo de bonis multorum, quod certè nimis est dissonum rationi, & nimis cuicumque Communitati perniciosum. Restitutio autem in hoc casu illis peculiaribus personis est facienda, si sciantur, &c. non vero paupe-

ribus, vel ærario publico Ciuitatis; quia hi damnificati sunt in proprijs bonis, non vero publicum ærarium.

3. *a Bonacina*, citans Lessium, excusat à mortali pauperes, qui mensis tempore accumulunt sibi quantitatem notabilem tritici, auferendo modicum quid à singulis; nam Domini non censetur inviti, supposita illorum paupertate.

a Bonac. de rest. in partic. d. 2. q. 8. p. 1. n. 2.

4. In publicis quibusdam granarijs (*Carricaturi* à Siculis appellantur) aliqui Religiosi Eleemosynam ita petunt ab afferentibus illuc triticum, ut si ij recusent, vi modicam mensuram à singulis accipiant: peccantne hi mortaliter? Respondeo, cum hi sic se gerant violenter, & ex alio capite, supponamus, adesse animum prosequendi in eiusmodi violenta exactiōne, peccare mortaliter non ambigo, quia si Domini tam expressè repugnant, ad præsumptum, seu tacitum consensum recurrere non possumus.

At aliqui ex his Religiosis prætendunt, obtinuisse à Principe privilegium id faciendi. Respondeo: at Principes non sunt Domini bonorum subditorum. Inde puto, privilegium esse, ut possint petere, non verò, ut possint violenter exigere.

§. III.

Multi furantes modica ab eodem.

1. **C**ætns frequens amicorum, societas multorum militum, similesve ingrediuntur vineam

V. G.

v. g. alicujus, & singuli racemum vuae, exignam scilicet materiam, surripiunt, ita tamen ut tota vinea notabiliter expiletur, magno domini no- cumento; mortaline peccato sub gra- vi restitutionis onere omnes delin- quunt?

2. Hac in re certum est, b si mutu- us illorum comitatus fuit causa illius notabilis detrimenti, vel si unus alte- rum excitavit, omnes mortaliter pec- casse, sub onere restitutionis in soli- dum, sicuti contra certum item est, si seorsum singuli, sine scientia furti alte- rius, illud minimum subfurati sunt, neminem peccasse mortaliter, vel restitutionis obligationem mortalem contraxisse; sed solum veniale. Ra- tio doctrinae est, quia in posteriore casu nullo modo adest concursus ad furtum alterius, nec consequenter ad damnum notabile domini, in priore manifestè adest.

b *Dicastil. li. 2. de just. Trat. 2. d. 9. dub. 5. nu. 75.*

3. Remanet ergo decernendum, quando quilibet seorsum ex se modica furatur, sed advertit, consodales mo- dica quidem furari, at simul unita esse notabile domini nocumentum.

Respondeo, probabile esse, peccari mortaliter, cum gravi obligatione re- stituendi; & probabile item esse, solum leviter, cum levi restitutionis obliga- tione. Ratio est, cognoscentium mor- talem culpam est, quia quilibet eorum videtur esse causa damni notabilis, quod praevidit, & non cavet. Ratio a cognoscentium solum culpam ve- nialem, id quod mihi magis arridet, est, quia unus nullo modo est causa

furti alterius. Quod si quis fuit alijs suo malo exemplo occasio, idque pra- vidit, recurrit regula de scandalo, de quibus dictum est in methodo Confes. l. 2. c. 1. §. 17.

c *Henriq. li. 23. de excom. c. 27. nu. 4. Salam. 22. q. 66. art. 6. controv. 3. Suar. tom. 5. in 3. p. d. 20. sec. 2. nu. 3. alijq. d. Sotus li. 4. de rest. q. 7. ar. 3. Sanchez lib. 7. in Dec. c. 21. nu. 22. Di- cast. lib. 2. de lu. Tr. 2. d. 9. dub. 5. nu. 79. alijq.*

4. Si ergo contra sic furantes, in gratiam domini notabile damnum patientis, fulminaretur excommuni- catio, vel reservatio, in priore senten- tia contraheretur ea à singulis, quia in hac sententia peccarent singuli morta- liter: at in posteriore non item, quia nec excommunicatio, nec reservatio cadit in veniale peccatum.

Majorem quantitatem requiri ad peccatum mortale in hoc furti genere, colliges, ex dictis §. 1. à num. 4. ubi etiam habebis, quantonam majorem.

CAPVT TERTIVM.

De quantitate sufficiente ad mortale in- ter propinquos & domesticos.

1. **C**onveniunt a Doctores, ma- jorem quantitatem requiri, ut hi peccent, quam alij exte- ri. Ratio est, quia minus est in vitis dominus, respectu suorum, quam ex- terorum. Quae autem sufficiens & ne- cessaria sit ad mortale, & difficile est & molestum statuere, & tandem sapien- tiores concludunt, id à prudenti esse decernendum: nam minus in vitis e-

N

fit do-

rit dominus liberalis, dives, amicus, quam avarus, pauper, parum amans. Minus, si domestici furentur ad proprios usus; quàm ad dandum alijs: minus, si panem, vinum, esculentorum reliquias, quàm pecuniam, vestes, pretiosa electuaria: minus, si per modicam & raro, magis, si per notabilem quantitatem simul, & saepe res auferantur: minus, si tu multum frugi sis domi, quam si negligens, & parvi emolumenti &c. Notat item Delugo, *b* pietatem patris (adde & conjugis) involuntarium diminuere: is enim non est facile credendus, velle esse ita invitatus, ut filijs illa furta non admodum gravia imputentur ad peccatum letale, & consequenter ad damnationem aeternam. His igitur, & similibus expensis decernendum erit, an hi domestici, quales sunt uxor, filij, servi, mortaliter necne peccaverint, cum obligatione restitutionis, mox explicandæ, num. 6.

a Doctores citati. b De Lugo t. I. de just. d. 15, sec. 4. p. 76.

Quoad uxorem.

2^o Nihilominus, quoad uxorem, explicatius docet Bannez, *e* posse dari ab uxore divitis singulis annis vigesimam partem lucri annui. At non est id dictum, propter parvitatem materiæ, sed propter largitiones & elemosynas, quas uxores facere possunt, inscijs viris; Et tamen hoc ipsum nimis excedere, videtur Joanni Delugo: & ita mihi etiam videtur, saltem quando divitiæ multum crescerent: nam sic uxor Principis, habentis ducenta milia aureorum an-

nua, posset quotannis decem milia inscio marito usurpare, & expendere, quod certe vel ditissimorum consuetudo non probat: & nos supra *e* ad aliquanto maiorem summam hanc licentiam restrinximus, licet demum prudentiæ Confessarij rem totam commiserimus: id quod hic etiam melius est committendum: juvabunt tamen, & quod dictum est à Bannez, & quæ mox dicentur de furtis filiorum, ut ex omnibus dictis prudens vir colligat, quid ipsi statuendum sit.

e Bannez c. 2 q. 32. ar. 8. sequiturque Cenedo, Ledes. Vega alijs, quos citat sequiturque Dian. p. 2. tr. 15. ref. 34. d De Lugo ib. n. 64. e tr. I. c. 2. q. 3. num. 14.

Quoad filios.

3. Quoad filios ergo, Fagundez cum alijs docet, quatuor vel quinque Regales seu argenteos (unum regalem constituitere Tarenum unum Siculum, & grana circiter quatuor, vel quinque, monuimus alibi) si pro honestis recreationibus filius à patre mediocriter pecunioso furetur, non peccare mortaliter: Cenedo *g* absolutè docet, si filius furetur à patre octo vel novem Regales, sed non sæpius, quàm bis in anno, mortaliter non delinquere: Bannez *h* asserit, minus quam quinquaginta aureos non sufficere ad furtum grave in filio parentis prædivitis: quam assertionem tolerat Delugo in filio Principis, non in alijs. Lessius *l* dicit, duos, vel tres aureos non sufficere ad mortale, si eos filius furetur à patre

à patre divite; sufficere, si à patre ar-
tifice, vel angusti patrimoni. Salas
m cum de hoc interrogatus fuisset, re-
spondit, filium unicuique à parente ha-
bente aureos annuos mille & quin-
gentos, posse absque mortali, surari
aureos viginti vel triginta in anno: id
quod admittit Delugo n in filio non
puero, sed adolescente, quando pater
non est tenacioris naturæ, & expensio
facienda esset, non ad turpes usus, sed
saltem ad indifferentes.

f *Fag. prec. Eccl. 2. li. 2. c. 6. nu. 7.*
cit. Nav. & Rebellium. g Hier. Gene-
do tr. de paup. Rel. dub. 20. nu. 10. h
Bannez ib. qu. 66. ar. 6. §. secundum
documentum. i De Lugot. 1. de just. d.
16. sec. 4. §. 1. nu. 76. l Less. li. 2. c.
12. n. 76. Dicast. li. 2. de just. tr. 2. d.
9. du. 8. nu. 183. m Apud De Lug. l.
6. n De Lug.

4. Ex his placitis tam varijs, quæ
certè innituntur varijs rerum circum-
stantijs, vides, meliorem hujus expen-
sionis trutinam non esse, nisi pruden-
tiam Confessarij, distam nu. 1.

An filij, ut etiam uxor, possint oc-
cultare bona patris vel viri defuncti,
ne veniant in manus creditorum, di-
cam inferius Tract. 4. cap. 1. nu. 9.

Quoad famulos.

5. Quoad famulos, ego distinguo
servos conductitios à servis perpetuis,
sive mancipijs domino prorsus addi-
tis. Si de his posterioribus loqua-
mur, puto, si modica (juxta condi-
tionem servi, quoad victum & vesti-
tum sibi competentes) à domino ea
nolente dare, accipiat, vix posse per-
veniri ad mortale, & interdum ne ad
veniale quidem. Ratio est, quia in his

negandis irrationabiliter est dominus
invitus. Quo vero ad pecuniam a-
liaque bona, vix assurget mancipium
hoc à conditione extraneorum, expen-
dendus nihilominus est amor in ip-
sum domini, utilitas, servitia, officia-
que ab ipso exhibita, juxta superius
universim dicta num. 1.

In prioribus servis, quibus sua
merces ex pacto datur, si hi aliquid
amplius auferant, peccabunt, non tam-
en ad æquam mensuram extraneo-
rum, quia etiam, respectu horum, ut-
pote domesticorum, præsertim in
modicis, reliquisque ciborum, minus
sunt inviti domini. Adde, eos tacitè
consentire in furtulis famulorum, a-
lioqui non valde gravibus, quando-
quidem sciunt, hæc solere ab ipsis
comitti, & tamen eos conducunt. Sed
enimvero prudentia opus est, ne ni-
mis laxas habenas servis relinquant, nec
nimis angustas. An exigua mercede
ob suam necessitatem conducti, pos-
sint per furtum, usque ad justam mer-
cedem sibi providere, alibi o per oc-
casionem diximus.

o *In 3. op. de Sac. Mis. lib. 3. c. 7. §.*
1. à nu. 19.

6. Prædicti omnes, si materiæ suæ
parvitate excessere, obligabuntur
sub mortali restituere: & uxor qui-
dem restituere debet, vel statim, si
bona propria habeat, vel habebit post
mortem mariti, mariti hæredibus re-
stituere ex dote, quam repetet. Filij
item ex proprio peculio statim, vel si
propriū peculium non habent, debent
post mortem patris in divisione cū fra-
tribus adducere, vide quæ supra p di-
xi de donationibus inter patrem & filium.

¶ ¶ ¶

Excus-

Excusabitur tamen à restitutione filius, post mortem patris, si fratres simile quid furati sint, vel si iidem condonent, vel si pater actu condonavit, vel putatus fuit condonaturus, si fuisset à filio rogatus, qui ob verecundiam non petijt condonationem, & de summa agatur, de qua disponere poterat pater. Atq; hanc excusationem ductam à conditione expressa vel præsumpta, extendi ad uxorem, modo, quo dicimus in filio, dubium nequaquam fit. Denique pari modo servi obligabuntur statim, quando habent, unde restituant, nisi ex domini benignitate, amore &c. confidant, parumper vel diu posse differre, imo & omnino restitutionem negligere.

p. sup. li. 5. dec. c. 4 §. 2.

CAPVT QVARTVM.

De quantitate furti Religiosorum sufficienti ad mortale.

Non est sermo de furtis, quæ forte Religiosus admittit, ex bonis omnino alienis: tunc enim si is habet, perinde ac ceteri fures, de quibus hætenus disputatum est, obligabitur, modo tamen infra a explicatius afferendo. sed loquimur de furtis ex bonis sui Conventus, in quo ipse alitur. Et quærimus primum, quænam quantitas sufficit ad mortale? & quoniam, ut supra vidimus, Religiosus, propter votum paupertatis, non potest usurpare bona ulla externa, etiam volentibus dominis, nisi de Superioris consensu, ideo quærimus secundò, quænam quantitas requiratur ad

hoc, ut contra ejusmodi votum mortaliter peccetur? De quibus, non enim censuram ab aliquo vocer, ita agam, ut Doctorum potius afferam verba, quàm mea.

a. Infr. tr. 4. c. 1. §. 1. à n. 7.

Quoad priorem sic habet Suárez; quando Religiosus propria auctoritate (id est, sine licentia explicita vel præsumpta, quas nos supra explicuimus) pecuniam vel aliud ex communibus bonis usurpat, sufficit ad mortale, si materia attingat quantitatem, saltem quatuor argenteorum, & interdum poterit minor sufficere, juxta occurrentes circumstantias (intellico, si quando Monasterio pauperi grave sic damnum inferretur, vel quid simile) de alijs bonis Monasterij, usu consumpribilibus, pertinentibus scilicet ad cibum & potum, si tantum ad proprium usum actualem, ut sic dicam, & transitorium à Religiosis aliquid sumatur, regulariter non videtur peccatum mortale, nisi damnificatio Religionis esset nimia, & in re extraordinaria, & pretiosiore. Extra hujusmodi enim casum res hujusmodi reputantur levioris conditionis (excipit Sanchez, quando Religio, pro paupertate, aut alia ratione, quid determinatum solum daret Religiosis; tunc enim perinde est inuitus Superior, quoad comestibilia, sicuti quoad reliqua, intellige, excepto casu necessariorum alimentorum) & quamvis Prælati hoc displiceat, non tamen ita sunt involuntarij, ut illam reputent materiam gravem in ordine ad paupertatem, sed solum in ordine ad deceniam & perfectionem Religionis. Accedit, quod Religiosi, quoad usum hujus-

hujusmodi rerum, tractantur, ut filij inter parentem autem & filium non censetur similis actio gravis. Secus vero esset, si hujusmodi res in magna quantitate acciperentur, & occultè retentæ paulatim consumerentur: nam illud esse posset grave peccatum, quamvis ad id discurrendum in particulari, magna prudentia necessaria sit. Et nu. 43. sic addit. In rebus quæ uno casu consumuntur, si accipiantur ab externis, erit major gravitas, si res in magna quantitate accipiantur, ut occultè retenta paulatim consumatur: nam accipere solum ad unum tantum actum utendi, v. g. comedendi, aut bibendi, regulariter non æstimatur materia gravis, in ordine ad paupertatem, quidquid sit de obedientia, aut de alia observantia Religiosa. In acceptione autem pecuniæ semper est major deformitas: idemque est, in illa accipere usum ac dominium. Hac Suarez.

b. *Suar. t. 3. de Rel. li. 8. c. 11. n. 4. c. 47. c. sup. lib. 1. c. 3. §. 7. v. Religiosorum vota.*

3. Quoad posteriorem quæstionem sic habet Sanchez. *d. Communis & verissima sententia est, eam quantitatem necessariam esse & sufficere, quæ necessaria est & sufficit in hominibus secularibus ad constituendam materiam peccati mortalis furti. Et paulò post: jam hodie, inquit, communior sententia est, exigi in Hispania furtum quadruplicis argentei (id est, quatuor Regalium seu Juliorum) ad mortale, atque idem dicendum, ad mortalem Religiosi paupertatem. Rectè idem advertit, sic nu. 6. Non semper quantitas in se notabilis absque licentia ac-*

cepta, satis est ad mortale proprietatis peccatum, quia res magni valoris potest ob solum brevissimi temporis usum modici valoris usurpari, reddendo statim, & ideo erit solum culpa venialis. Hæc Sanchez.

d. Sanc. t. 2. in dec. li. 7. c. 20. n. 3.

1. Petes. Possumusne probabiliter sentire, tam ad peccatum contra paupertatem, quam ad peccatum usurpandi bona Monasterij, requiri illam quantitatem, quæ requiritur ad hoc, ut filius peccet mortaliter, furando à patre, quando certum est, requiri majorem, ut supra e vidimus?

e supra c. 20. nu. 3. & 4.

Respondeo, negat id Sanchez dict. n. 3. & Iacobus Gordonus *f. sic habet: quod recentiorum unus dixit, in ejusmodi furtis æque parum videri invitum Superiorem, ac est parens erga filium, probabile non est, cum instituti ratio, vox ipsa Superioris, ac demum omnia clare prohibeant hujusmodi furta.*

f. Gordon. lib. 5. q. 3. d. 4. fine.

3. Quod si quæras, quisnam sit hic recentior? Respondeo, non unum solum, sed quinque obviam statim fieri hujus sententiæ.

Primus est Rebellus apud Sanchez *ff. citatum*, qui sic habet: Rebellus censetur quantitatem hanc pensandam esse juxta quantitatem petitam ad furtum mortale filiorum, quia non sunt Prælati credendi magis inviti ad rem clam acceptam à Religiosis, sed quoad solum modum, quam parentes carnales circa filios suos, cum non minus, sed magis subditos suos diligere debent, & ita non debeant censeri inviti.

Na 3

quoad

quoad rem acceptam ejusdem quantitatis, in qua pater carnalis honesta conditionis invitus non censeretur. Item, quia Religiosi jus habent, ut ex eis bonis alantur à Monasterio, sicuti filij ex parentum bonis. Hæc ex Rebello Sanchez, qui tamen hanc sententiam reprobatur in alijs rebus, sed admittit in comestibilibus.

ff. Sanc. l. c.

7. Secundus est Ledesma, cujus sententia, dum tertium Doctorem jam jam proferam, simul in medium producet.

8. Tertius est Hieronymus g Cenedo, qui hæc habet: Sicuti filius familias furando à suo patre de suis bonis majorem aliquam quantitatem, quæ in alio externo esset gravis, non esset furtum; ita Religiosus non esset Proprietarius, nec fur, surripiendo aliquam majorem quantitatem, quæ in alio externo facit peccatum mortale. Idemque dicendum est, si Religiosus illam surripiat ab alio Religioso ejusdem Monasterij. Quare tenet Ledesma, quod si Religiosus suffuraretur à Monasterio, vel ab aliquo dicto Religioso, octo vel novem Regales, seu valorem illorum in rebus, quæ usu non consumuntur, non esset peccatum mortale, si id faciat sine facultate Prælati: dummodo id non sæpius fieret, quàm bis in anno. Hæc Cenedo, qui eum eodem Ledesma addit, in rebus comestibilibus ab eodem Monasterio, vel Religioso dicto sublatis requirit majorem quantitatem.

g. Cened. in rr. de paup. Rel. du, 20. num. 10.

9. Quartus est Fagundez. *h. Peteg.* inquit, quid possint Religiosi absque peccato mortali donare vel recipere ab externis? Et quidem de Religiosis ad modum filiorum ratiocinandum est. Religiosi enim inter filios computantur, juxta cap. licet de sepulturis. Et ita docet Navarrus & Rebellus; & non computantur cum servis, ut male quidam Canonista dixerunt, eo fundamento ducti, quia servi quidquid acquirunt domino acquirunt, & Religiosi quidquid acquirunt, Religionis acquirunt. Sed est inutilis comparatio, nam etiam filij familias quidquid acquirunt, non sibi, sed patri acquirunt: unde cum filij familias hominum mediocriter pecuniosorum non peccent mortaliter, si eis invitis, ad honestam recreationem aut donationem furentur quinque argenteos seu Regales aut saltem quatuor, ut docet Petrus Navarra & Rebellus, ut licet & honestè gaudeant cum amicis, pariter dicendum est de Religiosis. Hæc Fag.

h. Fag. pr. Eccl. 2. li. 8. c. 6. n. 7.

10. Quintus est Caramuel, i quem satis fit, ne longum faciam, hic in margine citare. Possent fortasse addere Sotum, Rodriquez, Aragonium, & dum probabile putant, tunc Religiosum committere furtum, quando hoc ascendit ad summam duorum anreorum: quæ sententia tam lata non potest ianiti, nisi opinioni, putanti ejusmodi furtum esse decernendum ad mensuram furti filiorum, facti ex patris pecuniosi bonis.

h. Caram.

i *Carum* in Reg. S. Hen. nu. 952. & *starrum* per totam disp. 43. 1 apud *Dianam* p. 1. tr. 6. ref. 36.

CAPVT QVINTVM.

De compensatione occulta.

§. I.

An sit fur, qui per occultam acceptionem compensat id, quod sibi debetur?

Non esse in conscientia furem, nec peccare, nec in excommunicationem incidere, quæ forte fit contra furantes imposita, & posse jurare, etiam coram Iudice, se nihil accepisse, intelligendo, quod sibi nõ deberetur, certum jam hodie est apud omnes, & etiam si res, quam usurpat, fuerit ipsi in depositum à debitore consignata. Ratio est, quia rem sibi debitam hic accipit, non alienam. Et quidem statim atque is rem per compensationem sibi vendicat, facit omnino suam; unde si forte postea pereat, sibi perit, non debitori, quidquid in contrarium sentiat Medina. Adverte, te non posse accipere rem tertij, forte datam in pignus, seu commodatam tuo debitori, quia tunc alienam raperes, ut ex se patet: imò neque rem tuam iusto titulo locatam, vel commodatam, vel in pignus datam alteri, quia sic priuares hunc iure suo: hoc tamen intellige (addit *Lessius d*) si probabile erit, te rem tuam, iure alterius finito, commode recuperaturum.

a *Vide Mol. Less. De iure Aliisque moro citandos, quibus addo Dic. li. 2. tr. 2. de just. d. 9. d. 6. b Med. C. de rest. quest. 11. c l. Mol. to. 3. d. 690. 696. & Be Lago de just. t. 1. d. 16. sec. 8. nu. 18. & Less. li. 2. c. 12. dub. 10. n. 56.*

2. Vt autem iuste fiat compensatio, tres sunt conditiones observandæ. Prima, ut sit de liquido ad liquidum, hoc est, certum sit, te esse actu creditorem tantæ pecuniæ, & illum esse actu debitorem. Dico (actu) nam est questio, an creditori liceat præuenire? hoc est, an si, v. g. hinc ad mensum tibi aliquis debiturus sit centum, possis ea per compensationem hodie tibi retinere, vel occulte suffurari? ad quam respondeo, licere, sed duobus positis: primò, ut adsit periculum moraliter certum, quod debitor suo tempore non sit soluturus. Ratio est, quia cuiuslibet licet, quando res sua est in periculo, illius assecurationem vel pignus inquirere ac velle. Secundò, ut, si interim per tuam illam anticipatam acceptionem, lucrum aliquod cessauit creditori, vel damnum emerfit, debeas omnino recompensare, quia seculus, subiret creditor pœnam, antequam peccatum moræ committeret.

e *l. Dian. p. 2. tr. 16. ref. 46.*

3. Secunda conditio, ut non possis, vel facile non possis per potestatem publicam, tuam recuperare. Verum hæc conditio solum notat (sed sine obligatione *f* mortali) ordinem rationabiliter tenendum; at in praxi vix in nostra hac ætate locum habet: nam semper est difficile, suum recuperare per auctoritatem publicam.

f *Mol.*

f. Mol. t. 3. d. 690. n. 1. Diana l. c.

4. Tertia, ut removeatur periculum, ne tibi vel tuo hæredi iterum idem debitum solvatur: quod fiet, fingendo condonationem, vel simili alio æquivocationis modo. Quid si adfit ejusmodi periculum, sed non appareat modus illud cavendi? Respondeo, cum *g* ad illud cavendum, non obligemur ex justitia, sed solum ex charitate, ut mox probabo, ideo si facile possis cavere, obligaris: quod si non caveas, peccabis quidem, sed sine onere restitutionis, quia id solum sequitur ad peccatum contra justitiam. At si cum difficultate, seu cum tuo gravi incommodo posses, tunc nec peccares, nec obligationem restitutionis contraheres, si non caveres. Ratio est, quia tunc non peccares contra charitatem, quæ, ut alibi diximus, non obligat cum gravi incommodo; nec peccares contra justitiam: nam si contra hanc delinqueres, inde esset, quia inferres proximo damnum secundæ solutionis. At hujus tu solum tunc es causa per accidens & indirectè: illud enim nec intendis, nec tibi utenti tuo jure imputari debet.

g De Lugo de just. t. 1. d. 16. sec. 5. num. 87.

Propter eandem, imo majorem rationem, non *h* te regulariter obligo ad admonendum debitorem, vel ad fingendam condonationem, ne is credens non solvisse, maneat in conscientia peccati mortalis: non, inquam, te obligo. Ad id enim cum ex sola charitate teneris, tunc solum obligaberis, quando facile potes. Quæ facili-

tas cum in hoc negotio compensationis, quæ occultè fit, vix locum habere possit, ideo dixi, te regulariter à me non obligari.

h Idem ib.

5. Pari modo, si tu dum occultè tibi compensas debitum, prævideas, alicui tertio id, tanquam furtum ab ipso fuisset commissum, fore imputandum, non obligaris id præcavere, nisi facile possis, quia simili ratione solum obligaris ex charitate, non ex justitia. Facile tamen puto, te posse præcavere, saltem relinquendo compensationem, si tuum debitum v. g. esset unius vel alterius aurei, & probabile esset, alteri imputandum furtum, cum periculo, ut is damnaretur ad Triremes, vel gravi infamia notaretur, vel graviter castigaretur, vel magnam summam expenderet. tunc enim, si non præcaveris, licet non peccares contra justitiam, unde non obligaberis ad restitutionem, graviter tamen peccares contra charitatem. Maxime igitur in hac, & similibus rebus expendenda sunt periculum proximi & tua utilitas. Charitas enim dicitur, ne ob parvam tuam commoditatem, gravissimum proximo damnum inferas. Vide Molinam *i* & Delugo. *l*

i Mol. t. 3. d. 690. §. 3. *l* De Lugo. t. 1. de just. d. 16. sec. 5. num. 28.

6. Idem *m* dic, si debitor vivus (nam de defuncto mox §. 7.) propter tuam occultam compensationem non sit futurus aptus ad satisfaciendum alijs anterioribus & magis privilegiatis creditoribus, quia id damnum anteriorum per accidens sequitur ad tuam compen-

compensationem, & illa res, quam accipis, non est creditorum tui debitoris; si enim esset illorum, certe, quia alienum tunc acciperes, tibi illam vindicare non posses.

m l. eundem ib sec. 6. nu. 111.

§. II.

Compensatio in re diversa.

1. **A**D explicationem doctrinae addantur sequentes quaestiones. Prima, an licite possis tibi compensare, accipiendo rem specie diversam ab ea, quae tibi debetur? v. g. debet tibi quis triticum vel pecuniam, an possis occulte accipere vinum, vel vestem aequivalentis pretij? supponimus enim, quod si v. g. vestis plus valeat, quam tuum debitum, reddatur statim excessus &c.

Respondeo, te non posse *a* si ex acceptance rei diversae damnum grave sequitur debitori; posse, *b* si id non sequitur. Ratio est, quia, si non sequitur, non est, unde pecces, ut accidit, quando eam rem, quam accipis, facile debitor pecunia, vel alio modo sibi comparare potest. At si sequitur, sine ratione ipsum directe damnificas, quare, & peccas, & restituere damnum teneris. Quod si alium modum non habes tibi compensandi, nisi accipiendo rem specie diversam, cujus carentia graviter debitorem aliunde damnificet, sanè licite sumere poteris: debitori enim imputabitur tale damnum, dum is debita solvere non laborat. Idem tamen moneo, quod in finuavi §. praecedente num. 5. Non e-

nim licebit tibi, propter modicum, quod tibi forte debetur, gravissimum proximo damnum asferre.

a v. Mol. Petrum Nav. Reb. alios allatos à Dian. p. 2. tr. 16. ref. 48. b. Vasq. c. 5. de rest. §. 1. dub. 9. n. 47.

§. III.

Compensatio in debito dubio.

1. **S**ecunda. Quando dubium est, an debitor aliquid tibi debeat, potesne pro ratione dubij, aliquid tibi occulte compensare?

Respondeo, non posse, quia non est aequum, pro debito incerto velle solutionem certam. Idem est in probabilitate, quam aliqui (sed perperam) dubium vocant positivum, id est, quando sunt probabiles rationes, quod tibi aliquid debeat, & probabiles, quod non debeat. Idem, inquam, est, quando probabilitas versatur circa factum, quia tunc melior est conditio possidentis, ut alibi diximus: *a* at quando probabilitas utriusque partis, id est, debitoris & creditoris est circa jus, esto, aliqui in aliquibus casibus concedant, posse fieri occultam compensationem contra debitorem, nos tamen universaliter id negavimus: ibidem, quem locum omnino relego.

a li. 1. in decal. c. 3. §. 3. à nu. 9.

§. IV.

Compensatio in re, quae mittitur ad debitorem, vel ei debetur.

1. **T**ertia. An possis tibi compensare, sumendo rem, quam ter-

o o

tius

tius mittit ad tuum debitorem, vel in donum, vel in alium quemcumque finem?

Respondeo, cum necessaria a distinctione: vel donum illud, seu pecunia jam est acceptata à tuo debitore, & tunc potes, quia accipies rem debitoris, in quam jus habes; vel non est acceptata, & tunc non potes, quia tunc acciperes rem tertij, in quam jus non habes.

a l. Vasq. l. c. dub. 8. num. 45. & De Lugo t. 1. de just. d. 16. sec. 6. n. 210.

2. Quid de debitoribus tui debitoris? Antonius, v. g. debet Petro tuo debitori centum, potesne ab Antonio centum surripere, eo prætextu, quod tibi à Petro similia centum debentur? Respondeo, non posse, quia ut casus proponitur, acciperes pecuniam, quæ nunc Antonij est, in quam nullum jus tu habes.

3. Quid, si Petrus, tuus nempe debitor, haberet in deposito apud dictum Antonium vas argenteum, vestem, vel quid simile, quod totum, tum quoad proprietatem, tum quoad usum & administrationem esset Petri?

Respondeo, tunc sane posses, quia dummodo res sit Petri, tui debitoris, nec ad alium pertineat, parum facit, ubi materialiter inveniat. Cavendum tamen est, ne Antonius à Petro suo depositario rem suam per judicem velit repetere: nam sic Petrus cogereetur geminate solvere.

Sed quid, si hoc periculum imminet, tu vero illud cavere non possis, sine jactura tui debiti? Respondeo, te nunc non possum condemnare, si tuum accipias, quia tua necessitas te ex-

cusat ab obligatione charitatis, qua deberes illud damnum, à te indirectè solum causatum, à Petro avertere, ut modo in simili § 2. dictum est, ubi etiam monitionem hic applicandam apposuimus.

4. Huc facit vulgaris dubitatio de creditore Principis, an scilicet possit sibi compensare id, quod à principe sibi certo debetur, fraudando ipsius gabellas?

In qua re certum est primò, posse, si gabellæ non sunt alijs locatæ; certumque est secundò, non posse, si sint venditæ. Ratio utriusque est, quia ibi creditor jam sumit ex bonis sui creditoris; hic non item.

Sed quid, si sint locatæ? Negant nonnulli, propter b eandem rationem, quia tunc gabella non est in bonis Principis, qui supponitur esse debitor. Concedunt alij, e quia conductores gabellarum, dum sciunt fraudari communiter gabellas, & tamen eas conducunt, videntur, seu præsumuntur non esse inviti in tolerandis ijs fraudibus, & fortasse propter hanc causam multo minoris, quam valeant, eas conducere, quæ præsumptio non est tam facilis de eo, qui absolute sibi gabellam emit à Principe. Utraque sententia est probabilis.

b Reg. de Grassijs apud Dian. mox cit. c Petr. Nav. Less. Bon. Vasq. Mol. alijs, quos citat sequiturque Diana p. 2. tr. 16. ref. 14.

§. V.

Compensatio famulorum.

1. Quidam. An famuli possint se compensare occultè à dominis, qui justum

justum salarium negant? Respondeo, certum est, si justum negent, cum conditionibus modo §. 1. dictis, posse. At domini sapissimè negant merito, quia vili mercede se conduxerunt famuli: sed de hoc dixi alibi, *a* & non nulla dicentur inferius. *b*

a in opusc. de Sac. li. 2. c. 1. §. 3. à n. 59. *b* infra li. 8. tr. 3. §. 10. nu. 6. & 7. legatur item Dicast. li. 2. de just. 11. 2. d. 9. dub. 6.

§. V I.

Compensatio Fidejussoris.

Quinta. An si fidejussisti Titio debitori Caij, v. g. in aureis centum, & Cajus debeat alia centum Titio, vel tibi, qui tamen Cajus per judicem à te fidejussionem extorqueat, solvasque ipsi illa centum, an, inquam, possis occultè ab eodem Cajo ea centum per occultam compensationem auferre?

Respondeo, posse, *a* quia in his circumstantijs injustè Cajus fidejussionem exegit: esto, judex, qui nesciebat Cajum esse debitorem tuum, vel Titij, secundum allegata & probata in foro externo te condemnauerit, cui condemnationi in foro conscientiae non est *b* standum, quia innititur falsa praesumptioni.

a De Lugo d. sect. 6. n. 229. *b* Vide in simili Mol. ac Med. cit. à De Lugo d. sec. 6. nu. 114.

2. Quid de fidejussore in ordine ad eum, cui ipse fidejussit? Si v. g. tu fidejussisti Titio, debenti centum Cajo, & compulsus à judice fuisti, ea solve-

re Cajo, potesne centum occultè tibi accipere à Titio? Respondeo, posse, *c* etiam si nec Titius, nec alius expressè promiserit, non obventurum damnum, ob susceptam fidejussionem. Ratio est, quia (nisi prorsus contrarium exprimat) semper implicite intelligitur fidejussor nolle quid amittere de suo, cum donatio nunquam praesumatur, nisi expressè fiat.

c l. Less. l. 2. c. 20. du. 14. nu. 119.

§. VII I.

Compensatio ex bonis defuncti.

Sexta. An licitè possis retinere, tibi que applicare per justam compensationem bona tui debitoris defuncti, (nam si hic vivat, dixi §. 1. num. 6.) quae forte in venirentur esse post ejus mortem apud te.

Respondeo, posse, quia sicuti potuisses *a* alibi deposita occultè accipere, ita potes depositata apud te ipsum.

a Less. li. 2. c. 11. dub. 20. n. 56.

2. Verum magna est difficultas, an idem possis, quando acceptio esset in praesudicium aliorum creditorum defuncti, qui essent magis privilegiati, seu anteriores, nec adesset facultas satisfaciendi omnibus? Si tibi v. g. defunctus debebat centum, ex debito currenti, sed debebat alteri etiam centum, ex dote suscepta, quae est privilegiata, nec defunctus relinquat, nisi centum, quae sunt depositata apud te, poterisne cum praesudicio dotantium haec centum occultè retinere?

002

Respon-

Respondeo, posse; id quod tamen tribus dictis opus est, ut explicem ac probem: &, ut vides, loquimur, quando res tui debitoris apud te invenitur: si enim apud te non esset, illam cum præjudicio magis privilegiatorum surripere nunquam posses, quia clarè tuuc surriperes alienum, nullo modo tuum, ut mox clarius patebit.

3. Dico enim primò; si res apud te est ejusdem rationis cum illa, quæ tibi debebat defunctus, v. g. pecuniã debebat defunctus, & tu inveniris habere apud te post ejus mortẽ, sed consignatã in ejus vita, æqualẽ pecuniam, potes b illam tibi occultè retinere. Ratio est, quia, quando tu habuisti pecuniam tui debitoris, visus est debitor, quasi æqualiter, pecuniam debitam tibi solvisse, atque adeo ea pecunia jam tua est, & consequenter eo mortuo, tu nihil habes defuncti, quod creditoribus anterioribus obligatum sit.

b De Lugo l. 1. de just. d. 16. sec. 6. num. 126.

Neque dicas, quando tibi in vita is prædictam pecuniam consignavit, eum non potuisse illam tibi solvere, cum præjudicio anteriorum: ne id dicas, inquam; nam probabilem hic suppono doctrinam c. Molinae docentis, quando debitor ex proprijs solvit debitum posteriori creditori, cum solvi deberet priori, non teneri hunc posteriorem creditorem ad restitutionem; de qua te suo loco lege Dianam. d

c Mol. 10. 2 d. 536. num. 46. apud Dian. mox citandum. d Dian. p. 3. tr. 5. ref. 10. & p. 5. tr. 23. ref. 79.

4. Dico secundò; si res aliæ, seu diversæ defuncti inveniuntur apud te, v. g. vestes, vasa argentea, &c. atque hæc habeas in pignus tui crediti, potes e tibi ea per compensationem retinere, quamvis cum præjudicio magis privilegiatorum. Ratio est, quia tunc rem tuam tenes; pignus enim succedit loco rei. Sensus enim dantis pignus est: *Retine tibi hanc rem, si pecuniam tuam tibi non reddo, seu donec tuam pecuniam reddam*: Cum ergo hæc conditio apposita non sit, res tua remanet, non aliena.

a De Lugo l. c. n. 227.

5. Dico tertio; si eadem res alteri non hypothecata, seu subjecta, quamvis non titulo pignoris, sed alio quocumque, v. g. commodati, depositi &c. apud te, modo dicto, remaneant, pari modo per compensationem retinere poteris. f Hoc dictum præ cæteris est controversum, negaturque mordicus à De Lugo. g Ratio, quæ mihi occurrit, quæque omnia contraria argumenta solvit, non est, quia h difficile satis apparet, persuadere hominibus, ut debeant sinere sibi ex suis manibus, quod tibi debetur, & alijs potius consulere, quam tibi (hæc enim ratio præter admirationem; nihil habet præterea.) sed quia quando tu rem illam tui debitoris, ipso vivente, habuisti, cum illam potuisses tibi applicare in compensationem tui crediti, remansit apud te, quasi in pignus: patet, quia rectè statim, atque illam habuisti, dicere poteras; *Iam sum de meo credito securus; res mei debitoris jam apud me est. Certè si meum tibi non reddet, non ego suam hanc rem illi reddam.*

Virtua-

Virtualiter ergo res illa pignus est tuum: quoniam ergo num. precedente, ex ipsa communi sententia, consentiente eodem De Lugo, actuale pignus tui debitoris retinere potuisti, sic & hoc veluti pignus virtuale, quod actuali æquivaleret, poteris retinere.

¶ *Homobonus, Fern. Tann. & ex parte Comit. quos citat sequiturque Dian. p. 3. tr. 5. res. 10. & p. 7. tr. 10. res. 18. g. De Lugo dec. 16. sec. 6. num. 127. h. Hanc rationem affert Fernus apud Dian. p. 3. tr. miscell. 5. res. 10. i. sup. lib. 1. in dec. c. 3. §. 7. v. compensatio.*

Quodnam debitum ex multis solvatur per primam compensationem, alibi dixi: alibi etiam de compensatione in *l. Missis*, & de juramento nollendi uti compensatione, *m. disputavimus*, &c.

l. lib. 3. de sac. Missæ c. 1. §. 3. à nu. 102. m. sup. lib. 3. in dec. c. 2. §. 5. à nu. 34.

CAPVT SEXTVM.

An extremè vel graviter indigenti liceat furari?

1. **Q**uid sit extremè, quid graviter, quid communiter indigere, satis explicuimus in superioribus, a quæ omninò sunt retolenda, ut etiam, quæ sint bona necessaria ad vitam, quæ ad statum, quæ superflua.

a. sup. li. 5. c. 1. §. 1. n. 13.

Quibus habitis, tria pro certis teneri ab omnibus puto, tria esse controversa.

§. I.

Tria certa.

1. **C**ertum est primò, extreme indigentem posse quodlibet surripere, quod sit necessarium ad extremam indigentiam sublevandam. Ratio communis est, quia res temporales sunt à Deo datæ, ut vita omnium rerum temporalium nobilissima conservetur: quod vitæ conservandæ jus cum nemo à se abdicare potuerit, per rerum divisionem jure Gentium introductam, fit, ut in ea necessitate, omnia sint communia, nec illorum dominus possit sine peccato ejus speciei, quam mox §. 2. à nu. 4. decernam, impedire: imo si impediret, posset cum moderamine inculpatae tutelæ ab indigenti occidi. Si tamen sit, qui probabiliter indigentem sublevet, vel ipse exercendo artem suam sibi succurrere possit, non peccabis *b. impediendo*, vel non dando, & ipse si à te sumeret, fur esset & latro, quia in his circumstantijs non est in necessitate.

b. Castrop. to. 1. tr. 6. d. 2. de char. p. 2. n. 4.

2. Certum mihi est secundo, idem esse dicendum in valde gravi necessitate, quod in extrema: Ratio est, quia pari modo naturæ inditum est, ut gravem necessitatem, quæ facile vergit ad extremam, à se quisque, quoquo modo potest, avertat.

c. Idem n. 13. & p. 9. n. 5. Less. li. 2. c. 12. nu. 71. Vasq. alijq. quos refert De

O o 3

Lugo

Lugo l. c. sec. 7. num. 153. contra Turr.
A7. Cajet. ab eodem relato. Dicast. li. 2.
de just. tr. 2. d. 9. dub. 9. nu. 256. alio
citans.

3. Vnum pro utrisque his certis ad-
verto, à proximo extremè, vel gravi-
ter indigente te extremè item indigen-
tem non posse illud surripere, quod
indigentiam sublevet, nec te indigen-
tem graviter ab graviter indigente:
ratio communis est, quia tunc sine
controversia melior est conditio possi-
dentis, atque adeo habet potius jus u-
tendi rebus suis, ne pereat, vel ne ca-
dat ex gravi ad extremam.

An, posito, quod surripueris, ob-
ligeris in pari necessitate restituere, alia
est quaestio, alibi, Deo dante, decidenda.

3. Certum est tertio, sicuti potest
indigens in praedictis casibus pro se
surripere, sicutiam alium pro ipso sur-
ripere in iisdem casibus posse, si is ali-
us non habeat, unde possit de suo in-
digentem sublevare. Ratio est, quia
tunc is surripit, nomine indigentis, &
ut ejus instrumentum: sed si is habeat,
unde possit de suo, non vulgaris est
difficultas: verum quia non est ad-
modum frequens, & nimis prolaxa
exposcit distinctiones, satis est, eam vi-
dere apud Bonacinam, d. Vasquez, e
Delugo. f

d. Bonac. q. 2. de rest. in particul. q.
8. p. 3. n. 8. e. Vasq. c. 2. de elem. dub.
7. 2. 3. f. De Lugo de just. to. 1. d. 16.
sec. 7. n. 178.

§. II.

Tria Controversa.

Extremè, an à graviter indigente
licite surripiat?

1. **P**rimum quod controvertitur
est; an extreme indigens possit
rem sibi necessariam surripere
à graviter re eadem indigente? Respon-
deo: aliqui a absolute negant: ali-
qui b absolute concedunt: verum neu-
tri sine sequenti distinctione sunt reci-
piendi. Si enim graviter c proxi-
mus hic indiget illa re, ad conservan-
da ea bona, quae ipsi sunt necessaria
simpliciter, ad suum statum ita con-
servandum, ut sine illa in valde gravia
mala prolaberetur, non potest extremè
indigens ea surripere, nec proximus
praedictus obligatur dare. At si gra-
viter indiget illa re ad conservanda
sua ea bona, quae non sunt simplice-
ita necessaria, ut sine illis in valde gra-
via mala incurreret, potest extremè
indigens ea surripere, & proxi-
mus praedictus dare obligabitur.
Ratio est, quia posteriore casu
vere ipsi non imminet grave ma-
lum; at in casu posteriore mala il-
la tam gravia moraliter ipsi mori æ-
quiparantur: & aliquando sane acci-
dit, ut eligeret quis potius mori, quam
gravia illa sufferre: imo supra d. at-
tulimus Doctores docentes, non so-
lum graviter indigentem, sed nec eti-
am divitem obligari, magnis expen-
sis, & extraordinarijs medijs extremè
periclitanti in vita succurrere; qui lo-
cus est omnino relegendus.

a Rosella, S. Anton. alijsq. apud Sanch.
max citandum. b Sanch. in cons. lib. 1.
c. 5. dub. 5. n. 28.

e Coninch.

c. *Coninsh. de charit. d. 27. nu. 134.*
 d. *sup. lib. 5. c. 1. §. 1. a n. 12.*

Indigens an surripere vel consumere possit
 animo reddendi?

2. Secundò, an extremè, vel gravi-
 ter indigentes, quando quid surripit-
 unt (nam quando rem antea surrep-
 tam, postea consumunt, dicam mox
 nu. 3.) ad suas necessitates amovendas,
 obligentur accipere eo animo, ut si ad
 pinguiorem fortunam pervenerint,
 debeant restituere? quod est, querere,
 an accipere queant absolutè, an sub ra-
 tione mutui? Et rursus, an dives,
 quando hos indigentes sublevare obli-
 gatur, satis suæ obligationi faciat, si det
 mutuum, sub eadem conditione pin-
 guioris fortunæ, an potius debeat dare
 absolutè?

Respondeo: Nonnulli et docent,
 tum eos indigentes debere accipere, sub
 ratione mutui, tum divitem posse sub
 eadem ratione dare. Ratio est, inqui-
 unt, quia non adest obligatio, nisi eos
 pauperes sublevandi: at per mutuum
 satis superque sublevantur. Nonnulli
 vero docent contrarium, id est, posse
 absolutè pauperes rem furari, & divi-
 tem non posse restitutionis onus im-
 ponere. Ratio est, ajunt, quia in ea
 necessitate omnia sunt communia, er-
 go non est, unde ad mutuum recurri
 debeat: utraque sententia est probabi-
 lis. Quare poterit quidem dominus
 imponere illud onus, sequendo opi-
 nionem sibi faventem; sed poterit eti-
 am indigens illud non acceptare, exci-
 piendo scilicet faventè pro se sententiã,

e. *Nav. Tol. Cov. alijq. apud Castrop.*

mox cit. n. 4. & apud Sanchez in *conf.*
lib. 1. c. 5. dub. 5. n. 52. & apud *Dicast.*
li. 2. de ius. tr. 2. d. 9. à nu. 220. f. *Ca-*
strop. l. c. p. 4. nu. 5. afferens Val. Conin.
Suar. aliosq. & apud Sanch. l. c. n. 53.
 & *Dicast. l. c. nu. 224. approbans hanc*
sententiam, illamque vocans probabilissi-
mam & magis piam: quam Val. r. 3. d.
3. q. 9. p. 4. concl. 7. appellat de fide.

Locuti autem sumus de his indigen-
 tibus, qui nec re, nec spe mora-
 li sunt habituri bona. Nam si spes
 adest, non videtur adesse ratio,
 cur & indigens possit furari, & domi-
 nus debeat absolutè dare.

3. Hastenus dictum est, quando res
 surripitur, tempore indigentia, eo-
 demque consumitur. Sed quid primò,
 si surripias tempore, quo non in-
 diges, ac deinde incidens in necessita-
 tem extremam vel gravem, illam con-
 sumas? Furaris v. g. decem aureos nu-
 diustertius, utique cum peccato, ve-
 rum hodie existens in gravi necessitate,
 puta, in gravi morbo, sine ulla spe ha-
 bendi pecuniam, illos ad vitam con-
 servandam expendas, obligaberisne ad
 meliorem fortunam rediens ad resti-
 tutionem? Quid secundò, si rem do-
 mini inveniatis habere ex justo con-
 tractu, v. g. ex deposito?

Respondeo ad primum: te obligat
 communior & sententia, quia sem-
 per remanet obligatio, ex radice delicti
 à te commissi; solum pro illo tem-
 pore, quo tu indiges, nec habes, unde
 reddas, suspenditur. Probat, inquit,
 Vasquez, quia tempore necessita-
 tis solum habet homo jus ad suam ne-
 cessitatem sublevandam; at ad hanc
 sublevandã satis est, si obligatio suspen-
 datur

datum, seu impediatur, non autem quod omnino tollatur. Nihilominus non est *b* improbabilis sententia, tunc liberans ab omni restitutione. Ratio est, quia sicuti, illo tempore necessitatis, habes jus surripiendi & consumendi, nec solum, ut dicebat Vasquez, sublevandi quomodocumque necessitatem: ita habes jus, tunc rem aliam surreptam consumendi: est enim, ac si rem de novo surriperes, quod tibi licet. Adde, dominum tunc teneri dare, ergo tu veluti de novo potes accipere: unde tunc consumens, videris sufficienter implere obligationem restituendi contractam ex delicto, cum rem consumas, perinde ac dominus tenetur velle consumi, si apud ipsum res inveniretur: Denique inferius, ut probabile docebimus, non obligari furem, rem restituere, si res perit apud ipsum, eo modo, quo peritura fuisset apud dominum, sed in casu nostro & que pecunia consumenda erat apud dominum, quia eam tenebatur huic indigenti dare, ergo &c.

g. Silvest. v. furtum qu. 5. Ang. v. furt. qu. 37. Vasq. opus. de elem. c. 1. dub. 8. n. 68. h. Per. Nav. de rest. li. 4. c. 4. nu. 24. Castrop. t. 1. tr. 6. diff. 2. p. 10. n. 3. i. inf. tr. 2. c. 2. §. 8. n. 2.

Respondeo ad secundum, cum necessaria distinctione: *l* si rem apud te habeas, ex contractu transferente dominium, v. g. ex mutuo, debes restituere, quia tunc non consumis rem alienam in necessitate illa, sed tuam, & obligatio ex contractu jam perseverat: si ex contractu, non transferente dominium, v. g. ex deposito, non obligaris

restituere, quia consumis rem domini: at contractus depositi, vel similis non obligat ad restitutionem, quando sine ulla culpa res perit, ut certe nunc sine culpa indigentis perit, ergo &c.

l. Castrop. l. c. n. 1. c. Bon. Vasq. Azor. aliosq.

Indigenti an res ipsi necessario debeat ex justitia?

4. Tertio, an extreme, vel graviter indigens habeat jus justitiæ ad res, quibus indiget, ita ut dives eas obligetur ex justitia porrigere, nec solum ex charitate, seu misericordia? id valde præstat scire, propter obligationem restitutionis damnorum, ex negatione rerum, quas dare dives forte recuset, quam restitutionis obligationem sola culpa contra justitiam, non vero contra alias virtutes, ut sæpe diximus, parit.

Respondeo, debere hic separari quatuor quæstiones, quas quia nonnulli clare non separant, valde confuse loquuntur.

Prima quæstio est, quodnam jus indigens habet in rem, qua indiget, justitiæ, an alterius virtutis? Secunda, qua obligatione dives indigenti succurrere obligetur? jus enim accipiendi in uno, & obligatio succurrendi in altero, non semper ex eadem virtute procedunt: nam ex Religione obligor, propter votum, v. g. dare elemosynam Ecclesiæ: at Ecclesia non habet jus, nec Religionis, nec justitiæ, clam elemosynam surripiendi. Tertia, ea

tia, ea obligatio, quam habet dives succurrendi, estne etiam offerendi, an solum non impediendi indigentem, quando rem vult accipere, & solum non repetendi, quando iam pauper accepit? Quarta, si est obligatio ad utrumque, estne utraque ex iustitia? an altera ex iustitia, altera ex misericordia? His quaestionibus exactè distinctis cum satisfecerimus, facile erit, ad controversiam propositam respondere.

3. Quoad primam quaestionem, sic statud. Ipse indigens habet jus iustitiae accipiendi rem sibi modis dictis necessariam: jus, inquam, iustitiae accipiendi rem sibi modis dictis necessariam: jus, inquam, iustitiae, hoc modo, non ut statim, atque indiget, fiat dominus rei; sic enim, cum plures in mundo indigeant, omnes essent domini, quod non est dicendum; sed ita, ut statim, atque illam accipit subito faciat suam. Ratio est, quia id satis est ad succurrendum necessitati.

m De Lugo t. 1. de just. d. 16 sec. q. à nu. 143.

6. Quoad secundam, Dives non obligatur *n* succurrere, nisi ex charitate, seu misericordia. Ratio est, quia, cum res sit sua, atque ipse, antequam eam pauper occupet, sit dominus absolutus, ut dictum est, non apparet, unde obligatio ex iustitia nasci queat; adde, ipsi sunt obligari ad succurrendum, ut sic subleuet indigentem; at hic titulus misericordiae est, non iustitiae.

n Castr. l. c. p. 3. num. 2. alios refert. Less. li. 2. c. 25. dub. 12.

7. Quoad tertiam, obligatio divitis

est, tum ut offerat, tum ut non impediat. Ratio est, quia secus, non observabitur praeceptum de proximo in necessitatibus sublevando, praeceptum, inquam, illud, *Mandavit Deus unicuique de proximo suo.*

8. Quoad quartam, dico primò, hanc obligationem, quam habet dives, offerendi, non esse ex iustitia, sed ex charitate, seu misericordia. Ratio est, quia ipse non obligatur, nisi succurrere, ergo non nisi ex motivo succurrendi; at motivum succurrendi est sublevatio indigentis, quae est motivum misericordiae; ergo non obligabitur, nisi ex motivo misericordiae.

Dico secundò, eandem obligationem, quam habet dives non impediendi indigentem ab occupatione rei ipsi necessariae, esse ex iustitia. Ratio est, quia sicut indigens habet ex sua necessitate jus ad occupandas res, quae sub nullo sunt dominio, & contra iustitiam faceret, qui jus illud per vim impediret, sic habet idem jus ad occupandas eas res, quae sunt sub dominio alicujus, quia in necessitate omnia sunt communia, & primi occupantis, perinde prorsus, ac si ea essent sub nullo dominio.

Dico tertio, obligatio, quam habet dives non repetendi, seu non resumendi res, quas indigens pro sua necessitate sublevanda occupavit, est ex iustitia, quia, ut vidimus n. 5. post occupationem indigens fit dominus rei occupatae.

9. Ex dictis jam colligis, divitem, si cibum v. g. non offerat indigentem, non obligari ad resarcienda damna secuta, si fortè is fame moriatur, quia

tunc dives contra charitatem peccat, non contra justitiam: obligari autem, si vi impediatur à sumendo, vel si cibum jam ab indigenti occupatum per eandem vim repetat, quia tunc peccat contra justitiam.

CAPVT SEPTIMVM.

De continuitate peccati furti in eo, qui non restituit.

DE hac re, ea, quæ dixi in Methodo *a* confessionis, loquendo uniuersim de peccato habituali, satis superque sunt pro praxi: ea igitur legere ne graueris.

a in Meth. Conf. lib. 2. c. 1. §. 7.

CAPVT OCTAVVM.

De emptione rei furtivæ.

Sermo hic est de emente mala fide: licet autem, qui dubius est, rem esse furtivam, & sub hoc dubio emit, sit etiam sine controversia emptor malæ fidei, quia debuit prius indagare veritatem; secus, culpabiliter rem illam contrectat, tamen non statim ac habetur rumor vel suspicio, quod, qui vendit, soleat res furtivas vendere, iudicandus est injustus venditor, sed debent rationes alicujus momenti id persuadere, quia nemo, nisi constet, præsumendus est, delictum committere.

2. Iam verò duplici modo se habere is potest, qui rem ejusmodi furtivam emit: primò, animo sibi retinendi; secundò, animo reddendi illam domino, à quo pretium suum recipiat.

3. Si se habeat priore modo, præter peccatum furti, debet illam rem domino restituere, ut nimis est clarum, etiam si multo pretio eam emisset, & etiam si hoc pretium à suo venditore nequaquam esset recuperaturus, ratio est, quia, qui dolosè agit, dignus est, ut amittat rem & pretium.

4. Hinc fit, ut ipse fur, qui accepto pretio rem furtivam vendidit, & eandem consignavit ei, qui sciebat, rem esse furtivam, si facti ipsum poeniteat, non debeat reddere pretium ipsi ementi, sed domino *b* rei: ratio est, quia dum ipse emens sciebat, rem illam furtivam esse, sponte & culpa sua se subjecit periculo amittendi pretium & rem.

b. Mol. t. 3. d. 330. n. 3.

5. Sed emergunt duæ non passim obviæ difficultates. Prima est, an si dominus jam ab emente recuperavit rem suam, possit fur retinere sibi pretium habitum ab emente, quandoquidem diximus, pretium reddi non debere ipsi ementi? Respondeo: Sane tunc æquitas non vult, ut latro detestetur aliena pecunia; quare in eo casu reddere debere pretium emptori, & ita iudicandum fore à Iudice, etiam in foro externo, mihi dubium non est.

Quod si fortè dominus habuit jam pretium suæ rei ab ipso fure, non est justum, ut idem dominus habeat etiam rem ab emente, sed vel reddat pretium ei, cujus est, suam rem repetendo, vel rem relinquat ei, qui pretium solvit.

6. Secunda: quisnam primo loco debet restitutionem facere domino, fur qui vendidit, an emptor malæ fidei? Respondeo, si res in individuo

existat

extat apud emptorem, ipsum debere primo loco restituere, certum fit, quia res, ubicumque invenitur, domini est, adeoque ipsi reddenda: at si emptor eam jam consumpserit, vel sine spe recuperandi alienaverit, major est dubitatio, quia uterque personaliter obligatur ad faciendam æqualitatem cum domino. Puto (ut iterum dicetur, cum de ordine restitutionis) emptorem: ratio est, quia qui rem destruit, omnium maximè domino nocet.

7. Si posteriore modo se quis gerat, emat nimirum rem furtivam, animo eam reddendi domino, utatur hac universali regula: *c* toties licitè potest quis rem, sive certo, sive dubiè furtivam, à fure, quocumque pretio emere, ut tradat domino, quoties sic emendo utiliter negotium domini gerit: & tunc dominus pretium illud, sive parvum, sive magnum, obligabitur, si rem suam velit, dare emptori. Ratio regulæ est, quia ex omnibus legibus, licet cuique, benefacere proximo, & ex alia parte, non est defraudandus suo is, qui negotium utile alterius gerit.

c Sane. li. 2. de matr. d. 41. nu. 29.
Castrop. t. 1. tr. 2. d. 3. p. 3. nu. 4. Less.
li. 1. c. 14. d. 3. n. 19. Mol. t. 2. d. 721. n. 3.

8. Hinc fit primò; si rem furtivam modico pretio emas: secundò, si iusto, quando dominus propter affectum ad rem suam, vel ejus necessitatem, justum idem pretium ad eandem suam rem recuperandam contulisset: tertio, si etiam excessivo, quando parvi modo alterum tantum dominus solvisset pro re sua: fit, inquam, ut tu possis sic emere, loco domini, & sic,

utpote qui ejus negotium utiliter gessisti, tuum pretium recuperabis.

9. Fit contra secundò, ut quando ejusmodi affectu circa rem suam dominus caret, non obligetur ad dandum tibi pretium, neque justum, neque excessivum, si eo pretio emisti, sed solum ad dandum modicum, à prudenti viro secundum varias circumstantias, in præmium tuæ diligentia vel industria, taxandum.

Ratio est, quia radix unde dominus pretium dare debet, est, quia utiliter ejus negotium gessisti: at non utiliter agitur pro domino, si is cogatur emere justo vel excessivo pretio rem suam, qua fortasse libentius caret, quàm tanto pretio eandem redimat.

10. Unum difficile hic se offert: si tu inculpate judices, dominum habete ejusmodi affectum, seu necessitatem, re vera tamen non habeat, obligabiturne dominus, rem à te pluris emptam eodem excessivo pretio redimere? obligari, sentit Lessius, *d* quia bona fide emptor se credidit utilem gestorem negotiorum domini. Non obligari, tenet de Lugo, *e* quia utilis gestor vere emptor non fuit. Eac enim, putasse, rem à domino æstimari, ut centum, cum æstimeretur ut duo, verteturne in damnum domini, ignorantia & error emptoris, ut idem dominus centum dare cogatur?

d Less. li. 2. c. 14. n. 20. e *De Lugo*.
l. 1. de just. d. 17. sec. 1. n. 4.

11. Equidem unum inquirò à De Lugo; si parvo pretio rem domini recuperem, sed deinde dominus verè & sine fraude (quod ex circumstantijs à prudenti viro erit colligendum)

inveniat, rem illam ne parvo quidem eo pretio aestimare, privabiturne suis medicis illis expensis emptor? Non puto privandum, quia, licet dominus sic per accidens sit affectus, prudenter per se egit & utiliter negotium illius emptor. Non ergo est omnino Lessij doctrina à Delugo repellenda: sed sit huiusmodi regula, utrosque concilians: tunc debet pretium, quamvis excedens, dominus dare emptori, quando emptor non temere, sed prudentibus innixus fundamentis iudicavit, se bene gerere negotium domini, illud excedens pretium latroni offerendo, & in hoc casu intelligendus est Lessius: secus vero, non debet; quando scilicet imprudenter; in quo eventu intelligendus est loqui DeLugo. Ratio regulæ est, quia hac distinctione posita, vere & per se dicitur utilis negotiorum gestor.

12. Petes. Licet emetur ejusmodi res furtiva incerti domini, eo animo, ut si appareat dominus, illi tradatur; si vero non appareat, retineatur ab emptore? Respondeo, licite emi & retineri, modo non negligatur moralis diligentia inveniendi dominum, cui dare, si is appareat, omnino debes, recuperato tuo pretio, juxta modo dicta.

Vnum valde notandum. Nam si justo, vel excedenti pretio rem illam, v. g. vestem à fure dicto animo emisti, totam vestem, nullo apparente ejus domino, retinere licite vales. At si emas modico pretio, an debeas, quod deest usque ad justum, expendere in usus pios, sicuti aliqui censent de om-

nibus rebus incerti domini, colligetur ex dicendis inferius. *f. Certe ad usus Ecclesiarum solent, ut audio, applicare Christiani calices, ac suppellectilem sacram, quando ea, quamvis modico pretio, emunt à pyratibus infidelibus, quo pacto suæ obligationi faciunt, sine controversia, satis.*

f. infr. tr. 4. c. 1. §. 3. nu. præsertim 31.

Si res à te parvo pretio redempta, cum animo reddendi domino, fuit dubie furtiva, potes post adhibitam diligentiam (quam omnino adhibere teneris, quia secus, ut diximus n. 1. esses possessor malæ fidei.) potes, inquam, si veritas nequeat cognosci, sine ullo onere tibi retinere: jam enim tunc incipis esse bonæ fidei possessor.

13. Quando spes nulla apparet, quod dominus rem suam recuperare possit, quia nimirum, si tu non emisisses, emisissent alij, qui nunquam domino reddidissent, puto, te posse illam emere vilissimo quocumque pretio, & tibi retinere, sine onere dandi quid pauperibus. Ratio est, quia tunc dominus pro derelicta debet rem suam habere. Lege Lessium, g qui ex hoc capite excusat eum, qui merces captas ab hæreticis, publico mercatui expofitas emit.

g. Less. li. 2. c. 28. dub. 11. nu. 135. cui adde Mol. r. 1. d. 118.

14. Quid, si deinde, fortuito casu, appareat certus rei dominus? Respondeo, recuperato à te pretio tuæ industriæ, ipsi rem esse reddendam, quia res ubicumque & quomodo-cumque inveniat, domini est. Sed forrasse.

fortasse non videbitur alicui improba-
bile, posse saltem aliquando retineri.

Nam si eiusmodi fuerunt circum-
stantiæ, ut dominus verè illam rem
pro derelicta habuerit, jam domini-
um illius à se abdicavit, h atque adeo
ad illam jus amplius non habet. Ad
discernendum autem, quando rem
suam dominus pro derelicta habeat,
ita ut eiusmodi res sub nullius domi-
nio sit, & consequenter sit primi occu-
pantis, hanc regulam in simili habet
Delugo. i Quando, inquit, sive ra-
tione temporis longinqui, sive alia-
rum causarum æquivalentium, puta
loci distantia, potentia furis, rei utili-
tas &c. res item sit extra potestatem
domini, ita ut ab illo non possit ullo
modo recuperari, eo ipso censetur jam
domino carere. Hæc in gratiam huius
probabilitatis: tamen quia regulariter
non præsumitur dominus absolute
rem suam velle pro derelicta habere,
sed sub conditione, donec sit modus
eam recuperandi, cum nemo præsu-
matur, suas res, propter quamlibet
vulgarem difficultatem recuperandi,
velle profus amittere, ideo apparenti
domino res erit regulariter modo di-
cto restituenda. Vide, quæ dicam tr.

3. c. 2. §. 8. n. 12.

h l. infr. tr. 4. c. 1. §. 3. num. 4. i
De Lugo de just. t. 1. d. 6. sec. 10. num.
100. & sec. 12. n. 140

15. Illud concedo, posse nos sequi,
cum Lessio i & Molina, l tibi jus
competere petendi à domino illud
pretium, quo rem emisti à dictis la-
tronibus, si illam velit; qui si nolit
pretium illud dare, eam tibi poteris
retinere. Ratio est, quia cum nulla sic

fiat injuria domino, imò ejus negoti-
um bene geratur, censetur is consenti-
re in tuam emptionem, & voluisse,
ut potius res fieret tua, cum onere, ut
eam (reddito tibi illo pretio) sibi resu-
meret, quam omnino irrecuperabi-
liter amittere.

i Less. l. 2. l. Mol. l. c.

16. An qui rem bona vel mala fide
à fure emit, vel dono accepit, possit a-
liquando eandem reddere furti, dice-
tur tr. 3. c. 3. §. 2. & 3.

CAPVT NONVM.

*De peculiaribus quibusdam furtis in lu-
dendo, venando &c.*

DE his, non solum quæ ad fur-
tum restitutionemque perti-
nent, hic subjiciam, sed etiam,
quæ ad eorum completam faciunt tra-
ctationem, ut scilicet uno contextu to-
ta eorundem cognitio habeatur, & ne
eodem, cum molestia lectoris, meo-
que labore iterum reverti cogar.

§. I.

*De furtis & obligationibus lu-
dentium.*

LVDUS est certamen à quod-
dam susceptum ad competen-
tem animi oblectationem, cui,
ne frigeat, solet adjungi pactum seu
contractus quidam, ut victori res ab u-
troque exposita approprietur.

2. Et quidem certum sit primo,
ludum ex se non esse illicitum à spe-
ctareque ad virtutem Eutrapeliæ seu
affabi-

PP 3

affabilitatis: ex se, inquam, nam si adfit periculum blasphemia, rixarum, furti &c. esse illicitum, ignorat nemo. Nec item est illicitus ex eo præcisè, quod fiat ex intentione lucrandi, siquidem affectus lucri moderatus, si intendatur media via justa, ut fit etiam in alijs contractibus, illicitus nequaquam est.

a *S. Th. 2. 2. q. 168. ar. 2.*

3. Certum sit secundò, aliquos ludos legibus esse *b* prohibitos, nempe eos, in quibus magis fortuna, quàm ars dominatur, ut ludus alearum & taxillorum esse solet. Quoad laicos tamen, secluso alio periculo, ire contra has leges, non est mortale: saltem ob præscriptam illarum legum desuetudinem. Quoad Clericos, si sint beneficiarij, vel in sacris, vel Monachi, quando sunt aleatores per modum habitus, putat Sanchez, *c* esse mortale. Dico (aleatores per modum habitus) nam contra hos videntur *d* Canones loqui. Quare excusabitur mortali, qui semel aut bis, aut ter luserit, aut si crebro, non tamen per longum tempus. Silvester & Cajetanus apud Dianam *e* excusant omnino hos Clericos & Monachos, quantum est ex vi juris positivi, quia æque id proprijs in desuetudinem abiit. Semper excipit, nisi in Diocesi sit aliqua peculiaris constitutio ludum graviter prohibens.

b *l. Mol. tr. 2. d. 521. Rebell. 2. p. li. 12. qu. 7. Less. l. c. c. 26. Val. p. 5. c. Sanc. t. 1. conf. li. 1. c. 8. dub. 28. d. Rebell. l. c. e Diana p. 4. tr. 4. ref. 183. legatur Mol. d. d. 521. n. 6. & idem Diana p. 7. tr. 2. re. 3.*

4. Certum sit tertio, antecedenter ad ludum debere abesse fraudem, ac dolum. Quare si positivè fingis te imperitum ludendi, obligaris ad restitutionem. Notat autem Rebellus *f* si tua peritia ignaro ludendi tanta sit, ut extra orane periculum semper lucraturus sis, teneri te ad restituendum totum, quod lucraris: si vero in duplo vel triplo minori periculo perdendis, non teneri, nisi ad dimidiam, vel ad tertiam partem &c. Sed certe probabile est, *g* si ve noscatur, si ve non noscatur peritia vel imperitia alterius, nec inde oriri obligationem restitutionis, si sine positiva fictione seu fraude procedatur. Ratio potissima mihi est, quia, ex more jam recepto, quilibet ex collusoribus cedit in hoc juri suo, dum suscipit sponte ludum.

f *Reb. l. c. q. 4. n. g. Sal. alijs apud Dian. p. 7. tr. 9. ref. 29. & re. 31.*

5. Quando vi, minis, injurijs, vel similibus aliquem pertrahis, ut ludat, & is postea perdit, te debere restituere acquisita per hunc coactum ludum communior *h* fert opinio. At Bonacina *i* alijsque, satis probabiliter, non obligant pertrahentem ad restitutionem: multo minus pertractum. Ratio est, quia esto, injuriosè se gesserit pertrahens, unde hanc injuriam, si gravis fuit, satisfacere suo modo debet, tamen contractus fuit justus; æque enim collusor uterque perdere & acquirere potuit, & æque sufficiens fuit consensus, quamvis meticulosus in altero. Addit Bonacina, à Confessarijs non solere ejusmodi pertrahentes obligari ad restitutionem.

h *l. Dian. p. 2. tr. 7. ref. 27. & p. 4. t. 4. ref.*

l. 4. ref. 169. i. Bon. d. 2. de rest. in part. 9. 2. p. 2. n. 9. cui adde Dic. Trull. Hurt. cit. à Diana p. 7. tr. 9. ref. 12.

6. Certum sit quartò, à ludo ipso debere omnem fraudem exulare: quare si ea utaris contra ludi leges, teneris reddere tum id, quod lucratus es, tum quod victus à te certo (vel si probabiliter, pro rata probabilitatis) lucratus fuisset. Fraus autem esset, si chartas suffureris; si eas signis notes. Si ludas tertio quodam admonente de punctis adversarij, si decipias in numerandis calculis vel pecunia &c. Quando est dubium, an alter lucratus fuisset, alibi diximus. l

l. sup. li. 2. c. 3. §. 7. v. ludus.

Illud certe est probabile, eum, qui vicit ludentem usurpantem fraudes, posse justè, quæ vincit, *m* retinere. Ratio est, quia ipse ex parte sua sincere ludit, ergo non est propter culpam colludentis lucro suæ victoriæ defraudandus.

m. S. Th. Silv. 5. Ant. aliq. excepti accitati à Diana p. 4. tract. 4. ref. 169. contra Victoriam, Garç. Alcozer & alios.

7. Dixi autem (contra legem ludi) quia aliquæ fraudes, seu astutiæ permittuntur, v. g. quando habes talem sortem, seu tale ludi initium, ut omnino victurus sis, duplices tamen sponsonem, vel quando non habes, unde sis certo vincendus, pari modo duplices, ad deterrendum adversarium &c. sæpe etiam alicubi usu receptum est, ut quando quis se decipit in numerandis calculis, sibi imputet.

His certis positis ad peculiare quasdam explicationes descendamus,

Ludere pecunia, sive numerata, sive credita.

8. Dicendum est primò, furtum non committere *mm* eum, qui acquirit aliquid per ludum, etiam prohibitum, atque adeo nec obligari ad restitutionem, nisi post sententiam iudicis. Ratio est, quia leges (loquimur de locis, ubi viget jus commune) solum concedunt ei, qui perdidit per ludum vetitum, repetitionem in iudicio, & negant victori actionem, si forte perditor nondum solvit, idq; in pœnam: at pœnam nemo tenetur solvere, nisi post sententiam.

mm Mol. d. 523. Less. l. c. n. 17.

9. Hinc in ludo vetito perditor, qui solvit numerato, non potest ante sententiam occultè per compensationem aliquid sumere à victore, quia hic nihil debet ante sententiam. Solum ergo, qui dedit, poterit comminari repetitionem, imo & pacisci cum victore, de recipiendo aliquid in pretium, quod juri suo cedat non repetendo.

10. Quæres: si perditor non habeat animum repetendi à iudice, sed paciscitur tamen, id fingens, potestne retinere, quod exigit, ne repetat? Respondeo, Molina hunc non esse tutum ait in conscientia, si retineat. Puto tamen, esse tutum, quia vere habet jus repetendi, potestque repetere; cui juri vere cedit, quod est pretio æstimabile.

11. Dicendum est secundò: qui ludo prohibito lusit credita pecunia, potest *n* non solvere. Ratio est, quia quamvis præsciendò à jure communi

communi positivo, deberet solvere, unde in locis, ubi non viget jus commune, omnino debet: tamen jure hocposito, non tenetur: siquidem, quod fit circulo illo, (ut nimirum prius solvat, & deinde per judicem repetat) potest per se facere, cum moraliter idem sit; multo magis, si in judicio, ex defectu probationis, timeatur vel mora magna, vel negatio justitiæ. Neque dicas, hæc est pœna, ergo debetur post sententiam: nam respondeo, ita quidem esse, tamen, cum retineretur rem meam ante, vel accipere post sententiam, re ipsa æquivalent, non est injustitia, alterutrum modum eligere: aliter respondent alij.

n. Mol. d. 523. & 524. Less. l. c. Sotus Navar. Tol. contra Medinam, & Sal. apud Bartol. S. Fausti, loco max citando. q. 12. o. In tota Gallia, Hispania, Anglia, & ferè tota Italia jus commune Casareum non vigere docet Bartol. à S. Fausto in speculo Conf. d. 32. q. 5. n. 5.

Quod si quis fortè juravit, se solviturum, tenetur solvere, ob reverentiam juramenti, licet possit deinde repetere: at si etiam juravit, non repetere, posse ante absolutionem juramenti, alibi p. dictum est.

p. sup. lib. 3. in dec. c. 2. §. 5. à n. 6.

12. Carolus V. pro Regnis Hispaniæ tulit legem, prohibentem ludere credito, etiam ludis alioqui permisis, & insuper irritas & nullas effecit quas cumque promissiones & obligationes ex quo fit, ut intra Hispaniam, etiam in ludis permisis, non teneatur quis solvere, quod credito perdidit, cum

ex jure communi solum non teneatur in prohibitis.

Petes. Si uterque ludens renunciaret legi concedenti, cedatque juri suo, poteritne alteruter non solvere, & solutum repetere? Respo deo, si non intercessit juramentum, potest, quia huic juri facto in favorem boni communis cedere nullus valet; si intercessit juramentum, videndum est, an juramentum contra leges positivas obliget, de qua re nos fusè in superioribus q. disputavimus.

q. sup. lib. 3. cit. c. 2. §. 3. à n. 39.

13. Dicendum est tertio; si quis, cum luserit credito, solvat id, quod amisit, posse victorem illud justè retinere. Ratio est, quia lex solum concedit, posse repeti, & non vero non posse retineri; & saltem ita consuetudo optima legum interpres explicuit, Consonat, quod dixi n. 9.

r. Mol. l. c. licet contrarium sentiat Rebell. l. c. q. 8.

Ludere cum animo non solvendi, vel non solvendi nunc.

14. Si quis five credito, five numerata pecunia, animo non solvendi ludat, atque id alter ignoret, non poterit retinere, quod lucratur. Ratio est, quia contractus fuit inæqualis, alterum decipiendo: suppono enim, collusionem similem animum non habuisse; si quis ludat, animo non solvendi nunc, colliges ex dicendis mox, n. 17.

Vincere plus, quam amittere.

15. Si ludatur pecunia numerata, quarè

quari potest, an alter vincere, plus quam habeat, possit? v. g. habet quis solum quatuor, potestne sine iniustitia vincere octo vel plus? Respondeo, uno jactu, & cum una persona non potest, quia contractus non esset æqualis, si solum potest perdere quatuor, sed vult vincere octo.

¶ *l. Soc. in 4. qu. 5. ar. 2. Aragon. 2. qu. 32. ar. 7. Alcozer tr. de Ludo, c. 16. alij.*

16. Dixi (cum una persona) siquidem quando sunt plures colludentes, v. g. sex, & singuli ponunt v. g. quatuor, poterit victor uno jactu vincere viginti à quinque suis collusoribus.

Dixi item (uno jactu) nam in toto ludo distingui solet, & Si enim tu fingas, habere multum pecuniæ, decipiasque alium, qui putat te habere multos nummos, teneris restituere illud plus, quod lucratus es. At vero si nihil fingas, non teneris. Ratio est, quia in priore casu tu illum fallis, in posteriore ipse se decipit. Verum cur eadem distinctio adhibita non est, quando agitur de uno jactu?

¶ *Id debent docere Sanc. Lopez, Beja, Tol. alij, cit à Diana p. 1. tr. 8. ref. 67. dum ajunt, posse vinci plus, quam quis potest perdere.*

17. Expediunt igitur dic, id, de quo disputamus, in praxi raro contingere. Nam quamvis lusor non habeat actu, nisi v. g. quatuor, habet tamen potentia, cum possit regulariter ab alio sibi mutuare, atque adeo perdere credito; sed absit fraus nolendi deinde solvere; hoc enim pacto clare esset iniustus contractus, ut dictum est nu. 15.

Neque obstat, pactum fuisse de lu-

dendo numerata pecunia; non obstat, inquam; nam si re vera sim deinde pecuniam ex mutuo, vel ex aliqua alia ratione habiturus, eamque colludenti sincere soluturus, non est, unde iudicer, pactum graviter infringere. Quæ doctrina etiam videtur vera in ludente pecunia prorsus nulla, sed cum animo, ut si perdat, sincere soluturus propediem sit.

Ludere cum his, qui alienare nequeunt.

18. Qui cum his ludit, & peccat, & restituere tenetur, quod lucratur. Rursus ij, qui nequeunt alienare, quia pecuniam propriam non habent, quam collusori forte victori solvere possint, tenentur eidem collusori restituere, quod lucrati fuerint.

Ratio hujus dicti posterioris est, quia non inierunt contractum æqualem, dum vincere voluerunt, sed perdere non potuerunt. Ratio prioris est, quia acceptarunt rem alienam, invito domino. Excipe, nisi collusor sciat, illum alienare non posse, illum esse, v. g. filium familias carentem peculio; tunc enim restituere filius familias non tenetur, ut quod vincit, quia collusori scienti & volenti nulla facta est iniuria.

¶ *u Sayr. Henr. Azor. Bon. apud Dian. p. 1. tr. 8. ref. 67.*

Iam percurramus singulos, qui alienare nequeunt.

Filius familias, quid possit in ludis expendere, dictum superius est, & unum tangam mox nu. 27.

19. Vxor potest perdere, primo bona para-

na paraphernalia : secundo ea, quorum habet liberam administrationem : tertio, quæ vir tacite vel expresse concedit : tacite autem concedere censetur ea, quæ similes mulieres ejusdem conditionis solent ludo exponere, vel in alios usus pro suo arbitrio consumere, ut superius a suo loco diximus.

a sup. tr. 1. s. 2. §. 3.

20. Maritus, in scia nolenteque uxore, ea exponere ludo potest, quæ sunt liberè sua : quare quamvis non raro peccet, etiam in his exponendis, peccato contra filiorum charitatem, & familiæ, si propter ludum ijs graviter necessaria desint, tamen colludentes, si vincant, non obligantur ad restitutionem, quia à potente alienare pecuniam accipiunt. Quæ vero ad uxorem pertinent, ludo committere, ea invita, maritum non posse, nimis est manifestum, de quibus bonis dictum est satis, dicto tr. 1, cap. 2. §. 3.

21. Servus potest ludo exponere peculium, id est, ea, quæ sub suo pleno dominio sunt : quæ autem sint ejusmodi, vide superius dicto cap. 2 §. primo.

22. Quid de famulo, qui ludit pecunijs, quas depositas apud se habet, domini sui? Idem quare de depositario non famulo,

Respondeo, vel de peccato interrogas, vel de obligatione restitutionis.

23. Si de primo, peccat, quando dominus esset graviter invitus, quia injuria est, te re mea velle uti, me repugnante. Quoniam vero, quando nullum damnum evenit domino (ut si famulus promptus est in reddendo

deposito, ut primum dominus illud poposcerit) non est gravis rationabiliter injuria, ideo tunc erit à peccato saltem mortali depositarius excusandus. Idem certè b solet concedi famulo, si is pari promptitudine reddendi, sine ullo domini damno, negotietur pecuniam ejusdem apud se depositam, applicando sibi lucrum.

b sot. aliq. apud Reb. 2. p. qu. 4. num. 22.

24. Si de restitutione loquaris, erit distinguendum : c si enim nomine suo famulus illam pecuniam ludo committat, debet quidem eam reddere, non vero, quod ex ludo lucratur.

c Reb. l. c.

Ratio est, quia sicuti damno suo ludit, sic lucro suo acquirit : at si nomine domini, utrumque debet, sortem quia est domini ; lucrum, quia domini nomine acquisitum est.

25. Religiosus vel ludit cum consensu superioris, sive tacito, sive expresso, vel sine consensu. Si sine consensu, dico primò, certum esse, ipsum contrahere obligationem restitutionis, tum illius, quod ipse lucratur, quod certe debet restitui collusori ; tum illius, quod idem Religiosus perdit, quod à victore debet monasterio restitui, & in victoris defectu ab ipso met Religioso de proprio peculio, si illo fruitur, vel alio simili modo, ut de Religioso furtum committente dicitur universim inferius. d Ratio hujus dicti est, quia contractus est nullus, ut ex dictis patet.

d infr. tr. 4. p. 1. §. 1.

Si cum consensu Superioris ludit Religio-

Religiosus, dico secundò, non esse obligacionem restitutionis, quia contractus est validus, possitque esse utilis monasterio.

Inquires: potestne Religiosus consumere ludo, quod habet tacite, vel expresse à Pralato in suam honestam recreationem? id, quod etiam potest quari de Religioso, qui ad scientias v. g. discendas, vel ad alia negotia sustentatur extra monasterium; debet enim & is habere aliquid proportionatum in suam honestam recreationem.

Respondeo; Rebellus docet, tunc nullam esse obligationem restituendi, quia Pralati, etiam si prohibent ludum suo Religioso, solum sunt inuiti in modo, non in substantia alienationis; iam enim concedunt, eam summam alienari posse in recreationibus, quam summam esse quatuor vel quinque aureos ex centum annuis, docet idem Rebellus. Contra, Rodriguez f ait, semper adesse obligationem restitutionis, quia nunquam præsumitur Pralatorum licentia, ad expendendum in ludo. Sed est distinguendum: si ludus sit prohibitus, & indecens statui Religioso, puto cum Rodriguez, numquam præsumi licentiam, ne ad substantiam quidem: quare tunc adesset, præter peccatum, onus restitutionis: si sit licitus & honestus, cum præsumatur licentia, saltem quoad substantiam alienationis, utrumque onus peccati & restitutionis evitabitur.

e Rebel. l. c. q. 4. n. 6. f Redr. r. 2. q. Reg. 28. ar. 3.

27. Quod dico de Religioso, dictum intellige de filio seculari, ludente cum

pecunijs paternis: solum addo, in patre seculari, præsertim nobili ac divite, facilius, & fortasse semper præsumi, patrem non esse invitum, quoad substantiam, licet sit quoad modum, si filius amittat, etiam in ludo prohibito, illam quantitatem concessam tacite in recreationem, quia minus seculares patres ad hanc prohibitionem attendere solent, quam Pralati Religiosi.

Fures ludentes.

28. Fur & usurarius, similesque, vel ludo exponunt eandem rem numero, quam furati sunt, vel ejus pretium: si primum, collusor, qui, etiam bona fide lucratur, debet, ubi furtum cognovit, rem domino, non ipsi furi, vel usurario (quidquid alij g dicant) restituere, quia dominium rei ablatæ semper remanet apud dominum: facta autem hac restitutione, fur tenebitur, æstimationem rei ipsi collusori restituere: nam contractus ludi fuit justus & validus, unde justè collusor illam æstimationem acquisivit. An ut recuperet, quod justè jam vicit, possit collusor rem reddere furi, colligi potest ex dicendis tr. 3. c. 3. §. 2. & 3.

g innominati apud Reb. 2. p. 9. 4. nu. 15. h. Mol. d. 518.

29. Quod si collusor sciebat, rem fuisse furtivam, & nihilominus lusit, Molina l. negat, furem debere restituere collusori illæ rei æstimationem, quia contractus ludi fuit nullus, utpote de re scienter aliena.

l. Mol. d. 337. n. 6.

30. Si secundum, id est, si à fure

Q. 9. 2

committit

committatur ludo pretium rei ablatæ, tunc si non habet fur alia bona, collusor, qui, etiam bona fide lucratur, tenetur, re cognita, restituere dictum pretium, quia contractus ludi fuit nullus, cum illud rei pretium omnino solvi debuerit domino, & consequenter ludo exponi à fure non poterit. At si fur alia bona habet, non tenetur *m* collusor, quæ vicis, restituere, quia fur potest per alia hæc bona furto satisfacere, atque adeo exponendo illud pretium, validum fecit ludi contractum. Hinc etiam fit, ut in hoc posteriore casu, si fur ipse vincat, non teneatur restituere collusori, quod lucratur; teneatur in priore, quia in posteriore contractus fuit validus; at fuit in priore nullus. Faciunt huc, quæ dicam tr. 3. c. 3. §. 4. n. 26.

m Bonac. d. 1. de rest. in particul. q. 2. p. 2. n. 18. alios citans.

Cooperatores ludi; ubi de loco, quem appellamus Barattaria.

31. Qui domum, mensam, taxillos, chartas, similiaque subministrant ad ludum, peccant mortaliter, si ludus sit mortalis, quia illi cooperantur; ut taceam interim, hanc subministratorem multis in locis esse lege prohibitam. Tenentur *n* etiam ad restitutionem rerum ibi perditarum, si perdantur fraudibus, aut ab ijs, qui alienare non possunt. Tenentur autem secundo loco, id est, in defectum colludentium, ut ex infra dicendis colligetur. Cum autem hæc subministratio sit ex se actio indifferens, possit e

ex rationabili causa excusari à cooperatione peccati: sed quia est in materia justitiæ, causa debet esse major, ut alibi diximus, *p* quàm in cæteris; utique, omnibus expensis, proportionata actioni.

n lege Navarr. in Man. c. 20. n. 15. Reb. l. c. 9. §. 5. sec. ult. n. 5. Mol. disp. 521. n. 5. & d. 233. n. 3. o. Delugo t. 2. de just. d. 19. sect. 2. §. 4. n. 70. p. Sup. li. 5. c. 1. §. 4. à n. 15.

32. Appendix prædictorum est illa quaestio, an Princeps licitè possit concedere vel permittere licentiam liberam exponendi domum (*Barattaria*) ad ejusmodi ludos? & absolute negativè *q* respondemus, quia æque cooperaretur ad ea damna, quæ non sunt à Principe permittenda.

q Sanchez, Trullench. alijs, apud Dianam p. 7. tr. 9. ref. 39.

Dices, permitti solent meretrices, ergo & hujusmodi lusoria domus. Respondeo, adesse manifestas disparitates. Nam primò, majora mala timeantur in Rep. ex peccatis contra justitiam, quam contra castitatem: secundò, Princeps non debet esse tam sollicitus de peccatis ex se occultis: tertio, facilius abstinetur à prædictis injustis ludis, non data commoditate, quàm ab impudicijs, quæ, ne peiores committantur, si meretricium prohibeatur, merito timeatur.

33. Excipit Diana *r* ludum (*Barattaria*) & ludum *Capo di Guardia*. Hos enim posse principem permittere, concedit, propter rationabiles causas. Nam prior mandat Remp. hominibus perditæ vitæ, posterior tollit

militum

milium otium. Sed in hoc posteriore adverte, illuc solos milites, non vero alios debere confluere; secus, jam non esset ad levandum dumtaxat militum otium, & rediret doctrina data nu. 32.

1 Dian p. 2. t. 15. m. 45.

34. Superioribus hisce diebus agitatum fuit, an viro nobili liceret in domum suam, non quidem populares quoscumque, sed similes sibi Nobiles ad ludendum admittere, iisdemque aleas, & similia subministrare? Distinctum à me fuit, si omnibus expensis ludus est licitus, nec timentur illa inconvenientia blasphemiarum, nec pecuniæ paternæ vel uxoriæ, vel alienæ consumptio &c. sed mera otij sublevatio, licere: sicuti licitus est ipse ludus. Si contra, nullo modo, quia jam redirent dicta numeris precedentibus.

35. Inquires: hi ministrantes mensam, chartas, imo & aquam vinumve frigida, & similia ludentibus, possuntne sine onere restitutionis retinere excessum pretij, quem communiter pro dictis rebus accipiunt ab iisdem? Respondeo, probabile est, non posse, præscindendo ab alio inconvenienti. Ratio est, quia quando quis scit valorem rei, & tamen necessitate non compulsus, nec vi, metu, dolo actus, illam majori pretio emit, judicatur, & excessum velle liberaliter donare: multo magis, si res agatur inter consanguineos & amicos. ita autem regulariter est in casu nostro. Idem confirmat ex Sà: *p* qui pro re emptâ (inquit) plus justo dat, sine vi, fraude ac errore, præsumitur donare.

n Dian. p. 5. t. 14. ref. 29. o Navarr. Med. Reginal. Molin. ibid cit. p Sà, V. venditio nu. 2.

§. II.

Venator, piscator.

1. **A**ccipe de his breves in legis morem aphorismos. Animalia, quæ domino carent, quæ communiter sunt, quæ consuetudinem non retinent redeundi ad dominum; sive in suo, sive alieno fundo, vel mari capias, tametsi ibi prohibita sit venatio vel piscatio, tua *a* sunt, nec restitutioni subduntur: esto, si iusta sit lex prohibens (quæ etiam iusta, præscindendo à gravi aliarum rerum damno, non obligat *b* ad mortale) esto, inquam, tenearis ad poenam, si qua est, sed post *c* sententiam iudicis, & ante illam, ad dicta damna vineis segetibus, arboribus fortassis illata.

a Less. li. 2. c. 5. d. 39. Aror. p. 5. lib. 2. c. 13. qu. 2. Rebell. p. 1. lib. 1. qu. 14. Mol. d. 41. & 51. Layman. lib. 3. tr. 1. c. 5. n. 12. b Less. l. c. nu. 40. lege Castrop t. 1. tr. 3. d. 1. p. 15. num. 6. Dicastill. loco max citando n. 303. c Layman. l. c. nu. 14.

2. Pisces, cervi, cuniculi, uno verbo, feræ venabiles in locis circumscriptis, nimirum claustris, vivarijs, piscinis inclusi, ne communes creduntur: qui temere, sine domini consensu, ijs molestiam ferat, furti *d* condignam multam, etiam in foro conscientie, sustineto. Quod tamen nemo *e* docet, id solum intelligi de locis circumscriptis, ita parvis, ut do-

Q 9 3

minus

minus pro libitu feras ibi inclusas capere queat, non vero de locis ita vastis, et si conclusis, ut in ijs feras difficillime capiantur, esto probabile.

d. Laym. l. c. n. 22. & n. 19. versu, si autem. e. Dicastill. loco mox citan. nu. 312. & Joseph. lanua, apud Dian. p. 9. rr. 8. resol. 49.

3. Inter damna, quando justa est prohibitio, numerator detrimentum, quod qui prohibet, forte patitur, si te animantia captante, ipse nulla, vel pauciora captaret: non vero, si eodem illorum numero cum eadem facilitate fruereatur.

4. Si sobolem ferarum notabiliter extinxisti, vel si aquas veneno infecisti, unde mortua sit magna piscium vis, cum gravi Reipubl; vel domini damno, obnoxius esto restitutioni, tum spei lucri ablati, tum justæ oblectationis ereptæ, quam tamen oblectationis jacturam vix compensari ab ingenuo viro velle, merito præsumo.

6. Si Princeps venationem piscationemve prohibeat, ex sequentibus causis: primò, ne illæ fiant certo quodam tempore, ut quando feras sunt gravidæ, vel quando, nivali tempore, nimis multæ cum publico detrimento capi possunt: secundò, ne fiant quibusdam instrumentis aut rebus, quibus minutissimi quique pisces cum damno sobolis multiplicandæ concluduntur: tertio, ne piscatores, venatoresve, dum simul conveniunt, rixarum ac jurgiorum grave periculum pariant: quartò denique, ne civēs propria & utiliora Reip. munera negligant, nimirum agriculturam, militiam, simulque necessarias artes, lo-

gitimam esse f. prohibitionem existimato.

e. lidem DD. c.

6. Vsum jam receptum, ut quilibet possit venari in alieno agro, dum non sit septus, vel vitibus consitus, vel feminibus gravidus, tanquam i legitimum approbato.

i. Azor. l. c.

7. Si quando ab altero vulneratur, ab altero vero capitur fera, si vulnus sufficiens sit, ut fera capiatur, inséquente insuper vulnerante, ejus esto fera; secus, l. capientis.

l. Less. dub. 10. & 11. explicans aliqua jura.

8. Si eandem canes alterius inséquuntur, alterius vero capiant, simili proportione certæ vel incertæ alterutrius canum victoriæ, prædæ beneficium ascribitur.

9. Quando fera incidit in laqueum, vel retè à me paratum, si probabile fiat, eam se extricaturam à laqueo, esto alterius capientis: si vero certum moraliter sit, ad meas manus perventuram, à me illam nullus auferat: quod enim per meum instrumentum apprehendo, per me apprehensum fuisse m. censeto.

m. Mol. d. 42. Less. l. c. nu. 48. & 50. ubi solvuntur aliqua jura. Dicast. loco mox cit. dub. 12.

10. Præcis legibus municipalibus, columbæ domesticæ, cum ad dominum redire soleant, domini ita sunt, ut ab alijs aucupio rapi nequaquam possint, nisi forte nullus cibus à dominis ijs porrigatur, unde ab habitibus facta damnorum inde emergunt.

fin

sine iniustitia earum aucupio compensetur.

Verum quia eiusmodi damnum earum, & valde exiguum esse ex columbis consuevit (nam propterea lisa n columbaria reputantur) idcirco vix unquam propter eiusmodi damnum simplices columbæ alienis aucupijs subijciuntur. non ita, apibus & canibus, alienas vineas cum uvatum notabili detrimento depascensibus.

n Mol. Fal. Reb. alijq. quos sequitur citatque Dicast. li. 2. de just. tr. 2. d. 9. dub. 11. n. 319.

11. Eisdem tamen columbas ad trinum columbarium atrahere, nisi bonis artibus & sine fraude, ne liceat. Melius autem alere, commodioremque locum tuis aptare, fraudem ne vocato.

o Less. l. c. n. 28.

12. Quamvis Clericis & Monachis, nemineri suo desint, & ob decentiam, interdicta sit frequens venatio clamorosa, hoc est, equorum, canum, accipitrumque strepitu fervens, tamen præcisus extrinsecis fortè alijs incommodis, cum ex se gravis deordinatio nequaquam sit, sub mortali p ne facile eiusmodi Clericos, & Monachos illi venationi deditos reprehendito. Quietam vero, quæque raro ob honestam animi relaxationem ab iisdem assumitur, nulla q lege ipsis interdictam esse, ne ignorato.

p Laym. l. c. n. 4. afferens Cajet. Mol. Abb. Reb. Sa. q Mol. d. 44. Less. nu. 40. Dic. Gaspar Hurt. Dian. eosdem cit. p. 9. sr. 8. re. 40.

§. III.

Lignantes pascentesque.

1. DE his quoque breves proferantur, instar legum, canones.

Si pascua silvæque ad communitatem pertinent, omnes, qui ex eadem sunt, iisdem a utuntur, fruuntur. Si tamen Magistratus ob bonum publicum prohibeat, subditi non parentes, ad poenam à Iudice condemnantur, non tamen b in conscientia peccare, nec ad restitutionem obligari ante sententiam, creduntur; præterquam, si debita lignorum portione notabiliter pro concivibus diminuta, grave iisdem intulerint detrimentum.

a Mol. d. 58. & 50. Sotus li. 4. de just. qu. 6. ar. 4. Less. l. c. d. 14. Reb p. 1. lib. 1. q. 15. b apud Castrop. l. c. n. 6. & Dicast. li. 2. de just. tr. 2. d. 9. du. 13. num. 345.

2. In dubio, an silvæ atque pascua ad cives pertineant, an ad Principem, non ad hunc, sed ad illos ea spectare, certum c esto.

c Laym. l. c. n. 18.

3. Alij, qui ex ea communitate non sunt, si ligna cadant, si pascua depascant, furti criminis rei sunt, nisi à mortali, & restitutione excusentur, d vel ex probabili opinione contraria, vel ex communi consuetudine, tacitoque consensu, quo cives ex vicinis oppidis, vicissim ad quotidianos usus hæc faciant, sub illud solum periculum, ut deprehensi multam solvant: damnum tamen extraordinarium ac magnum inferentes, ab hac

hac consuetudine, vel à probabili illa opinione nequaquam excusantur.

d *Mol. l. c. Laym. l. c.*

4. Si nemora, vel pascua sub privato alicujus sint dominio, illis præter dominum, utitor nemo; usum tamen eorum notabilem non juxta proportionem eorundem in civitates asportatorum, sed secundum pretium in eodem, ubi fixa sunt, loco, & nondum sunt secta, ac forte sunt arida, (quæ certè singula valde diminuunt æstimationem) prudenter dimetitor. e

e *Mol. d. 58. versu, quinta conclusio.*

TRACTATUS TERTIUS.

De restitutione.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit restitutio, & quo præcepto jubeatur.

1. **R**estituere, ex S. Thoma a est, iterato al quem statueri in dominium, vel possessionem rei suæ. Clarius, est redditio rei accepta, vel damni illati compensatio.

a *S. Th. 2. 2. q. 62. ar. 1.*

2. Veritur autem celebris quæstio, an ea imperetur præcepto negativo, cujus natura est, ut obliget semper, & ad semper, an vero, affirmativo, cujus est, determinato tempore obligare.

3. Præmitto breviter primo; præceptum affirmativum, seu quod idem est, positivum esse de actu positivo. v. g. assiste sacro die festivo: negativum esse de negatione, seu omissione actus v. g. ne blasphemus, ne occidas.

4. Præmitto secundò, in eo, qui ex justitia aliquid debet, posse considerari obligationem, quam habet, non retinendi rem alienam, quæ est omisio actus, & posse considerari obligationem, quam habet eandem reddendi, qui est actus positivus; utrumque actum justitia præcipit. Ne retineas alienum, & Redde domino, quod ipsius est. Hæc esse duo satis distincta, patet; nam tu debes v. g. reddere famam, retractando, si alium infamasti; & tamen propriè nihil illius apud te retines. His positus.

5. Dico, præceptum restitutionis principaliter & per se, atque adeo absolute, esse de actu positivo, adeoque esse præceptum affirmativum: esto, minus principaliter, & ratione alterius, præcipiatur aliquid negativum. Ita post accuratam considerationem dicendum puto; nam alij modi loquendi, rem bene mihi perpendenti, & fortasse alijs numquam satisfecerunt. Ratio nostra est, quia præceptum restitutionis principaliter, & per se eo tendit, ut fiat à te æqualitas arithmetica cum domino rei ablata, quæ æqualitas est, per omnes, & objectum adæquatam justitiæ commutativæ, quæque non fit, nisi per ipsam positivam redditionem, & quando idem præceptum restitutionis imperat, ne retineatur res domini, ideo imperat, quia vult, ut à te rem non retinente eadem res reddatur domino; nulla enim æqualitas resultaret, si rem tu non retineres, & tamen res domino non redderetur. Dixi (à te) nam si v. g. equus ablati fugiat ad dominum, tu per non retentionem equi, non observas præceptum restitu-

restitutionis, sed solum cessat tibi, ex defectu materiae, restituendi obligatio.

b *S. Th. l. c. ar. 8. ad 1. Nau. Mob. Reb. a. p. Laym. lib. 3. tr. 2. c. 2. n. 2. contra Pet. Nau. aliosque est etiam contra Dic. lib. 2. de iust. tr. 2. d. 1. dub. 5. c. ut probat idem Dic. l. c. dub. 3. contra Suarium.*

6. Ex dictis approbare nequeo, quod docet Delugo d. dicens idem esse, restituere, atque non retinere; Nam prater modo dicta de reddente famam, & alia, quae dici possent, illud etiam ostendit, haec duo esse diuersa, saltem formaliter (quod ad nostrum intentum satis est) quia si ego intelligor quocumque tandem modo rem domini non retinere, si tamen posituè non intelligor reddere, numquam intelligar, praecipuum restitutionis obseruare; ergo &c.

d *De Lugo t. 1. de iust. d. 8. sec. 2. n. 18.*

7. Adde, si per Delugo, loco citato, idem est, non retinere, atque restituere, cur ipse ita argumentatur loco citato? Idem est dicere, Restitue, atque dicere, Non retineas; ergo restitutionis praecipuum est negatiuum; Cur, inquam, sic argumentatur? nam profecto, si idem est, sic etiam ego possem argumentari; idem est dicere, Non retineas, atque dicere, Restitue, ergo restitutionis praecipuum est affirmatiuum. Vera igitur ratio ducenda est ex fine & intentione principali & per se, ut dictum est, &c. Et certè idem videre est in ceteris praecipuis: obligor v. g. abducere equum à via, quae est actio positiua, ne puer ibi jacens conculcetur, & ne occidatur: obligor ad non manendum domi, quae est actio negatiua, ut studium Sacrum die festo, tamen nec il-

lud praecipuum, de Non occidendo, est affirmatiuum, neque hoc de audiendo est negatiuum, quia nec ibi finis, per se est affirmatiuum, neque hic est negatiuum.

8. Dices, Retinere alienum semper est peccatum; est enim, ut supra vidimus, continua quadam ablatio rei alienae; at manere domi, v. g. non est semper peccatum, sed solum, quando impedit auditionem sacri, ergo non currit paritas. Respondeo, nego non currere paritatem: utrumque enim, non ob aliam rationem obligat, nisi quia impedit actionem principaliter intentam; Retinere autem semper erit peccatum, quia Retinere semper impedit redditionem; quid enim magis impedit redditionem, seu id quo fiat aequalitas positiua, quam retentio apud se rei, qua fieri debet aequalitas? id quod non est inuenire in illa mora facta domi, quae non semper impedit auditionem sacri, nisi in tali tempore determinato, nempe die festivo.

9. Quare ipsi in Retinere non ideo semper est peccatum, quia praecipuum restitutionis sit absolute negatiuum; sed quia regulariter, ut dictum est, semper impedit huius praecipui positiui de re reddenda obseruationem; nam propterea, si non impediret, non esset peccatum, ut si retineres per aliquod tempus, quo inuenire non posses dominum &c. Et rursus praecipuum restituendi semper obligat, non quia sit praecipuum negatiuum (cuius proprium est, ad semper obligare, cum praecipuum affirmatiuum obliget solum pro aliquo determinato tempore) sed quia qui non restituit, virtualiter

continuat ipsam ablationem rei alienæ; restitutio fit semper exhibenda, est, quia siquidem non restituendo continuat, & veluti de novo aufert. Præceptum autem de non auferendo, id est, de furto non faciendo negativum esse, & ad semper obligare, nemo est, qui ambigat.

CAPVT SECVNDVM.

*De prima radice seu causa Restitutionis
qua est iniusta acceptio seu
actentio.*

§. I.

Premittitur Regula generalis.

1. **Q**uamvis ad duas reducant varias restitutionis radices rectè Theologi, nos tamen ad plures reduximus, claritatis gratia, superius *aa*. Incipimus ergo à prima, quæ est iniusta acceptio.

aa sup. int. hujus lib. 8. nu. 1.

2. Regula generalis *a*. Qui per actionem externè iniustam, ac per culpam Theologicam gravem, proximi rem accepit, statim illam totam, seu totum ejus valorem restituere domino obligatur, etiam si ea res non extet, sed quomodocumque perierit. Hoc ultimum (etiam si non extet) maximè est advertendum in hac radice: nam in alia, quæ est ex re accepta, si res non extet, sed bona fide consumpta invenitur, non est aliquid restituendum, nisi illud, in quo factus sit quis locupletior, ut mox suo loco explicabitur. Ratio autem, cur ex præsentī radice

a colligitur ex Doctrina ac DD. mox.

3. Porro in hac regula tot sunt, ut ita dicam, mysteria, quot verba; primò dicitur, per acceptionem iniustam; secundò, externè iniustam; tertio, per culpam Theologicam; quarto, gravem; quinto, debere restitui statim; sexto, totam rem seu valorem; septimò, etiam si perierit. Sigillatim hæc si percurreremus, nihil erit præterea, quod pro explicatione hujus radices desiderandum sit.

§. II.

Per actionem iniustam.

1. **C**ertum est apud omnes *a*, onus restitutionis oriri solum ex culpa contra Iustitiam. Ratio est, quia sola illa inducit inæqualitatem in rebus temporalibus, ergo sola illa ad æqualitatem ponendam obligare debet. Quare, quando quis voravit, v. g. calicem dare Ecclesiæ, illum dando, satisfacere quidem voto dicitur, sed non propriè restituere, quia tunc non operatur homo ad ponendam æqualitatem, quam ipse per iniquam acceptionem abstulit. An non solum Iustitia commutativa, verum etiam

etiam distributiua jubeat restitutionem, suo aa loco explicabitur.

2. *Reg. l. c. n. 65. Val. 2. d. 5 q. 6. p. 3. Axor 3. p. lib. 4. cap. 9 per totum. De Lugo t. 1. de just. d. 1. sec. 3. num. 51. Bon. d. 1. de rest. q. 2 p. 3. §. vn. nu. 2. alij passim. aa inf. c. 4. §. 3. n. 8.*

2. Ex hoc principio oritur primò, ut qui eleemosynam non offert extreme, vel graviter indigenti; secundo, qui prædictum calicem, vel aliud quid vovit, & tamen non dat; tertio, qui segetem, v. g. ab alio incensam non extinguit, cum possit; in casu tamen, quo non debeat, quia ejus custos non est, nec suæ curæ seges commendata; quarto, qui Iudex per allegata & approbata reum justè condemnat, sed verbis, alijsque modis contra charitatem exhibitis; ad nullam restitutionem obligentur, quia non peccant contra Iustitiam, sed solum contra alias virtutes. Idem dic, b si reus, etiam legitime interrogatus, negat veritatem, unde damnum sequatur, vel Fisco, cui cederent bona rei, vel alteri, &c. neque enim ex Iustitia commutatiua reus obligatur dicere veritatem, vel curare utilitatem illorum, &c. Alia multa similia dicentur inferius. Ex his deciditur illa celebris quæstio, an acceptio pecuniæ, vel similis rei ex turpi causa, semper pariat in accipiente obligationem restitutionis; verum hanc quæstionem lib. 7. c. 5. ex hoc eodem principio satis superque resolvimus.

¶ *Sanc. l. 2. in decal. cap. 22. num. 22. Bon. d. 1. de rest. q. 1. t. 1. num. 4. citans Vasq. Axor. Clavem Reg. contra Sor. & Mol.*

§. III.

Per actionem externe injustam.

1. **O**mnis restitutionis oritur solum a ex actione externe injusta. Ratio est, quia, ut obligetur quis ad restitutionem, debet fecisse inæqualitatem in altero, at hæc non fit per meram internam actionem, sed per actionem externam materialem & realem. Actus enim mere sistens in mente, nihil operatur exterius. a *Sanch. in conf. lib. 1. cap. 4. dub. 5. num. 9. Less. lib. 2. cap. 9. dub. 16. vide etiam De Lugo t. 1. de just. d. 10. sec. 7. num. 158. id supponentem, & diff. 8. sec. 6. num. 79. Val. Nav. Silv. cit. à Bart. S. Faust. in speculo Confess. disp. 4. q. 10.*

2. Hinc, quando quis animo & desiderio interno, vt alius depauperetur, sumit sine ulla culpa externa veras informationes contra illum de eius homicidio; quando quis interne gaudet, sui inimici segetes incensas ab alio fuisse: quando Iudex profert sententiam justam contra reum, suum inimicum, gaudens, sic eum in egestatem deiici, non obligantur ad restitutionem, quia ex sola interna culpa illud onus nequaquam nasci potest: Immo si idem Iudex proferret injustam sententiam contra aliquem, quam sententiam postea deprehendat, esse justam, ad nihil restituendum tenetur, quia illa injusta sententia non fuit materialiter & realiter injusta, sed solum formaliter, & ex conscientia interna: pari modo, si ego furor à te vestem, quam puto tuam, sed deinde adverto, esse meam, quamvis auferendo peccauerim

R r 2

cauerim

caverim ex affectu peccati injustitiæ, propter conscientiam internam; tamen propter prædictam rationem non obligor ad illam restituendam: & si occidi feram, putans esse meum inimicum, quem occidere intendebam, non teneor *b* ad restitutionem ex homicidio, quia actio mea externa fuit circa feram, & nullo modo circa hominem, quem externè non occidi.

b Vide de hoc sup. lib. 6. cap. 4. §. 3. à num. 23.

§. IV.

Per culpam Theologicam.

1. **C**ulpa Theologica dicitur ea, quæ est coram Deo, & in conscientia, quam scilicet Theologi spectare potissimum solent: nam culpa, quam spectant Iuristæ, vocaturque Iuridica, est ea, quam Iura pro foro externo considerant, & juxta quam sententias ferunt.

2. Theologica est duplex: alia mortalis, venialis alia. Iuridica 4 triplex, lata, levis, levissima: lata, est omisio diligentia, quam solent in simili adhibere prudentes diligentisque: levis, quam solent diligentiores; levissima, quam diligentissimi. Si quis v. g. exiens domo relinquat ostium apertum, vel non clausum, unde fures domum expilent, dicitur commisisse culpam latam; commisisse levem, si clausit, sed ita, ut non difficulter posset aperiri, commisisse levissimam, si claudere quidem putavit, sed non tentavit, an bene fuerit clausa, nec eius custodiam commendavit vicinis. Porro lata cul-

pa subdividitur in latiore, & latissimam; latissima, quæ etiam dicitur dolus apertus, est, cum quis omittit, vel aliquid agit, animo, ut damnum, quod prævidet, alicui sequatur: quod si prævidet, sed non intendit, dicitur dolus præsumptus; latior culpa, quæ confundi sæpè cum lata solet, est, cum non ponitur debita moralis diligentia, & damnum, quod sequitur, sine advertentia & prævisione sequitur, His præmissis!

a leg. AX. 3. p. lib. 6. c. 4. & passim.

3. Affero, injustam acceptionem, ut pariat in foro conscientia onus restitutionis, debere esse *b* Theologicè culpabilem, nec sufficere juridicè. Ratio est, quia tota obligatio restitutionis in hac radice oritur ex delicto, quod committitur in injusta rei alienæ usurpatione, ergo ubi in conscientia tale delictum non committitur, nec obligatio restitutionis oritur.

b Mol. r. 2. d. 698. num. 6. Lessl. 2. c. 7. dub. 6. n. 27. Vasq. de restit. c. 2. §. 2. dub. 2. à num. 15. vide etiam d. 5. & 6. Diebst. lib. 2. de Iustit. Tr. 2. d. 3. dub. 1. & 2. aliosq. passim.

4. Hinc primò, si quis, ut cum moderamine inculpatæ tutelæ se defendat, aliquod damnum alteri faciat, non obligatur ad restitutionem. Secundò, si miles, ratione obedientia, pugnavit in bello à se prudenter putato justo, non obligatur *c* in conscientia restituere damna in prælio allata, nisi fortè, ut infra explicabitur, ratione rei acceptæ extantis, vel in quo fuerit factus ditior: tertio, si quis credens bona fide, rem esse suam, illam accipiat consumatque, nec in aliquo ditior fa-

ctus

Actus sit, non tenetur ad restitutionem ullam. Ratio horum est prædicta, quia tunc in conscientia non peccatur. Quare quando communiter Doctores docent latam culpam inducere obligationem restitutionis, ideo docent, *d*, quia communiter lata culpa difficulter invenitur sine culpa Theologica; si tamen hæc re vera absit, obligatio non inducetur.

c Mol t. 1. d. 117. d L, Vasq. de rest. c. 2. §. 21. d. 2. n. 19.

§. V.

Per culpam Theologicam gravem.

1. AD inducendam obligationem restitutionis debet adesse culpa Theologica grauis, hoc est, culpa in conscientia mortalis. Pro cuius explicatione præmitto, injustam acceptionem posse esse venialem ex duplici capite: primò, ratione paruitatis materiæ, vt si quis obolum furetur; secundò, ratione imperfectæ animadversionis, seu imperfectæ deliberationis, ut si quis sine perfecta consideratione, quod res sit aliena, illam accipiat, vel consumat.

2. Affero primò, acceptionem injustam venialiter, & (propter paritatem rationis) damnificationem venialem ex sola paruitate materiæ, parere quidem onus restitutionis, sed a sub veniali. Ratio est, quia ni restitueres, detineres rem alienam, invito domino, sed quia solum retineres rem leuem, non nisi leuiter peccares.

a Sanc. lib. 2. in Decal. c. 23. num. 160. alijque contra Vasq. de restit. cap. 2. §. 2. num. 20. & 25.

3. Affero secundò, ex injusta rei

quantumcumque gravis acceptione, seu damnificatione veniali, ratione indeliberationis, non b oriri obligationem restituendi sub mortali, immo factis probabiliter nec sub veniali. Ratio fundamentalis est, quia actus moralis imperfectus, qualis est indeliberata acceptione, non potest esse causa obligationis moralis perfectæ, qualis est obligatio certa quæcumque, & præcipuè, qualis est moralis obligatio restituendi materiam gravem; quæ enim proportio esset, si per actum factum à te semidormiente, cui assimilatur, qui minus deliberatè agit, obligareris ad subeundam pœnam gravem, sub onere certo peccati mortalis? Confirmo, quia ex Sanchez *c*, & Suarez *d*, neque promissio facta homini, neque votum factum Deo: nec iuramentum, nec præceptum superioris, si procedant ex imperfecta deliberatione, inducunt obligationem ullam, nè venialem quidem, ergo neque injusta acceptione, pari modo, ex imperfecta deliberatione, procedens.

b Sor. lib. 4. de iust. q. 7. ar. 2. Sa, V. Restitutio, Less. lib. 2. c. 7. dub. 6. nu. 27. Sanc. Less. Henric. apud Dicastill. l. c. dub. 2. num. 56. contra ipsum Dicastill. aliosque ibid. num. 49. c Sanc. lib. 4. in Decal. cap. 8. num. 18. d Suar. t. 2. de Relig. l. 1. de essentia voti c. 6. & lib. 2. de juram. c. 7.

4. Ex hac conclusione sequitur, Qui subita ira percitus, per actionem malam tantum venialiter, hominem occidit, non obligari ex Lessio e ad ullam restitutionem; qui per negligentiam venialem finit fegetem proximi comburi; qui famulus per similem leuem negligentiam relinquit fores domus

R r 3

domi-

domini apertas, unde fures domum expilent; qui custos nemorum, vinear, vestigialis per levem culpam non rectè custodit, & similes, non obligari ad restitutionem, quia supponuntur, solum venialiter peccasse, unde tantum onus certæ obligationis sub mortali nequit progigni. Adverte tamen per diligentem, negligentiam, quæ in uno genere actionis est leviter culpabilis, esse gravem in alio, ut superius *f* per aliam occasionem explicuimus. Qui alterius famam gravem tollit, per inadvertentem venialiter locutionem, ita etiam se habere nonnulli *g* affirmant: nam solum ad restituendam famam, eum tunc solum obligant ex virtute charitatis, cum commodè potest: verum an ex alio capite is obligetur ex Iustitia, dicitur lib. 9. cap. 3. §. 3. num 8.

e Less. l. 2. c. 2. n. 28. *f* *sup. lib. 1. cap. 3. §. 7. V. Depositorum.* *g* *Apud Less. l. 2. c. 11. d. 22. num. 118.*

5. Affero tertio, eum, qui post multa furtula tandem per ultimum attingit materiam notabilem, obligari sub mortali ad restitutionem; Ratio est, quia tunc detentio tot furtulorum simul unitorum est detentio quantitatis notabilis, atque adeo mortalis, ut supra vidimus; quare non est mirum, si, stante assertionem prima & secunda, stet hæc tertia, in qua supponitur, detentio perfecte deliberata rei notabilis, vide, quæ dixi cum de furto, c. 3. §. 3.

6. Sed ecce hic insurgit molesta objectio: Furetur quis modica, illaque consumat, quibus consumptis, non ad vertens ad præterita furtula, furetur aliquid etiam modicum, quod item

consumat, sed postea advertat, illa furtula cum hoc ultimo conflasse quantitatem notabilem, ac ipsum notabiliter proximo nocuisse; certè hunc teneri ad restituendum sub mortali, quia notabiliter proximo nocuit, fatemur omnes, & tamen nulla præcessit culpa mortalis, ergo, contra assertionem secundam, aliquando à peccato veniali mortalis obligatio oriri poterit.

7. Respondeo: Propter hoc argumentum concedunt nonnulli, *hh* ex veniali posse non raro procedere obligationem restituendi sub mortali. Sed minus apta concessio: si enim id semel concedas, principium illud satis commune jam destruitur, quod ex actu veniali seu levi, propter improportionem, oriri nequeat gravis obligatio. Nonnulli dicunt, tunc oriri obligationem ex detentione mortali; sed nihil dicunt, quia possumus supponere, illum statim atque advertit, velle restituere, ergo tunc nulla aderit culpa retentionis. Nonnulli denique cum Delugo *h* docent, tunc obligationem sub mortali oriri ex contractu, id est, ex consensu implicito: nam quando quis committit furtula, consentit, velle subire pœnam necessario & essentialiter illi connexam, id est, pœnam restitutionis illius materiam ablata: cum igitur nunc advertat esse materiam notabilem, ex illo consensu obligatur omnia reddere, sicuti, qui promittit Julium unum per diversas vices alteri, debet omnes, si notabilem consentit quantitatem, sub mortali tradere: sed nec hæc responsio sedet; nam, præter cætera, omnes Authores docent, hanc radicem injustæ acceptio-

acceptationis fundare obligationem restitutionis formaliter & immediate ex ipsa culpa, nec recurrunt ad consensum implicitum, qui certe etiam adest in omni injusta acceptatione cuiuscumque gravis quantitatis; multo minus recurrunt ad poenam; obligatio enim restitutionis in fure non est proprie poena, sed morale debitum inducendi æqualitatem &c.

hh *vt concedebat P. Ioseph Acosta amantissimus præcept. meus in Theolog. in suis manuscriptis de just. & jur. hic. h. Delugo t. 1. de just. d. 8. §. c. 5. num. 69. i sup. hoc c. 2. §. 2. n. 1.*

Facilior ergo solutio huius difficultatis sit huiusmodi: Stet, etiam hunc non obligari ad restitutionem sub mortali, ex vi præteritarum acceptationum, quæ omnes supponuntur veniales. Quid inde? restituat statim, nec unquam mortaliter peccabit; Si autem statim restituet, non dicetur obligationem mortalem restituendi à se contractam extinxisse; nunquam enim illam hæcenus contraxit, ut dictum est; sed dicetur præcavisse, ne incidere in mortalem obligationem, si retinisset quantitatem ex multis minoribus collectam; atque adeo notabilem. Quod si non restituet statim, consurget obligatio gravis sub mortali, non quidem ex acceptationibus, quæ omnes fuerunt veniales, sed ex retentione, quæ nunc juncta cum antecedentibus, incipit esse retentio materia notabiliter nociva proximi, atque adeo mortalis, & inducens restitutionis obligationem sub mortali.

An culpa levis externa, sed internè gravis, pariat obligationem restitutionis?

7. Consequitur ad prædicta celebris illa quæstio, an culpa levis cum intentione interna graviter nocendi, inducat onus restitutionis? v.g. diligentiam adhibuisti, nè, dum feram venaris, hominem occideres, diligentiam, inquam, sufficientem ad vitandum peccatum mortale, non verò illam, quam diligentiores ponere solent; nam propterea peccasti venialiter; an, si huic levi omissioni addas animum occidendi hominem, si ibi forte adfit, & de facto occidatur, tenearis ad restitutionem ex homicidio?

8. Respondeo, si ille animus nocendi graviter, adjungatur actioni venialiter malæ, imò etiam malæ mortaliter, quæ actio ex se non fit contra Iustitiam, certum est, eam non inducere onus restitutionis, immò neque irregularitatis. Ratio est, quia ex dictis, ejusmodi onus, ut & irregularitas, non nisi ad actionem in justam consequitur. Hinc Iudex, licet ex odio gravi damnet reum; & qui cum in oderamine inculpata tutelæ (licet ex animo, & intentione graviter nocendi) occidat aggressorem, non incurrunt onus restitutionis, nec irregularitatem; quia ejusmodi condemnatio & defensio nullo modo sunt actiones contra Iustitiam, ne leviter quidem; at si ille animus adjungatur actioni, quæ ex se fit, licet leviter, contra Iustitiam, ut est in exemplo allato num. 7. tunc profecto magna quæstio est, an tale onus inducat.

9. Et

9 Et præter casum propositum afferi solent alia exempla: ponis venenum in loco remotissimo à convictu hominum, ponis tamen eo animo, ut si illuc accedat Petrus tuus inimicus, illud sumat, & occidatur; præparatio veneni est actio externa contra Iustitiam, sed quia est in remotissimo loco, ad summum non erit ex se, nisi venialis culpa, immo sæpissimè nulla, quia certo moraliter in illum locum nullus hominum judicatur penetraturus: alapam levis dedecoris impingis adolescentulo, eo tamen animo, ut ex concepto fortè dedecore adolescentens moriatur: quatuor obolos furaris ab avaro, ea tamen intentione, ut fortè ex marore amissæ pecuniæ is conficiatur: quæstio est, an ponens venenum, an alapam impingens, an obolos surripiens, cum illa interna voluntate, graviter proximo nocendi, peccent ita contra Iustitiam, ut si de facto sequatur mors, sint rei restitutionis & irregularitatis?

10. Esse restitutionis reos, censent nonnulli *l*: non esse, censent *m* alij: ego certè aliud dicendum puto, de irregularitate, aliud de restitutione.

l Delug. 1. 1. de iust. d. 8. sec. 6. à num. 74. alijque ab ipso cit. *m* Less. l. 2. c. 9. dub. 26. num. 113. Sanc. l. 1. conf. cap. 4. dub. 5. num. 9. faverque l. 2. conf. c. 1. dub. 49. num. 6. & prædicto lib. 1. cap. 3. dub. 1. & 2.

11. Affero enim primò, prædictos incurrere irregularitatem, uti insinuaui supra, cum de homicidio lib. 6. cap. 4. §. 1. nu. 6. Ratio est, quia, ut ibidem notavi, irregularitas est inducta

sacris Canonibus, contra homicidium voluntarium, seu volitum, à te aliquo tandem modo causatum, seu, ut ita loquar, occasionatum: at omnes prædicti, si faciant ea, quæ leviter, & ex se insufficienter, immo rarè vel rarissimè influant in homicidium, dicuntur voluntariè concurrere ad occisionem, licet, ut dico, per actionem ex se sola ad homicidium non sufficientem; ergo non est, unde irregularitatem effugiant, si homicidium re ipsa sequatur, vide omnino locum citatum.

12. Affero secundò, eosdem non incurrere onus restitutionis ex homicidio, vel quocumque alio damno fortè secuto; Ratio est, quia quoad restitutionem, cum non adsit lex ulla humana peculiaris, solum est considerandum Ius ipsum naturale; at hoc non obligat ad restitutionem, nisi quando quis per suam actionem physicè, vel moraliter est absoluta & sufficiens homicidij, seu damni causa, ut supra viderimus: cum ergo, quando ipsa actio externa levis ex se est, ac leviter, & non ut plurimum, ex sua conditione influit in damnum, non sit causa absolute influens physica, vel moralis damni, sed ad summum, satis diminutè & imperfectè, cui diminutæ causæ non est æquum, ut gravis obligatio adnectatur, consequens est, ut, etiam si fiat animo graviter nocendi, non obliget ad restitutionem.

n sup. lib. 6. c. 4. §. 1. n. 2.

Quod autem eiusmodi actio non sit absoluta & sufficiens causa, etiam si adsit ille animus, probatur manifestè, quia ille internus animus nihil adiuvat ipsam actionem externam, ergo

ex se ea actio, caussatiua sufficienter damni non est, nihil, quoad hoc, adiuuabitur ab animo, & consequenter semper remanebit non caussans absolute ex se homicidium vel damnum, ac propterea remanebit libera ab onere restitutionis, sicuti erat ante illum animum.

13. Dixi (quoad hoc) nam ab interna intentione graviter iniusta in affectu, ultero concedo illam externam ex se leuem actionem denominari graviter malam & iniustam: sed quia onus restitutionis non sequitur ad actionem iniustam iniustitia interna, sed externa, nihil contra nos; Ex qua doctrina omnia argumenta contraria à studioso Theologo facile dissoluentur.

§. VI.

Statim.

Restitutio ex delicto quomodo statim obliget?

1. **A**sertio Prima. Omnis debitor ex iniusta acceptione, & uniuersim ex delicto, atque adeo ex damno dato, tenetur restituere, quamprimum, non cum valde notabili incommoditate, potest. Quod si possit, & nullam habens legitimam excusationem, de qua infra, non restituat, non solum peccat mortaliter, ut certum est, quia est in continuata quadam ablatione, sed etiam tenetur *b* in conscientia, soluere omne lucrum, quod cessat, & damnum, quod emergit domino ex ea mora, (quæ certè tunc est culpabilis) quia secus, non fie-

ret æqualitas cum proximo: cum enim hic ex furis culpa non solum fuerit priuatus re principali, sed etiam sit passus illud interesse, vtrumque merito erit resarciendum.

a Quanta hæc esse debeat, ut excuset à restitutione, dicitur inferius tr. 4. c. 1. §. 9. *b* Molin. t. 3. d. 724. & passim.

2. Iam vero, pro ijs, quæ mox dicenda sunt, præadverte, hoc interesse aliud esse ordinarium, aliud extraordinarium; Ordinarium oritur, quando res ipsa pluris v.g. valet uno tempore, quàm alio, siue quia res intrinsecè crescat: ut, pluris valet equus adultus, quàm pullus; siue quia ab extrinsecò crescat ejus valor, ut, frumentum pluris valet mense Maij, quàm Augusti: si priveris ergo hoc lucro, diceris pati interesse, seu damnum ordinarium. Extraordinarium oritur, quando advenit lucrum ex extraordinaria creditoris opera, seu ex ejus negotiatione; centum v.g. aurei, si eos negotiationi exponas, pariunt alios quinquaginta: quare si priveris hoc lucro, diceris pati interesse extraordinarium, seu, ut communiter loquimur, interesse, ex damno emergente, vel lucro cessante.

3. His positis, inquires, ut debitor ex delicto obligetur in conscientia ad restituendum interesse, opusne est, ut præcedat monitio, qua creditor dicat debitori, se ipsius causa ejusmodi damnum pati?

Respondeo, quoad praxin, rarò locum fortietur hæc quaestio, in casu iniustæ acceptionis, vel damni dati (quamvis sapissimè locum habeat in restitutione ex contractu, de qua mox nu. 6.) nam tunc regulariter creditor nescit,

ss

quis

quisnam rem suam surripuerit: quod si sciat, non dabitur facile locus monitioni: immo si detur, prudenter existimare poterit creditor, suam monitionem non profuturam; unde semper debitor debet totum interesse solvere, sive ordinarium, sive extraordinarium, quia totius causa injusta ipse est: verum si supponas, in aliquo casu creditori cognitum esse furem, posse facile illum admonere, & adesse spem proficiendi, nonnulli *bb* asserunt, adhuc debitorem obligari ad totum vtrumque interesse; quia, quamvis non admoneatur debitor, tamen totum illud interesse creditor subit ex culpa ipsius debitoris, qui injustè accepit. Nonnulli *c* solum obligant ad restituendam rem ipsam ablatam, ejusque ordinarium interesse, non vero extraordinarium. Ratio est, ajunt, quia si potest creditor monere, & non monet, ipse est causa sui interesse; nam debitor non tenetur ad omne damnum undecumque proveniens, sed ad damnum, quod necessario sequitur ab ipso, nec facile potest impediri; at in casu nostro facile potuisset creditor impedire, si debitorem monuisset: adde, si potuit admonere, & non admonuit, præsumitur remisisse hoc lucrum, quod est extraordinarium &c. Vtraque sententia est probabilis.

bb Petrus Navarr. lib. 13. de reff. cap. 2. num. 281. Mald. 2. 2. tr. 5. d. 12. dicto 3. q. 2. Dian. p. 1. tr. de contr. res. 87. Dic. lib. 2. de just. tr. 2. d. 2. d. 5. num. 113. *c* Azor. t. 3. lib. 5. cap. 4. qu. 3. Delug. t. 1. de just. d. 18. sec. 2. num. 32.

4. In hac posteriore unum advertas: si enim debitor ejus esset dispositionis, ut etiam si præmonitus fuisset, non solvisset, obligaretur ad totum interesse, quia tunc ipse creditor non esset verè, & re ipsa sui interesse causa, non monendo, cum non poruisset impedire, sed ipse debitor sic malè dispositus; quod si *d* dubius esset, an monitus solvisset, solvat (ait Delugo) partem, pro rata dubij.

d *ib.* num. 33.

5. Assertio secunda. Omnis debitor ex delicto, licet, quando excusatur ob paupertatem à restitutione, excusetur etiam à peccato, non restituendo, non tamen excusatur *e* à restituendò, (quando poterit) dictum interesse, ordinarium, & extraordinarium, quod ex hac mora, quamvis nunc inculpabili, patitur creditor; explicò; sit, qui v. g. furatus sit centum à te, qui postea incidat in summam paupertatem; hic certè stante paupertate, excusatur à solvendo ea centum: at reslorescente fortuna, non solum debet tibi centum restituere, sed omne etiam interesse, quod tu fortè passus es. Ratio est quia *f* totum istud damnum creditoris oritur ex delicto, & injuria præterita; quare licet ipsa mora in se culpabilis nunc non sit, fuit tamen culpabilis in radice; quare omnia damna, quæ, vel immediate, vel mediate ex injuria præterita procedunt, obnoxia sunt restitutioni, ob injustitiam primò positam. Vna tamen est observanda limitatio. Quando enim, post furtum, quis incidit in extremam, vel gravem necessitatem, & rem furto ablatam, adhuc in specie

specie extantem in dicta necessitate consumpsit, (in qua necessitate potuisset illam rem licite surripere, nec sufficisset, eam sibi mutuare, cum obligatione eam, ejusque interesse suo tempore reddendi, ut supra § explicuimus) tunc non obligatur, nisi ad restituendam rem, & illud solum interesse ordinarium, & extraordinarium, correspondens tempori antecedenti dictam necessitatem, non vero interesse correspondens tempori talis necessitatis. Ratio est manifesta, quia tempore gravis necessitatis, veluti de novo accipit, sine culpa; undè non potest obligari ad interesse correspondens huic tempori, quando in accipiendo non delinquit: quod si rem ipsam principalem debetum interesse precedentis temporis reddere, non ex vi hujus acceptionis hujus temporis, sed ratione primæ, quæ fuit cum delicto, ut diximus, & semper manet, obligatque, donec fiat æqualitas, &c. Immodò ibidem diximus, non esse improbabile, rem ipsam totam surseptam antea, sed consumptam tempore extremæ, vel gravis necessitatis, non esse necessario restituendam.

g *Supr. tr. 2. c. 6. §. 2. n. 2. h. Castrop. de just. commutativa d. 1. p. 17. §. 10. contra Layman, & Molin. ib. cit. i. sup. ib. num. 3.*

Restitutio ex contractu quomodo obliget statim?

6. Id locum exposceret suum paulo inferius, sed quia est precedentibus affine, hic tractandum merito suscipio.

Regula universalis. Debitor ex con-

tractu, v. g. ex mutuo, emptione, venditione, emphyteusi, &c. statim atque advenit terminus in contractu præfixus, tenetur (nisi adsit legitima excusatio, de qua suo loco infra) solvere, quod alteri debet, etiam si à creditore non admoneatur; nam dies solutionis interpellat pro ipso creditore; ni solvat, obligabitur in conscientia ad omne alterius interesse, mox §. 7. distinctius explicandum. Quod si terminus nullus præfixus fuit, tempus solutionis erit, quando creditor non impeditus petet; nam si ex aliquo impedimento non potest petere, terminus erit, qui prudenter judicabitur esse de ejusmodi creditoris intentione rationabili. Ratio, quæ probat in dicto termino debere fieri solutionem rei, principalis est, quia sic est ex pacto explicito, vel implicito inter creditorem & debitorem constitutum; Ratio verò, quod secus obligabitur debitor ad interesse, est, quia id inducit mora culpabilis debitoris; æquum enim est, ut ex culpa ipsius damnum non patiatur creditor. Id in omnibus contractibus verum habet. Nam licet in venditione & emptione sit per leges positivas quædam exceptio, qua ementes vendentesque pro mora culpabili non teneantur ad totum damnum emergens, & totum lucrum cessans, quod uno vocabulo nos appellamus, interesse, sed solum ad immediatum ex ipsa emptione vel venditione proveniens, tamen quia probabile est, non obligare has leges in foro conscientiæ, esto, obligare, teneat Molina n, ideo nos de hac exceptione non laborandum duximus.

m *Delugo t. 1. de just. d. 18. sect. 2.*

§ 6

7. Por-

num. 28. n. Mol. & Covarr. apud eundem nu. 27.

7. Porro quatuor sunt in prædicta communi Regula notanda : nam primò, si nulla culpa adsit in debitore, vel certè solùm adsit culpa Theologicè venialis, non est is obligandus ^o sub mortali ad restituendum, nec interesse ordinarium, nec extraordinarium : nam propterea modo dictum est (quia id inducit mora culpabilis) quare si emisisti centum modios tritici mense Ianuarij, & sine culpa mortali distulisti restitutionem pretij usque ad mensem Maij, quando centum modij pretio maiori venduntur, non obligaris, nisi ad valorem mensis Ianuarij : idem, si ex pecunia, quam reddidisses, creditor mense Maij, quodcumque lucrum acquisivisset. Ratio est, quia nulla culpa, vel sola venialis parere non potest, modo supra explicato, obligationem mortalem. Excipe, nisi in contractu appositum fuerit pactum solvendi interesse etiam ex mora inculpabili ; tunc enim debitor obligabitur ex dicto pacto, quod certè licite apponi potest *p*, si debitor verè liberè illud apponere velit, vel si creditor hoc gravamen aliqua compensatione emat à debitore.

^o Delugo d. 18. sect. 2. nu. 35. 36. & 37. multos citans, & praxim &c. p. I. dem d. 21. sect. 1. num. 23.

9. Secundò, non assentior aliquibus excusantibus viros nobiles, quando præfixo tempore, etiam cum culpa, non solvunt emptas merces mercatoribus, quibus propterea cesset lucrum, & damnum emergat : non assentior, inquam ; namposito, quod vere sunt

in culpa, non solvendo, necessario consequitur, ut ad omne illorum interesse resarciendum obligentur. Satius est igitur, tum hos nobiles, tum ceteros omnes excusare, vel ex implicito consensu mercatorum, de quo nu. sequenti, vel probabiliter ex eo, quod ementes de dicto interesse à mercatoribus non sunt admoniti, de quo num. 10, dicam.

9. Tertio, terminus in eiusmodi contractibus præfixus non debet sumi metaphysicè, sed more communi humano, & moraliter. Hinc plerumque excusatur debitor à restituendo interesse creditori ; non solùm quia dilatio solutionis non fuit peccatum mortale contra Iustitiam, si vè ob impotentiam solvendi, live ob inadvertentiam, vel oblivionem, sed etiam quia debitor, ob bonam fidem putavit, non esse creditorem graviter invitum pro modica illa & morali dilatione, cum in praxi non soleant urgeri ita debitores, ut ipso præfixo die solvant, sed cum aliqua benignitate ; credere item plerumque poterunt debitores, dum creditores scientes & potentes exigere, tamen non exigunt, non esse graviter invitos ad prædictam dilationem. Nota illud (potentes) & vide infra Tract. 4. cap. 1. §. 6.

¹ Delugo t. 1. de Iust. t. 18. sect. 2. n. 38.

10. Quarto, supponamus, esse invitos creditores ad dandam dilationem solutionis ; dubitari solet de damno extraordinario, hoc est, de cessatione lucri, & de damno emergente, an scilicet debitores ex contractu, ut obligentur in conscientia ad solvendum creditoribus hoc interesse, ex mora culpabili,

pabili, debeant fuisse prius admoniti à creditoribus, dicentibus v. g. solue mihi centum aureos debitos nunc ex censu; secus, meas negotiationes exercere non potero, quarum lucrum tu debebis?

Respondeo, negant aliqui s. ejusmodi monitionem debere præcedere ad hoc, vt obligetur debitor ad prædictum extraordinarium interesse. Aliqui t. affirmant, præcedere omnino debere. Vtrumque probabile, propter easdem rationes, quæ in fortiori casu, qui supponit injustam acceptio- nem, dictæ sunt supra num. 3. sed superaddatur hic etiam id, quod ibidem adverti num. 4. & nos quidem affir- mantem sententiam amplexabimur inferius capite 8 §. 3. num. 9. excepta consuetudine mercatorum &c.

s. *Petr. Navarr. lib. 13. de rest. cap. 2. num. 181. Dian. p. 1. tr. de contract. res. sol. 87. t. Azor. t. 3. l. 5. c. 4. q. 3. Delugo t. 1. de iust. d. 18. sect. 2. num. 32.*

Restitutio ex re accepta, qua ratione obliget statim?

11. Id etiam, ut tota hæc materia de mora solvendi absolvatur, hic erit de- cernendum.

Regula universalis u. Si quis rem bona fide acceptam, advertit esse alie- nam, statim atque advertit, debet do- mino sine mora tradere, vel rem, si ex- tet, vel si consumpta est, illud, in quo is qui accepit, factus est ditior: ni tra- dat, erit in mora, & obligabitur ad re- stitutionem, etiam secuti interesse ordi- narij & extraordinarij. Hæc regula esse injustus detentor.

constat ex dictis hic prudenter appli-

candis. Quare videndum, utrum mora sit culpabilis, an inculpabilis? utrum creditor possit censer i rationa- biliter invitus, an consentiens? utrum dilatio sit modica, an magna? & his perpensis decernenda erit obligatio re- stituendi, sive quod extat, sive illius interesse, juxta modo dicta.

u. *Ex Doctoribus supra in toto hoc §. citatis.*

12. Solum per diligentem adverte, moram non esse hic mensurandam à tempore, quo accepta res est; illa enim acceptio, ut hic supponitur, non fuit peccaminosa; sed à tempore, quo quis incipit advertere, rem non esse suam, vel quo incipit rationabiliter dubita- re, nec adhibet diligentiam inquirendi veritatem, ut lib. 1. x diximus. Præ- terea non esse considerandum interesse, quod forte provenit creditori ex re accepta absolutè, sed ex re accepta, quæ, quando advertitur esse aliena, extet, vel extet aliquid, in quo debitor, factus sit ditior. Nam si nec res extet, nec ali- quid, in quo is factus sit locupletior, nihil debebit, ut mox a suo loco expli- cabitur.

x. *lib. 1. in dec. c. 3. §. 7. v. restitutio. a. mox c. 3.*

13. Si eveniret casus, quo dominus sciret, rem suam, vel id, in quo ex re sua factus es ditior, apud te esse, & possit te de interesse, quod paritur, ad- monere, nec admonere curaret, an obligareri ad dictum interesse, idem dic, quod docuimus n. 3. de injusta ac- ceptione, injustaque retentione, quia jam in casu, de quo loquimur, incipis

14. Pari modo, si debitor fuisset prius

prius in nulla culpa restituendi, postea vero in culpa, recurreret doctrina data num. 5. quia nimirum esset obligatus ad restituendum interesse, respondens tempori, in quo fuit in culpa, non vero respondens tempori inculpato.

§. VII.

Totam rem, seu ejus valorem.

1. **S**I quis quid injustè accipiat (idem dic, si injustè damnum inferat) debet sine controversia totum reddere, hoc est, non solum rem ablata, verum etiam totum interesse, modo dicto in præcedenti §. & modo deinceps explicando. Ratio est, quia scus, non induceretur æqualitas, &c.

2. Petes, ultra restitutionem rei, debetne restitui aliquid pro injuria, quam quis facit furando? Respondeo, præscindendo à contumelia, vel alio capite, solum ex ipsa injuria exhibita in v. furpatione rei alienæ, nihil deberi, saltem ex vsu, rectè notat Dicastillus *a*. Si enim quid deberetur, esset petitio veniæ, quæ certè, vel non solet exigi à domino, vel facile remittitur, modo rem suam ipse recuperet.

a Dica. l. 2. de just. tr. 2. d. 2. d. 6. n. 122. vide etiam à num. 124.

3. Et quidem si res ablata extet, vel impermissa, vel ut facile discerni queat, non est dubium, eamdem debere restitui, etiam si ejus pretium quomodo-cumque creverit. Ratio est, quia quando res crescit, domino crescit; cum enim fur non sit dominus rei ablata, nec potest esse ejus augmenti, seu ejus valoris: at si res non extet, certè debe-

bit fur reddere ejus valorem. Sed ecce difficultas. Qua enim ratione is erit expendendus? permolestum id est, & molestius reddere magisque implicitum plures distinctiones, atque sub-distinctiones Theologorum *a*.

a l. Mol. t. 3. d. 725. Less. l. 2. c. 12. du. 16. Bon. d. 1. de rest. q. 3. p. 111. Delugo t. 1. de just. d. 18. sec. 6. Dica. lib. 2. tr. 2. d. 2. d. 3. Castrop. disp. vn. de just. in genere p. 24. §. 9. alij ab ipsis cit.

4. Ego, ut distinctè procedam, præmitto, rem crescere ac decrescere posse, vel intrinsecè, hoc est, in se, ut si pullus equinus adolescat, & deinde senescat; vel extrinsecè, ut si triticum nunc valeat singulis mensuris tres aureos, deinde ob multitudinem emporum, sex, vel contra. Hoc posito, figura hunc casum: Petrus furatur ab Antonio mensuram tritici, mense Augusti, cujus legitimus valor erat trium aureorum; verum paulo post ejusdem tritici valor, hiemis nimirum tempore, crescit ad sex aureos; mense denique sequenti Junij pretium decrevit, redijt; ad aureos tres, immo ad minus: idem potes dicere de pullo equi, qui primo tempore valebat v. g. decem aureis, secundo intrinsecè crescens, quia factus est equus, valuit viginti, triginta &c. Denique, quia sentit, iterum redijt ad decem, immo ad octo, ad quinque &c.

5. Ut ergo decernamus quantum debeat Petrus Antonio, quando ablatum triticum, vel equum consumpsit, vel vendidit, diligentissimè considerandum est, quoniam tempore consumpsit? primo, secundo, an tertio ex dictis? Ni sic distinguamus, confusa nimis erit, & intricata tractatio.

Petrus

Petrus rem ablatam consumit primo tempore.

6. Si Petrus triticum prædictum consumpsit, vel vendidit, vel alienavit, pro illo tempore, nempe mense Augusti, quando valebat tribus aureis, est distinguendum, & videndum, an Antonius esset venditurus, vel consumpturus, primo eodem tempore, an secundo, an tertio? si primo, non est difficultas; nam clare Petrus non damnificavit Antonium, nisi in illo valore tunc currenti, id est, in tribus aureis; tres igitur aureos debet.

7. At si Antonius triticum illud erat venditurus tempore secundo, hoc est, hyeme, quando pluris valebat, vel quia tritico per hyemem caruit, illud emit majori pretio; v. g. sex aureis, totum hunc valorem, hoc est, sex aureos debet Petrus fur (deductis expensis) reddere: ratio clara est, quia in toto hoc majore pretio damnum recepit, causa furis, Antonius.

8. Quid si esset dubium, an venditurus tunc esset? Respondeo, pro ratione dubij (id quod omnibus circumstantijs à prudenti expensis, erit decernendum) partem reddat.

9. Quod si non erat venditurus, nec loco illius aliud empturus, sed erat ipsemet Antonius consumpturus, vel certe amicis in liberale munus donaturus, quod, quia illo caruit, nec consumpsit, nec amicis donavit, puto adhuc, Petrum reddere pretium illud majus debere, quod scilicet currebat subit onus restituendi rei valorem) ob hyemis tempore, quo Antonius consumpturus, vel donaturus erat: ratio

est, quia Petrus injusta causa fuit, ne Antonius re sua sive pro se, sive pro amicis vteretur: ergo debet reddere, quanti valebat tunc ille usus, valebat autem pluris, id est, sex aureis, ut supponimus: quod dictum est de tritico, dic de pullo equino, si illum vendidit fur primo tempore, sed dominus erat vel venditurus, vel donaturus amico, tempore illo secundo, quo equus adolevit: par enim est ratio ac de tritico, & de cæteris.

Solum adverte, expensas necessarias, quas in alendo equo, vel etiam in servando tritico, vere fecisset Antonius, posse à Petro, qui eas fecit, subduci à restitutione, quia secus, quandoquidè has Antonius non fecit, ut supponimus, plus haberet, quam quod exigit damnum ipsi illatum: excipe, nisi sint compensandæ cum usu, quem ex equo, v. g. fur accepit, ut ex se patet.

10. Denique, si Antonius erat venditurus, consumpturus, donaturus &c. illud triticum, vel equum tertio tempore, nempe quando minus res sua erat valitura, Petrus, qui rem consumpsit primo illo tempore minoris pretij, nihil aliud debet, nisi pretium illius primi temporis, atque adeo tres aureos. Ratio est, quia ex una parte dominus non est passus interesse ullum, qui jam servaturus erat rem, usque ad illud tempus minoris pretij, & ex alia parte, cum fur obligatur reddere rem, vel rei pretium, quantum est eo tempore, quo ipse consumit: (tunc enim fur propter injustam consumptionem subit onus restituendi rei valorem) obligabitur ad pretium illud primi temporis, quando injustè consumpsit. Quod vero

verò intercurrentis illud majus pretium medij, seu secundi temporis nihil urgeat contra furem, in favorem Antonij, dicetur mox in simili n. 19. & 20.

11. Quoniam verò tum hic, tum deinceps dicemus, (nisi dominus esset servaturus, venditurus &c.) inquiri, an credere debeam Domino dicenti, se fore servaturum? Respondeo in rigore te non obligari, quia præsumere potes dolum: erunt igitur consideranda conjecturæ, quibus talem veritatem expiscari certo possis: quod si certo non possis, sed adhuc vigeat dubitatio, restituendum ad proportionem inventæ, vel non inventæ veritatis, seu ad ratam dabi, ut modo dixi n. 8.

Petrus rem ablatam consumpsit secundo tempore.

12. Quando Petrus fur consumpsit, vel alienavit rem secundo illo tempore, quo res creverat in pretio, v. g. tritici mensura valebat sex aureis, equus viginti, sunt rursus distinguenda tria illa tempora, quibus Antonius rem suam vendidisset, vel consumpsisset, vel donasset, uno verbo, de re sua disposuisset.

13. Si ergo disposuisset primo illo tempore minoris pretij, dico, probabilissimum, immo certum mihi videri, deberi à Petro totum valorem secundi temporis, atque adeo sex aureos pro mensura tritici, viginti pro illo equo, restituere. Ratio mihi manifesta est, quia illa res dum existit impermissa in medio illo tempore, domini est, non furis, ergo si fur tunc consumpsit, vel vendidit, rem alterius con-

sumpsit, vel vendidit, certè per injuriam factam domino, ergo, utpote pretium alienæ mercis, sibi retinere licetè non potest, sed omnino restituere debet; & sicuti si eo tempore majoris pretij Petrus vellet à peccato furti se liberare, & adhuc res aliena apud se extaret, domino reddere deberet totam eandem rem, quomodocumque, sive intrinsecè, sive extrinsecè auctam, quia res crevit pro domino, non pro non domino; ita posito, quod eodem tempore iniquè consumit, vel distrahit, alterum tantum in æquivalenti opus erit restituere.

14. Quod si disposuisset Antonius de re sua, secundo eodem tempore majoris pretij, pari, immo potiore jure Petrus debet valorem hunc majorem reddere. Ratio est clara, quia dum ipse tunc consumpsit, damnum hujus valoris Antonio intulit.

15. Denique si Antonius disposuisset de sua prædicta re in tertio tempore minoris pretij, adhuc majus ipsum pretium, dictum num. 13. debet Petrus. Ratio est, quia dum fur injustè destruxit rem tempore, quo valuit majori pretio, contraxit ex debito obligationem reddendi illam, quanti tunc valebat: tota enim ejusque totus valor erat domini: & ex alia parte rem fore à domino conservandam pro tempore consequenti, quando decrevit pretium, non tollit à fure eam obligationem, quam ex delicto contraxit: adde, nimis esse contra rectam rationem, quod fur reportet lucrum & ditescat ex duplici suo delicto, nempe ex furto, & ex injusta rei consumptione: sic
autem

autem esset, si ipse posset sibi retinere excessum illum pretij.

De expensis factis à fure, in alendo V. G. equo, nisi compensentur cum usu, quem ex equo fur habuit, idem dic, quod modo n. 9. sine dictum est.

Petrus rem ablatam consumit tertio tempore.

16. Quando Petrus consumit rem tempore illo tertio, quo rei pretium decreuit, siue rediens ad primum, siue etiam ad minus, ut si mensura dicta tritici descenderet ad pretium trium, vel duonam aureorum, & equus jam senex ad octo, vel quinque, pari modo videndum est, quandonam ex illis tribus temporibus Antonius rei Dominus fuisset rem suam consumpturus, vel seruaturus &c.

17. Si ergo Antonius de re sua disposuisset primo tempore, debet Petrus reddere, quanti tunc valebat, atque adeo in exemplis positus tres aureos pro mensura tritici, decem pro equo; ratio est, quia ex vna parte Petrus rem consumendo in illo primo tempore, obligationem contraxit restituendi valorem illius temporis, hoc est, temporis, quo consumpsit, ut in simili dictum est modo; & ex alia parte, pro tanto pretio damnum intulit Petrus: Antonio, non verò pro maiore: jam enim, ut supponimus, Antonius rem non erat ad meliora tempora seruaturus: Dices: At si medio tempore creuit valor rei pro Domino creuit. Respondeo, at jam tertio tempore decreuit, ergo pro Domino decreuit: solum igitur Petrus debet pro damno allato, quod

solum fuit, caruisse Antonium pretio primi illius temporis.

18. Si vero Antonius de re sua secundo tempore, quo plus res valebat, dispositurus esset, totum hunc valorem, atque adeo pro mensura dicta tritici sex aureos, pro equo viginti, vel triginta debet Petrus restituere: quia, ut superius in simili num. 7. & 9. dictum est, dum Petrus rem alienam sibi in eo medio tempore retinuit, vnde factum est, ut Dominus de re sua disponere eo tempore non potuerit, in toto illo valore damnus intulit, ergo totum est refarciendum: exceptis expensis forte factis & non compensatis, juxta dicta eodem n. 9. sine.

19. Denique, si Antonius de re sua disposuisset in tertio illo tempore minoris valoris, nunc solum minorem valorem debet reddere Petrus, atque adeo in exemplis positus tres, vel duos aureos pro tritico, decem vel octo pro equo, quantum scilicet mensura tritici, & equus de valore decreverunt. Ratio est, quia pro tempore antecedenti nullum fecit damnus Antonio Petrus, pro tempore presenti jam reddit, quanti res valet. Pretium enim illud medium maius, licet, ut ita dicam, perierit, dum res fuit in manu furis, æque tamen perisset in manu Domini, quia illo valore, ut supponimus, Antonius usus non esset; at inferius, ex probabilissima sententia dicimus, quando res æque peritura esset in manu Domini, sicuti perijt in manu furis, nihil à fure deberi, quia in nihilo Dominus damnificatus est.

amf. §. 8.

20. Confirmatur, quia, si res extra-

ret,

ret, nonnè satis esset, si suum triticum, suumque equum Domino Petrus redderet? ergo si consumpsit, non nisi valorem eius temporis debet, quia non consumpsit, nisi rem tanti valoris.

21. Ex expensis, quas medio illo tempore fecit Petrus, eas tantum sibi poterit Petrus compensare (retinendo scilicet aliquid de restitutione) quas necessario fecisset Dominus; in his enim Domino non damnari intulit, ut in simili supradictum est nu. 9. sine. Quid autem fiet, in dubio, an Dominus servaturus esset &c. Vide n. 8.

De restitutione fructuum rei injustè ablatae.

22. Fructus rei injustè ablatae, vel injustè retentæ, vel etiam injustè destructæ, omnes Domino debent *b* restitui à fure: ratio est eadem, quæ dicitur infra c. 3. §. 5. nu. 2. Fructus, inquam, tum rei, qui vocantur fructus naturales, ut est partus ancillæ, pullus ex equa, herba ex campo, sylvestri, glans ex arbore non culta &c. tum rei, qui appellantur fructus mixti, id est, qui sunt partim ex ipsa natura, partim ex industria sive parva, sive magna, ut est v. g. frumentum, vel fructus, qui colliguntur ex agris, caseus ex ove &c. ubi partim adest industria colentis, partim ipsa natura soli vel ovis.

b Sanc. l. 2. in Dec. c. 33. Less. l. 2. c. 12. dub. 17. Mol. t. 3. d. 725. Dic. l. 2. de just. tr. 2. d. 2. dub. 5. nu. 81.

Dixi (sive magna) nam quando maxima est industria & modicissima vis naturæ, cum parum pro nihilo reputetur, vocarem potius fructum il-

lum meræ industriæ, quàm mixtum: at in hoc solum casu sequor c. Thomam Sanchez docentem, in mixtis, ubi plus est industriæ, vocari fructus industriales; ubi plus naturæ, naturales. Sub fructuum mixtorum etiam nomine veniunt fructus civiles, quale est pretium locationis domus, vel equi: ad hoc enim lucrum concurrunt domus vel equus simul cū industria locantis. *c Sanc. l. c. n. 48. Dic. l. c. d. 5. du. 3. n. 30.*

Fructus meræ industriæ, quale est lucrum, quod ex negotiatione pecuniæ alienæ acquisiti, non sunt restituendi, quia, quod ex sola industria tua est, tuum esse ipsum lumen naturæ docet, utpote lucrum personæ, non rei. His jactis fundamentis sit.

Regula prima.

23. Fructus rei injustè ablatae, tum naturales, tum mixti, semper *d* debentur Domino, etiam si apud Dominum res non tantum fructificasset, fructificavit tamen apud possessorem; & etiam si domum, v. g. Dominus non locasset, possessor tamen locavit; & etiam si fur fructus illos quomodocumque consumpsit, nec in ullo fuerit factus ditior; & etiam si illi fructus fuerint percepti à re per furis diligentiam, perque eiusdem expensas meliorata. Quidquid enim alij *e* dicant in oppositum, ratio nostra est, quia res semper fructificat pro suo Domino: & ex alia parte, hæc obligatio oritur ex injusta acceptione, quæ semper manet, donec fiat æqualitas, ut sæpe dictum est: solum excusari fur poterit in eo casu, quo;

quo sine graui ipsius culpa, fructus sint omnino consumpti; quod evenire potuit, si, dum ipse vellet eos restituere, non posset, destructi casu fuere &c. e Aliqui apud Sanch. l. c. n. 130. quod probabile iudicant Less. l. c. n. 119. & Dic. l. c. nu. 87. cit. Cov. & Sot.

Regula secunda.

24. Quamvis lucrum ex negotiatione pecuniæ alienæ non sit restituendum, tamen restituendum est totum damnum, quod forte emerfit Domino, & lucrum, quod eidem cessavit, si eam pecuniam, qua per te caruit, ad negotiationem ille tradidisset, ut ex dicto patet. Lucrum illud, quod Dominus non solum communi, sed etiam singulari diligentia de facto percepisset, debet restitui, non tamen, quod percipere quomodocumque potuisset, casu vel fortuna. Ratio est, quia in illo damnum passus est Dominus ex tua culpa, non vero in hoc.

f Dic. l. c. n. 109. aliq.

25. Ex dictis solves illam dubitationem, an possessor malæ fidei teneatur restituere fructus, quos ipse fur non percepit ex re aliena, potuisset tamen percipere? solves, inquam, naviter distinguendo: si enim Dominus percepturus fuisset, tenebitur fur, quia tunc ex secunda regula fur fuisset Domino causa damni: si vero Dominus non fuisset percepturus, fur nequaquam tenebitur, in h foro conscientia, quia tunc non damnificavit Dominum, & ex alia parte nihil ipse accepit à re aliena, nec iuste, nec

injuste, cum nullos fructus acceperit, ut supponimus.

g Mor, Less. Mol. Vasq. aliq. apud Dic. l. c. n. 75. h Nam in foro conscientia cogitur fur restituere ea, l. si fundum, de rei vindicatione, Sanc. in decal. lib. 1. c. 2. n. 110.

26. Solves item illam aliam difficultatem, an fur teneatur restituere fructus, quos Dominus percepisset ex turpi usu suæ rei? solves, inquam, diligenter iterum distinguendo; si enim percepisset ex re sua inhonestè, id est, peccando, ita ut lucrum secutum fuisset ex ipso peccato, non tenebitur fur, illud lucrum restituere, quia huius generis lucrum non est fructus rei, sed humanæ malitiæ: at si percepisset, licet peccando, non tamen ita, ut lucrum secutum fuisset, ex peccato, sed ex re ipsa, seu ex usu ipsius rei suæ, tenebitur, quia tunc lucrum fuisset fructus rei Domini: sic solet obligari fur ad restitutionem pretij locationis domus, quam Dominus, etiam cum peccato, locasset meretrici.

i idem Dic. ib. n. 99.

27. De eiusmodi fructibus multa dicentur inferius, cum de restitutione ex re accepta, quæ omnino sunt hic applicanda, ubi etiam propter materiæ connexionem agetur, quasnam expensas possit sibi deducere possessor malæ fidei?

§. VIII.

Etiã si res perjerit.

1. **S**I equus v.g. injustè acceptus, vel casu pereat in manu furis, vel casu.

F. 2.

casu.

casu deterior evadat, non periturus, nec deteriorandus in manu Domini, *aa* factentur omnes, fure debere restituere totum illius valorem, vel quanti existimatur à prudenti viro damnus, quod per illam deteriorationem factum est Domino; immo etiam damna inde secuta, & in dubio, quod damna consecutura essent, debere pro rata dubij compensare. Ratio est, quia fur omnium horum damnorum causa esset.

aa *S. Th.* 2. 2. q. 62. ar. 6. in comp. *Sot. Couar. Med. Silu. Tol. Petrus Nau. Reb. Vasq. alijq. apud Dic. li. 2. ar. 2. d. 2. dub. 4. n. 49.*

2. Verum si equus (idem de ceteris rebus) ita perijt V. G. ex incendio casuali, vel per justam hostium incurfionem, apud furem, ut eodem profus modo periturus certò fuisset apud Dominum, aliqui *a* obligationem restituendi in controversiam vocant. Sed controversia non difficulter soluitur. Afferò enim ex sententia probabilissima, *b* tunc furem nihil debere, quia tunc nihil damni re ipsa fur intulit Domino. Confirmatur, quia detrimentum illud erat in sua causa inevitabiliter præparatum, ac proinde secundum moralem æstimationem perinde erat, ac si jam illatum foret, ergo fur ille, vel destructor non censetur damnus intulisse, moraliter loquendo, si quidem nihil propterea minus habet Dominus, quam habuisset. Hinc infererebat Præceptor *c* meus, eum, qui interficeret hominem paulo post certissime meriturum, esse verum homicidam, atque irregularem, non tamen teneri de damno secuto familie &c. quia non dedit detrimentum, quod morali-

ter non censetur jam datum per certissimam illam mox futuram mortem.

a *l. Covarr. Regula, Peccatum p. 2. §. 6. & alios, quos ipse refert. b* *Less. l. 2. c. 12. du. 15. Mol. t. 3. d. 725. Vasq. de rest. c. 5. §. 1. dub. 11. n. 66. Dic. l. c. 11. 52. cit. Silvest. Arm. Cov. Reb. alijq. c. P. Iosepho à Cost. Soc. Iesus in manus. de Iust. & jur. p. 2. sec. 4. dub. 1. id quod habuit ex P. Nav. lib. 4. c. 1. dub. 3. n. 28. & nunc refert Dic. l. mox cit. n. 75.*

3. Solum ergo evenire potuit, ut antequam equus perjerit, eodem modo apud Dominum periturus, illo usus fuerit fur, vel equus lucrum aliquid pepererit, vel ex carentia eius, Domino ante idem tempus eveniret damnum, seu cessaverit lucrum; tunc profecto hæc omnia antecedentia damna debere à fure Domino refarciri, ex §. precedente satis est certum, quia hæc lucra non erant Domino, ut supponimus, defutura, & ex alia parte, ut ad satiætem dictum est, res semper suo Domino fructificat.

4. Adverte, me dixisse nu. 2. (ex incendio casuali, vel per justam incurfionem) si enim res peritura erat apud Dominum per injustitiam alterius, non propterea *d* excusabitur fur à restituendo; nam ille, qui per injustitiam abstulisset, obligatus fuisset restituere Domino, ergo si tu præveniisti, similiter tenebris, quia obligatio, quam alius subiisset, in te translata est, ratione damni, quod alterum præveniens præintulisti.

d *Dic li. 2. de just. tr. 2. de 2. dub. 4. n. 75. citans Less. Mol. Vasq. Petr. Navarr.*

Verum

Verum cur in te translata est obligatio restituendi, quando res peritura erat apud dominum per iniustitiam alterius, cum concedamus, non transferri, quando casu, vel iuste? At æque res aliena apud te perit sine tua præsentis culpa, ut nunc supponimus. Nam si tu ante consumpseris, alia est ratio, ut mox n. 7. dicitur. Maiori ergo id indiget discussione Theologica.

5. Adverte iterum, me ibidem dixisse (certo periturus apud Dominum) si enim dubium esset, an res apud Dominum peritura fuisset, tenebitur e fur ad restitutionem rei ablatae, quia in dubio melior debet esse conditio Domini. *e Sil. Reb. Lesb. Reg. alij apud Dic. l. c. n. 70.*

6. Instas; At modo n. 1. dictum est, in dubio de damnis consecuturis debere restitui solum pro rata dubij.

Respondeo, ita in damnis consecuturis Domino, ex privatione rei per furem ablatae, sed in re ipsa ablata, de qua hic loquor non ita. Ratio est eruenda ex illo principio aliàs f. explicato, quod semper judicandum est in dubio pro possidente. Cum ergo prius sit, rem Domini vivere, seu existere, dubium autem emergat, an fuerit peritura, judicandum erit pro rei vita, seu existentia, atque adeo pro Domino ipsam possidente. At cum lucra consecutiva ex te nondum existant, non possident, & ideo in dubio pro ipsis non poterit judicari, nec pro Domino, quasi ipsa possederit. Sed quia ex alio capite supponimus, ea sperata certo fuisset à Domino, æquum est, ut pro rata dubij, seu quantum spes illa existens æstimari à prudenti poterat, restituatur.

f. sup. l. r. c. 3. §. 6.

7. Ille alius casus occurrere posset difficilioris solutionis, Petrus tritici mensuram furatur, illamque hodie consumit, vel vendit: cras autem hostes irruunt, vel ingruit alluvies, seu incendium, quibus triticum, siue fuisset inventum apud furem, siue apud Dominum, æquali modo periisset: quæri jam potest, an nunc Petrus tritici valorem reddere teneatur? Vides, in præcedenti casu non præfuisse Petri iniustam consumptionem, sicuti in præsentis? Atque id etiam quæri potest de damnificante rem alienam, segetem V. G. alienam hodie combustam, debetne restituere totum segetis valorem, si æque comburenda sequenti die fuisset apud Dominum?

8. Respondeo, Id in tribus evenire circumstantijs potest: primò, si fur consumat vendatque g, vel destruat ante incendium prævisum; & tunc ajo, furem debere totum tritici, vel segetis valorem restituere. Ratio est, quia tunc res erat Domini, & quia non prævidebatur periculum vllum, res valebat suo iusto pretio: si ergo iniquè eam fur consumpsit, contraxit obligationem eam restituendi, quæ tolli non potest, nisi actu fiat restitutio h

g l. Lesb. l. c. n. 95. Vasq. l. c. nu. 71. Mol. t. 3. d. 726. nu. 2. Delugo t. 1. de just. d. 18. seq. 4. n. 77. Pet. Nav. li. 4. c. 1. dub. 3. fuse. h legatur Dic. li. 2. de just. tr. 2. d. 3. dub. 4. à nu. 74. qui videtur benignius loqui.

9. Secundò, si aliquod periculum subodoratum fuit, quo existente fur iniquè consumpsit, vel vendidit, & tunc ajo, remanere in fure obligationem re-

T t 3

stituens

fituendi quidem, sed minus, quantum scilicet iudicabitur à viro experto, ex illo periculo, rei pretium diminui; quod si vendidit, debet pretium dare Domino, cuius erat triticum, quia pretium succedit loco rei, & in hoc jam invenitur factus ditior ex re aliena fur; dummodo advertat, minoris etiam debuisset, propter tale vitium periculi imminenti, rem vendi: quod si vendita est antiquo pretio, debebit pars pretij, excedens emptori reddi, non Domino, quia in illo excessu emptor fuit deceptus, non vero Dominus fuit à te injustè damnificatus.

10. Tertio, si periculum timebatur certum & infallibile, quo pacto res nihil valebat, quis enim rem jam jam certo perituram, nullique vsui sibi utilem emere pretio vellet? & tunc, ajo, nihil deberi à fure, quia nihil damni intulit, consumendo rem nullius valoris. adde, Dominum tacitè consentire huic consumptioni. Quis enim non vellet à te panem, v. g. consumi potius, quàm absumi ab imminente domus incendio?

17. Petes: fur, si posset rem à se ablatam eripere, à simili v. g. incendio, obligaturne eripere? idque ex Iustitiane, an ex charitate? respondeo, obligari ex Iustitia; ratio est, quia fur, quamvis non sit absolute custos rei ablate, quia tamen semper obligatur, rem Domino restituere, consequenter obligatur, rem eandem conservare, saltem equali diligentia & labore, quo res suas conservaret, nè scilicet ponat voluntarium impedimentum ad restituendum, ergo contra Iustitiam peccati conservet, cum possit, quod

idem est: ac dicere, si cum possit, ab incendio non eripiat.

1. *Esse, negare videatur. Less. Cr. V. 1. q. 1. c.*

12. Quid, si quis rem surripiat ante incendium, quo certò res erat apud Dominum peritura, obligaturne illam restituere, an vero, ut suam possit consumere? respondeo, obligari restituere, nec ut suam posse consumere. Ratio clara mihi est, quia res quomodo-cumque salva fiat, Domini semper est, nisi ex circumstantijs certo appareat, rem à Domino jam fuisse verè & ex animo, non vero solum ex necessitate derelictam. Vide, quæ dixi tr. 2. c. 8. n. 14. Fortunæ igitur suæ Dominus tribuat, si res in tuto posita fuit à fure: deducere tamen pro se furem posse pretium sui laboris & industria, si quæ fuit, ipsa recta ratio dicit: quantum autem erit hoc pretium, facile colliges ex dictis tract. 2. cap. 8. à num. 7. in simili.

Quando res perijt in via, sub ejus manu, cum quo eam mitto ad Dominum, quid faciam, dicam infra tr. 4. §. 1. n. 3.

§. IX.

Onus restitutionis, quando non adfit, si acceptio, vel detentio sint dubie injustæ.

DE hac cum satis ego disputaverim superius. l. 1. in Decal. c. 3. §. 7. verbo Restitutio; illuc accedat, si velit, curiosus Lector.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

§. I.

De secunda radice seu causa restitutionis,
quæ est res accepta.

Dum non constat, rem, quam ego possideo, esse alienam, dicor Possessor bonæ fidei: cum constat, dicor, & sum malæ fidei Possessor: quod si non constet, rem esse meam, sed nec constet, esse alienam, dicor Possessor dubiæ fidei.

2. Sit jam regula prima. Si quis rem alienam bona fide, ut suam quocumque titulo accepit, statim atque certo advertit, esse alienam, debet illam eandem, si extat, reddere Domino: immo Dominus potest sibi eandem, ubicumque illam invenerit, vindicare; ratio est, quia res quomodocumque accepta, ubicumque est, Domini est; quare nisi, qui eam habet, statim reddat, incipit esse injustus detentor, & subintrat pro consequenti tempore radix restitutionis ex injusta acceptione, de qua in præcedenti capite dictum est, quia rei alienæ detentio est continuata ablatio.

a *Less. l. 2. c. 14. d. 1. Mol. t. 3. d. 718. aliq. apud Sanchez. l. 2. id dec. o. 23. n. 34. Dic. l. 2. de just. tr. 2. d. 5. du. 2.*

3. Dixi (certo advertit) nam si sub dubio, vel sub probabilitate, quæ non defaciat moralem certitudinem, non est obligatus reddere, ut fuse alibi diximus, & mox innuam n. 15.

b *sup. l. 2. in dec. c. 3. à §. 3. & deinceps.*

4. Dixi item (illam eandem) nam non potest vnum pro alio, invito creditore *bb.*, restitui, cum creditor non solum habeat jus Iustitiæ *c.* ad rem ejusq; valorem, sed etiam ad hanc rem. *bb. l. Manifesti. C. de solut. c. Vas. Val. Mol. Rebel. Lop. Sotus.* quos citat sequiturq; *Dic. l. 2. de just. tr. 2. d. 2. dub. 2. n. 24. & 15. contra Pet. Nav. dicentem, solum esse contra Charitatem.*

Duas tamen adhibeo limitationes: alteram in rebus usu consumptibilibus, seu functionem habentibus, facile posse reddi vnum pro alio in eadem specie. v. g. habet quis mensuram frumenti alieni, potest mensuram alterius frumenti æque boni reddere: ratio est, quia hæc sunt adeo æquivalentia, ut non sit judicandus invitus creditor: alteram, in rebus, quæ functionem non recipiunt, tunc solum potest vnum pro altero æqualis pretij debitor restituere, v. g. vestem pro equo &c. hunc equum pro alio, immo pecuniam pro equo &c. quando creditor non habet peculiarem affectum ad rem suam individuan; ratio est eadem, quia tunc non erit graviter invitus creditor. Atque hæc doctrina cum prædictis duabus limitationibus propter paritatem rationis locum habet etiam in possessione malæ fidei, quando res est restituenda ex radice injustæ acceptionis.

5. Regula secunda *cc.* Si rem alienam bona fide acceptam, bona item fide in totum quis consumpsit, vel destruxit, nihil remanente, in quo factus sit ditior, si ve fuerit res ex se consumptibilis, & ut Jurisperiti loquuntur, functione recipiens, ut triticum, vinum &c. si ve non, ut equus, vestis &c. ad nihil

nihil tenetur, quando deinde advertit se consumpsisse rem alienam. Ratio est, quia cum sine culpa contra Iustitiam fuerit destructa, non est caput, unde oriatur obligatio restitutionis: dico, contra Iustitiam; nam quamvis destruxerit lascivendo V. G. vel simili modo, cum non fecerit contra Iustitiam, onus restitutionis non incurret.

cc *Idem, & passim.*

Petes primò: quando rem mihi tibi-lem alienam cum mea misceo, judican- dumne est rem alienam extare, atque adeo me debere illam in individuo? an judicandum potius, esse destructam, atque adeo me debere pretium, seu id quo factus sum ditior? Respondeo. Id colliges ex meo dicendis §. 4.

6. Petes hac occasione secundò: Si mihi Mercator tradat merces, vtu non consumptibiles, quas meæ dispositioni committat, dicendo V. G. Committo tibi has merces, ut de illis disponas, V. G. vendas, quomodo vis: . dummodo respondeas mihi, tradendo id, quod ex illarum distractione conquiret: vel, quod in idem recidit, si mihi mercator easdem tradat iusto pretio æstimatas, ut illud pretium eidem mercatori post illarum distractionem sine fraude restituam: si, inquam, mihi sic confignentur merces, judican- dumne erit rem alienam extare, atque adeo restituendum in individuo, an transisse in meum dominium, atque adeo solum restituendam pretium? Respondeo, esse distin- guendum. Nam absolutè nulla alia voluntate tua accedente, merces sunt mercatoris; solum enim tibi commit- tit (sic enim supponitur) ut eas mere procuratoris, seu utilis gestoris nego-

tiorum ipsius, debita moraliter diligen- tia vendas. At si accedat aliquis actus tuus, quo illas velis tibi emere, vel ipso actu exercito de illis mercibus dispo- nas, tamquam de tuis, ut si illas pignori des tuo creditori, vel tuo familiari do- nes, vel alio modo consumas, tunc mer- ces erunt jam tuæ; cum obligatione red- dendi pretium mercatori, quia tunc actualiter vel virtualiter d' emisti, consequenter creditor vel amicus ni- hil debent mercatori: siquidem rem tuam, non rem mercatoris acceptant. Si tamen eas, extra necessitatem extre- mam, vel gravem, dones, vel pignori des tuo dicto creditori, prævidendo, ti- bi non suppetere, unde possis facere mercatori, satis peccas contra fidelita- tem procuratoriam: & quidem, si id fuerit in re notabili, peccas graviter, ut ex se patet, remanente semper in te ob- ligatione restitutionis pretij, si quando potens solvendo fueris:

d' *Passq. deo. 503.*

An vero creditor vel amicus, dum has acceptant, prævidentes suum pre- tium mercatori defuturum, peccent, necne, sive te inducant ad dandum, sive non inducant, ex dicendis §. 4. n. 26. colligi poterit.

7. Regula Tertia. Si res e non est in totum destructa, sed remanet in ali- quo, quo redditus est quis locupletior, hoc in quo factus est locupletior, debet is restituere, ut primum advertit, id sibi per se provenisse ex re aliena; ut ac- cideret exempli G. si quis rem alienam bona fide vendidisset, & pretium habu- issent à venditore. Ratio est, quia hoc succedit loco rei: quare, sicuti rem vel partem rei, si extaret, debuissim red- dere.

de re, sic hoc, quod remanet: adde, non esse æquum, quempiam divitem fieri ex re aliena.

Dixi autem (per se provenisse) id enim solum succedit loco rei alienæ, non verò id, quod ex occasione ipsius, seu per accidens acquiro. Si enim v. g. pecuniam, quam bona fide meam puto, negotiationi subdam, totum lucrum meum erit, quia id est fructus industria meæ, nec per se provenit ab aliena pecunia, quæ ex se est sterilis. Pari modo, si occasione, quod ego vestitus veste aliena pretiosa, inviter à Principe, & aliquid lucrer, totum, quod acquiro, meum erit, quia per accidens hoc lucrum sequitur à re aliena.

Consumens rem bona fide acceptam.

8. Ex dictis fit primò, ut si quis invitatus ab amico, edat cum illo res furtivas, nesciens, esse ex furto, ad nullam restitutionem teneatur, si ipse in nullo factus est ditior: at si insumpsisset aliquid æquale in suo cibo, vel partem, æquale vel partem debet ex communi opinione restituere, quia in his factus est ditior.

f. lidem, quibus adde Vasq. c. 9. de rest. §. 2. num. 4. & 5.

Dico (ex communi) nam Delugo g ex alio capite hunc omnino liberat à restitutione; quia nimirum, dum comedit, tanquam minister, seu instrumentum invitantis, sine culpa esculenta destruit, veluti si gemmam alienam, quam bona fide putat Petri, v. g. projiceret aliene. Quid si donaturus fuisset majus- jus? v. g. centum aureos in tritico, sed quia ipse illa non acceptet, non contrahit obligationem restituendi ex re ac-

cepta. Verum id mihi non placuit superius h, cum de Religioso invitato sine superioris licentia ageré: & nunc in hoc casu multo minus placet, saltem ex eo, quod invitatus non utitur his speculationibus, nec intendit comedere, ut merum instrumentum invitantis, sed more humano cibum acceptat & comedit: quare moraliter rem tacite accipit, & consequenter obligatur ex re accepta: non sic, quoad gemmam prædictam, vel quid simile: non enim acceptat gemmam, & ut suam projicit.

g. Delugo t. 1. de just. d. 17. sect. 1. n. 15. lege Bannes, & Salon apud Dian. p. 3. tr. 5. ref. 4. qui ex alio capite nunc bona fide consumentem res unico actu consumptibiles liberant à restitutione, quamvis in aliquo factus sit ditior; sed non placent. h. sup. tr. 1. c. 2. §. 5. n. 9. & 10.

Donans rem bona fide acceptam.

9. Fit secundò i, ut si ego rem furtivam mihi ignoranti donatam bona fide do alicui, vel postquam eam consumpsi, eidem, qui mihi rem illam donavit, aliquid æquale ob gratitudinem retro dono, nihil restituere debeam, cum adverto, rem fuisse furtivam, quia in nihilo factus sunt ditior: at si ego donaturus fuisset æquale, vel minus alicui amico, quod mihi reservavi, quia rem furtivam donavi, hoc æquale vel minus restituere debeo domino jam nunc cognito, quia in hoc factus sum ditior, & hoc succedit per se, loco rei ditior. Quid si donaturus fuisset majus? v. g. centum aureos in tritico, sed quia dedi quinquaginta in auro furtivo, totum triticum mihi reservavi.

Vu

Respon-

Respondeo, ut primum cognosco, autem fuisse alienum, solum debeo quinquaginta reddere domino. Ratio est, quia excessus, quem mihi reservatum invenio, fuit reservatus per accidens, ex occasione rei alienae datae, non vero per se, atque adeo meum est, non alterius.

i Ex iisdem.

Vendens rem bona fide acceptam.

10. Fit tertio, ut ex dictis decidi debeat, quid sit restituendum, & quantum, si res aliena bona fide vendatur; Dico, esse distinguendum; vel enim primo, rem alienam bona fide emisti; vel secundo, dono, seu sine pretio habuisti; & in utroque casu deinde, bona item fide vendidisti. In priore casu, non obligaris quicquam restituere domino rei, quia apud te res aliena non extat, nec in aliquo ex illa es locupletior; pretium enim, quod nunc vendendo accipis, jam antea solueras emendo. Dixi (domino rei) nam an debeas aliquid sibi emptori, cui tu vendisti, dicam mox num. 14. In posteriore casu, debes dare totum pretium domino, quia in hoc factus es ditior. Nota, si dominus forte rem suam recuperavit ab emptore hoc ultimo, ut certe potest, si extet, quia semper sua est, tunc te emptori huic pretium reddere debere, ne scilicet ex aliena re locupleteris, certum esse.

i Ex iisdem, quib. adde Laym. l. 3. sec. 5. tr. 4. c. 17 §. 3. n. 25. l. Dian. 2. t. tr. 5. miscell. res. 41. & 42. Case. utrumq. Med. a. liosq. apud Dic. lib. 2. de just. tr. 2. d. 5. dub. 8. num. 148.

Inquires: quantum debet huic emptori, vel domino dari, totumne pre-

tium, quo rem tibi dono datam vendidisti, an satis est, dare partem? Respondeo, si bona l. ut dictum est, fide vendidisti, medio vel infimo pretio, totum hoc debes. quia hoc succedit loco rei domino debitae; at si vendis supremo pretio, vel etiam maiore, id potest evenire ex duplici capite.

1 l. eosdem qu. 6. adde Dic. lib. 2. de just. tr. 2. d. 5. du. 7.

11. Primo, ex eo, quia res eadem v. g. equus ex se, vel ex circumstantiis crevit in pretio, sive ob majorem aetatem equi, sive ex penuria equorum superveniente; & in utroque casu debes totum, quantum quantum fuit, pretium reddere: Ratio est, quia res est semper domini, & domino valet, quanti valet. Scio, aliquos m docere, tunc satis tibi esse, si valorem medium reddas domino, & te posse excessum tibi reservare. Ratio est (inquiunt) quia sufficit, si domino reddas, quanti possit rem aequalem suae sibi emere, vel comparare; at potest emere facile, ut supponimus (secus enim, non haberet locum haec doctrina) per illud pretium medium: ergo sufficit, si illud dumtaxat restituatur: confirmant: si dominus recuperasset suam rem ab eo, cui tu rem tibi donatam vendidisti, non tenereris excessum illum eidem domino dare, sed potius emptori; jam enim ipse dominus plene est satisfactus per suae rei recuperationem; ergo nec teneris, excessum illum eidem dare; jam enim ipse tantum habet per pretium medium, quantum sufficit ad similem rem sibi comparandam. Scio, inquam, hoc, & certe id esse non probabile, inficiari non possum.

m Mol. t. 4. disp. 721. n. 10. n. proba-

12. Se-

bile, in praxi tutum id esse faterur Dic. l. c. n. 24. licet ipse contrariam sententiam sequatur.

12. Secundum caput, unde tu carius vendere potuisses rem tibi alienam dono datam, est, quia ejusmodi rem in alium locum transtulisti, vel similem non vulgarem diligentiam adhibuisti, & tunc, quia ille excessus est fructus solius tuæ industriae, potes totum illum tibi attribuere. Verum, quia ad pluris rem vendendam non solum valet industria, sed etiam regulariter ipsa substantia rei, quæ venditur (quod non est ita in mera negotiatione pecuniæ, quæ ex se sterilis est,) ideo notat Sanchez, p non totum hunc excessum posse à te retineri, sed solum, quantum arbitrio prudentis respondet tuo labori & industriae; & rectè Delugo q ob hanc rationem docet, tunc numquam sufficere, dare pretium infimum.

o Mol. & Laym. apud Dian. p. 3. t. 5. ref. 47. p Sanc. l. 2. in Dec. cap 23. nu. 28. q Delugo t. 1. de just. d. 17. sec. 1. n. 21.

Donans pretium rei alienæ bona fide venditæ.

13. Sequitur quartò, ut etiam decidatur ex dictis, quisnam restituere teneatur in sequenti casu? Antonius equum Casaris bona fide ab amico dono accepit, mox eadem fide illum vendidit Francisco, atque ejus pretium idem Antonius dono dedit Petro; quisnam reddere equum, vel ejus pretium debet Casari domino, quando constabit, equum fuisse Casaris, Antoniusnè, an Franciscus, an Petrus?

Respondeo ex dictis r, nihil Antonius debet Casari, quia Antonius in

nullo nunc invenitur factus dicitur ex Casaris equo. Rursus nihil item debet Petrus, quia Petrus numquam habuit alienum equum, & pecuniam, quam dono habuit, accepit ab Antonio domino legitimo illius pecuniæ: qui, ut suppono ex mox dicendis, per admistionem pretij equi cum sua pecunia factus est dominus illius pretij; quare sicuti licitè quis data à latrone vel fraudulento latrone potest retinere, quia hi sunt facti domini illius pecuniæ per admistionem cum suis (ut supponimus) nam si facile discerni potest, restituenda est, utpote res domini; esto, personaliter remaneant obligati ad restitutionem; ita multo magis in casu nostro, in quo Antonius bona fide illud pretium acquisivit: Et sicuti in casu dicto latronis ex probabili sententia, quam mox s asseram, mihi non imputatur, si quando per donationem illam pecuniæ mihi factam, fiat ipse latro impotens ad dictam restitutionem, quando ego eam impotentiam non prævideo, vel etiam si prævideam, latronem tamen non induco ad donandum, sed solum accepto, ita etiam in casu nostro &c.

r Item Sanc. l. 2. in dec. c. 23. nu. 18. s mox §. 4. n. 26. fin.

14. Remanet ergo Franciscus, qui quidè est obligandus ad equum reddendum suo domino, nempe Casari, etiam cum jactura suæ pecuniæ; suo enim infortunio debet adscribere, quod res aliena ad quam semper jus habet proprius dominus, apud se extare invenitur: sed certè Antonius, quem nihil debere Casari diximus, debet tamen Franciscus totum pretium reddere in casu, quo idem Franciscus Casari equum suum

suum reddiderit. Ratio non ducitur ex radice injustæ acceptionis, vel ex radice rei acceptæ, quæ hic, ut patet, in Antonio non adsunt, sed ex contractu, quo Antonius Francisco rem vendidit; in hoc enim contractu implicitè includitur, ut venditor indemnem reddere debeat emptorem, quoad rem venditam, ut scilicet hæc sit vendibilis, & ut ipse venditor possit transferre ejus dominium in emptorem &c. Sanè eodem modo, si vendidisti bona fide vitrum pro gemma, cognito errore restituere debes pretium, seu rescindere contractum, ut indemnem serves emmentem. Atque hæc ratio valet, etiam si Antonius equum prædictum emerit justo pretio v. g. à Titio; nam licet ipse Antonius possit à Titio venditore, propter dictam rationem indemnitis, exigere suum pretium, tamen ipse Antonius obligatur ex vi suæ venditionis factæ Francisco, Franciscum indemnem reddere, nec potest remittere Franciscum ad Titium, cum quo Franciscus nullum iniit contractum; & per hoc resolvitur id, quod innui supra num. 10. lege Delugo & Dicastillum, & ponentes aliquas utiles considerationes circa hunc & similes casus.

t. Sot. Petr. Navarr. Val. Rebell. Axor. Less. apud Dicast. l. c. dub. 8. à num. 150. contra Navar, qui putat, satis esse, si Antonius cedat Francisco actionem, quam habet contra Casarem. u. Delugo t. 1. de Inst. d. 17. sect. 5. à nu. 109. x. Dicast. l. c.

15. Petes hic denique, ad quid obligetur quis, si sit dubius, an factus fuerit dominus ex re aliena bona fide accepta?

Respondeo, ad nihil, quia in dubio melior est conditio possidentis; idem

dic, si sis dubius, an res, quam bona fide habes, sit aliena, & post moralem diligentiam, dubium evincere non potes. Differentia autem magna intercedit inter dubium superveniens, postquam rem bona fide possides, & inter dubium, quod forte sit, antequam rei possessio à te occupetur: nam hic tibi non suffragabitur possessio, suffragabitur in dubio superveniente: sed de his, ut etiam quando res est probabilis, multa satis sunt disputata sup. lib. 1. c. 3. 6. & 7.

16. De emptione rei furtivæ multa dixi Tract. 2 c. 8. solum in hunc locum sequentes duas quæstiones reservavi.

§. II.

Prima quæstio, an rem, v. g. equum bona fide tibi venditum, vel donatum, ubi noscis esse furtivum, tibi liceat furi reddere?

1. **Q**uoad venditum, dico non licere, si sine gravi incommodo per Iudicem, vel alio modo possis tu emptor tuum pretium habere, & dominus suum equum: licere autem, si prudenter credas, dominum facile recuperaturum suum equum, & te pretium; ut si furem furti poenitisset, & tibi pretium, dominoque equum is redditurus esset: immo in hoc ultimo casu puto, te debere eidem furi equum reddere, quando scilicet, secus furi aliquod injustum damnum immineret, ut bis solvere pretium equi, vel quid simile. Rursus dico, non licere reddere furi, si per talem redditionem non speras, te recuperaturum tuum pretium, nec aliquod grave malum à fure times, si illi

si illi non reddas. Ratio est clara, quia tunc non esset caput, unde possis rem in manu latronis cum domini damno reponere.

2. Hæc sunt facilia; illud difficile: an quando scio, furem non redditurum equum domino, possim ego ipsi furi reddere equum, à quo bona fide emi, in eo casu, quo mihi aliter meum pretium recuperare non datur? Negat *a* Molina, concedit Rebellus *b*, & Vasquez *c*, cum quibus sentio: ratio est, quia cum ego solum tenear, equum reddere ex re bona fide accepta, sufficiet, si illum reponam in eodem statu, in quo erat: non enim videor cogendus, illam cum meo damno domino restituere, quia sic æque obligarer, ac ipse fur, qui rem habuit mala fide: cum ergo minor sit mea obligatio, solum obligabor, domino restituere, quando non patior æquale damnum, non verò in nostro casu, quo par detrimentum paterer, meum pretium amittendo. Vnde vides, idem dicendum esse, si aliquod grave malum à fure rationabiliter timerem, si ipsi non redderem.

a Mol. to. 3. d. 722. quem sequitur *Azor*, alijque apud *Dicastillum* mox citandum. *b* Rebell. p. 1. l. 2. q. 9. *c* Vasq. de restit. c. 9. §. 2. dub. 2. nu. 12. & 13. idem sentit *Delugo* t. 1. de Iust. d. 17. sec. 2. *Dic. lib. 2. tr. 2. d. 5. dub. 4. num. 95.* citans *Tol. Arag. Bonacin.* à quo falso citari *Azorium* pro hac sententia notat *ibi Dicast.*

Dixi (posse me reddere furi, seu illi, qui mihi rem vendidit) nam vendere alteri non possum, etiam ad recuperandum meum pretium. Ratio est, quia sic facerem injustum contractum, ven-

dendo rem alienam; at restituere eidem furi, non est facere contractum, sed præteritum rescindere, quæ rescissio ex se injusta non est, quia ego non teneor stare ei contractui, cum meo illo damno amissionis pretij.

4. Obijcies: non potest debitor restituere rem, v. g. gladium domino, si sciat, dominum illo abusurum, v. g. ad injustè occidendum, ne scilicet cooperetur cum illius peccato, ergo nec emptor, de quo loquimur, poterit restituere rem furi, qua scit, furem abusurum, dum eam ipse fur non reddet domino. Respondeo, nego paritatem, quia debitor ille supponitur, nullum pati damnum, si rem eo casu non reddas; at in casu nostro patitur, nempe amittit suum pretium; nemo autem tenetur procurare bonum temporale alterius, cum æquali suo damno, ut dictum est. Adde, in casu nostro (quidquid sit in illius gladij debitore, de quo suo loco) cooperationem ad peccatum alterius fore admodum remotam; at cooperatio remota ex multis capitibus excusatur à peccato, ut alibi diximus; hic autem erit excusatio ab æquali damno &c. d. *infr. tr. 4. t. 1. §. 3.*

5. Obijcies rursus: si dominus equi emptorem apud Iudicem deferret, Iudex illum cogeret, reddere equum, non furi, sed ipsi domino: ergo & idem ego obligabor in conscientia.

Respondeo: nego consequentiam, quia Iudex supponit, furem non inveniri, ut is cogatur ad restituendum pretium, & sic Iudex operatur ex præsumptione, quod ego pretium recuperare non possim, quando jam nos n. 1. falsi sumus, non posse rem reddi furi: cum

ergo in nostro casu emptor reddendo rem furi, possit suum recuperare, non injustè aget, si se indemnem servet. At cur Iudex ita supponit, & non potius quarit furem, quem cogat ad reddendum pretium? Respondeo, quia non tenetur Iudex, nisi ad ea, quæ à partibus proponuntur: immo Iudex prudenter præsumit, rem alienam mala fide fuisse emptam, & consequenter cogit absolutè emptorem ad restitutionem; secus, daret aditum fraudibus, & quilibet à fure etiam mala fide libenter emeret, quia semper esset securus, suum pretium per Iudices se recuperaturum; alias objectiones vide apud citatos.

6. Quoad rem non mistibilem donatam, jam ex dictis colligis, rem tibi à fure donatam bona fide, multo magis mala fide, vel etiam apud te forte ab eodem fure depositam, statim ac furtum advertis, te debere domino restituere. Ratio est eruenda ex iisdem dictis, quia in hoc casu nullam pretij iacturam facis. Excipe, nisi forte à fure tibi grave aliquod proportionaliter damnum immineret; tunc enim sufficeret, furi restituere, ut etiam ex dictis colligi potest.

Dixi (quoad rem non mistibilem) nam si fuerit pecunia, vel ita mistibilis, ut immista cum rebus latronis discerni nequeat, jam innui §. 1. n. 2. & iterum explicabo §. 4. præsertim n. 26.

§. III.

Secunda quæstio, quoad idem, quando adfuit mala fides.

1. Si rem furtivam à fure mihi venditam mala fide emi, & meum

recipere alia via non possim, quaritur, an possim reddere furi, ut ipse meum pretium reddat? Non posse, docent aliqui a, posse, melius alij b, propter paritatem rationis, cum emptor bona fide. Nam sicuti, qui debet restituere ex injusta acceptione vel retentione, satisfacit tollendo injustam acceptionem & injustam retentionem, ita qui debet restituere ex injusta emptione, satisfaciet, quantum est ex hoc capite, si tollat injustam emptionem; tollit autem emptor, si rescindat contractum cum venditore; ex alia parte idem emptor non cooperatur sic cum malitia venditoris, quia suum damnum, nè scilicet suum pretium amittat, satis ipsum excusat à tali cooperatione.

a *Less. Turrian. alij apud Delugo mox citandum, Sic. l. c. n. 113. afferens Molin. Rebell. Bannes, Vasquez.* b *Diana, & Delugo cum alijs ab ipsis citat. t. 1. de iust. d. 17. sect. 2. nu. 37. Tolet. Silvest. alij apud Dicast. l. c. num. 122.*

2. Dixi (quantum est ex hoc capite) nam, si diu emptor retinuit cum gravi damno domini rem, tunc debet resarcire damnum ob injustam retentionem.

3. Inquires, quanto tempore hic emptor malæ, ut item ille bonæ fidei, potest retinere rem furtivam emptam, ut tractet cum fure de rehabendo suo pretio? Respondeo, id secundum moralem prudentiam ex circumstantijs est decernendum, præ oculis habita illa regula, ut ex hac retentione (quæ certè non valdè longi temporis esse debet) non redundet in novum damnum domini. Vide Delugo citatum n. 33.

4. Si rem furtivam mala fide mihi donatam mala fide accepi, omnino me illam

illam debere domino restituere, non autem furi, jam dixi modo num. 22.

De emente, ut item de acquirente rem alteri obligatam.

Incidit hic dubium de re alteri hypothecata seu obligata, quam ego fortè emi, seu per hæreditatem acquisivi, in seius ejusmodi obligationis. Domum v. g. emi à Petro, justo pretio centum aureorum; deinde apparet, eam esse obligatam Francisco in aureis viginti; an debeam ea viginti Francisco solvere? Respondeo, communis est doctrina, me debere vel solvere, vel tradere illi domum, licet postea regressum habeam contra Petrum venditorem: ratio est, quia tunc urget radix restitutionis ex re accepta; sicut enim si emissem eam domum à fure, nullum ego in eam dominium acquisivissem; ita nunc secundum illam partem respondentem viginti aureis non acquirò dominium, saltem plenum & perfectum, quia secundum illam obligata est creditori, & veluti ejus est ea pars. Si vendidisset tibi eam domum is, qui erat in extrema necessitate, te non obligat Valerus *a*; verum id vidè apud Delugo *b*, res est enim rarissimi eventus.

a Valer in Diff. utriusque fori, v. de bitum, diff. 11. b Delugo dicta d. 17. sect. 5. à num. 95.

6. Si acquisivisses hæreditatem paternam, v. g. quæ verè non sufficiat ad patris debita, ad nihil teneris in conscientia, etiam si non feceris inventarium. Quod si bona hæreditatis sufficiant, sint tamen vinculata, debes solam ex fructibus solvere eadem patris

debita, si hæc debita sint contracta post institutum vinculum: at si fuissent contracta ante vinculum institutum, vel si fuissent contracta ab instituente revocabiliter dictum vinculum, debes ex capitali solvere, ut brevibus docet alijs citatis Bonacina *c*, quia antecessoris bona semper transeunt cum onere, quod habent, restituendi cuique suum.

§. IV.

Occasione predictorum explicamus, quando nam per conjunctionem res aliena transeat in meum dominium, ita ut non debeam rem ipsam in individuo.

1. **A**D multa usui erit explicatio, quam paramus afferre; nam propterea universaliter est tractanda, ut ne mireris. si ad alia, quæ hujus loci non videntur, divertamus: id enim facit, ut ea omnia, quæ de ejusmodi conjunctione ignorari non debent, hic in unum collecta lector addiscat.

2. Quatuor modis hæc coniunctio formari & esse potest: primò, per alluvionem: secundò per adjunctionem: tertio, per confusionem: quarto, per admixtionem.

Per Alluvionem.

3. Alluvio in legibus *a* alia est patens, alia latens; latens est, quando per alluvionem aliquid insensibiliter tuo fundo adjungitur: patens, quando ex fluminis vi detrahitur aliqua pars fundi tui vicini, & transfertur in fundum tuum. His positis.

a Institut. de rerum divisione, §. præterea, quod per alluvionem, & deinceps. Dico,

Dico, augmentum fundi factum per latentem alluvionem esse tuum. per patentem esse prædicti tui vicini.

4. Rursus insula, quæ per alluvionem solet de novo nasci, nasci potest primo in alto mari, quod nullius domini fit: secundo in medio fluvio: tertio in eodem fluvio, sed prope tuum agrum: quarto in eodem fluvio, sed prope agrum vicini. His positis

Dico in hanc sententiam: si primum, Insula est primi occupantis: si secundum, dividatur inter te, & illum, qui est è regione positus: si tertium, erit tua, etiam si deinde sensim, & latenter extendatur usque ad vicinum: si quartum, erit vicini, ejusdemque erit similis latens extensio.

5. Denique sic ajo. Si alveus fluvij divertat in aliam partem, novus alveus fiet publicus, vel ejus, cujus erat fluvius: antiquus verò accrescit ijs, qui agros utrimque habent. Quod si fluvius ex tuo agro insulam faciat, nemo dubitat, insulam illam esse tuam.

6. Hæc vel sancita sunt in varijs legibus, vel ex illis deducuntur, quas vide passim apud Doctores c: apud quos etiam invenies, an hæc accrescant usufructuario, an domino proprietatis, an emphyteutæ, an feudatario: quæ sunt quæstiones pertinentes ad Iuris peritos.

b Quos affert Mol. l. cit. alijque passim. c Mol. fo. 1. d. 57. Delugo t. 1. de Inst. d. 6. sect. 13. a num. 157.

Ter adjunctionem.

7. Querimus, an quando aliquid alienum adnectitur tuæ rei, totum fiat tuum; v.g. partem vestis pretiosæ alte-

rius, consuis tuo vestimento, vel gemmam alienam tuo annulo inseris, an tota vestis, annulusque fiant tua? tua esse, colligitur ex §. Quod si partem, Inst. de rerum divisione, cum obligatione tamen, ut semper supponimus, reddendi domino æstimationem suæ rei.

8. Verum sic est distinguendum: vel primo, res aliena non potest separari, salva tota re, ut si non purpurea vestis pars, sed lanæ, seu fila purpurea aliena fuerint intexta cum tuis alijs filis, vestemque composuerint, & tunc non dicetur purpura adjuncta tuo vestimento, sed vel admixta cum tua, vel confusa in tuo, quia pars tua separari nequit, salvo vestimento: immo non raro, nec discerni poterit, ut si ejusdem rationis colorisque essent tua, & aliena fila: atque de hoc loquitur §. citatus. & nos à num. 11. loquemur: sicuti de admixto dicemus à num. 15.

9. Vel secundo res aliena potest discerni, ac separari à tua: & tunc verè dicitur adjuncta, & ejus tractatio pertinet ad hunc numerum: in quo casu omnis æquitas requirit e, ut pars illa adjuncta remaneat sui domini: cum enim partis illius dominium nunquam dominus amiserit, & ex alia parte discerni & separari possit, cur non sit separanda, ac domino restituenda?

d Delugo t. 1. de Inst. d. 6. sect. 13. num. 160. e Dicastrill. lib. 2. de Inst. tr. 2. d. 5. d. 9. num. 184. & 190.

10. Sed quid dicendum de ædificijs & plantis, quæ solo adjunguntur? Respondeo, ut ædificij dominus f. fias, debes in proprio solo illud construere: nam si in alieno, ejus erit ædificium, cujus est solū, modo dominus soli tibi solvat

soluat expensas, si bona fide proces-
sisti; nam si mala, nihil tibi debebitur.

§. cum in tuo. *Instit. de rerum di-
uis.*

Idem dicitur in plantis, Domino nimi-
rum soli eas g. cedere, compensatis tibi
expensis, si bona fide plantasti: nam si
mala, nihil merito habebis.

§. si Titio. *Instit. de rerum divi-
sion. lege Castrop. de Iust. in genere d.
unica p. 20.*

Per Confusionem.

11. Tunc res tua & mea dicuntur
confundi, quando non potest ex ipsis
jam confusis assignari ulla pars, quæ
non sit mea, & non tua. Misces v. g.
vinum tuum cum vino meo, vel tu-
um lac cum meo lacte: assignare ne
poteris hanc v. g. guttam esse tuam,
hanc esse meam? non ita. Pari mo-
do, si ex tuo vino & melle meo fiat
mulsum, si ex tuo ære & meo argento
vel auro fiat æs Corinthium, ex tuis &
meis medicamentis fiat emplastrum,
ex tuis & meis lanis, ex tuo & meo
serico intexatur vestis: tunc autem di-
cetur admisceri, quando potest assignari,
quæ pars sit mea, quæ tua, licet à
me dignosci facile nequeat, v. g. ex
frumento tuo admixto cum meo, po-
tes accipere hoc granum, v. g. de quo
verum est dicere, hoc fuit, seu est ex tuo
frumento, vel vere est ex meo, licet à
nobis propter admixtionem factam
non dignoscatur: non potes autem ac-
cipere vnam guttam, v. g. in mulso, &
sic dicere, hæc gutta est solum mel, est
solum vinum, & consequenter, est so-

lum tuum &c. De admixtione mox;
hic enim de confusione loquendum est,
de qua sic distingue.

Vel confusio inducta fuit primo,
utroque Domino consentiente; vel
secundo, casu; vel tertio, altero solum
sic volente, nesciente vel nolente alte-
ro: si primo ac secundo modo *h*, to-
tum conflatum erit vtriusque, quia
consensus reciprocus, vel casus ille id
videtur præstare, & ad Iudicem perti-
nebit, dividere pro rata partium. Si
tertio *i* modo, ad illum pertinet do-
minium, qui operam & maiorem par-
tem materiæ apposuit, quibus tertium
illud corpus conflatum est: quare il-
lud mulsum, æs, emplastrum, vestis,
tuum erit dominij, si tua opera tuaque
maiore parte materiæ illa sint facta,
cum obligatione tamen reddendi æsti-
mationem partis materiæ alienæ; ra-
tio est, quia accessorium sequitur prin-
cipale: principalior autem in his est
opera tua, & pars notabilis tuæ mate-
riæ, quàm sola pars materiæ alienæ.
ergo &c.

*h. Castrop. de Iust. in genere d. unica
p. 21. num. i. Item ibid.*

12. Dixi (notabilis) nam si v. g.
parvam mensuram mellis tui misceres
cum magno dolio alieni vini, vel pa-
rum purpuræ tuæ cum multis alienis,
cum parum pro nihilo reputetur, nec
vinum esset *l* tuum, nec vestis: tunc
enim cum tua pars sit accessoria, illa
aliena principalior, alterius erit dolium
& vestis, cum obligatione reddendi ti-
bi æstimationem exiguam illius purpuræ
& mellis.

*I. Eo modo, inquit Axor apud Di-
cast. lib. c. n. 185. quo nimis parva
x x*

13. Non

aqua benedicta non reddit benedictam magnam aqua quantitatem

13. Non dissimili modo iudicarem de preciosissima pictura, vel scriptura facta à te in vili tabula vel tela aliena; tuum enim erit totum, cum obligatione reddendi pretium tabulae vel telae illius Domino. Quod si pictura esset vilior, quam tabula, certe tunc cederet, accessionis jure, Domino tabulae; quo pacto conciliantur variae opinioniones de simili pictura in aliena tabula variè sentientes. Vide infra §. 5 n. 6.

in Vr iudicat Castropal. de just. in genere disp. unica p. 21. n. 1. n Castrop. l. c. n. 3.

14. Quod si ejus sit generis rerum confusio, ut non possimus recurrere ad principalem, vel notabilem partem, ut si omnibus perpenfis aequales essent, vel quasi aequales partes, vsui erit regula, quae mox dicitur nu. 20.

Ex his collige, quid dicendum in formatione speciei, ut loquuntur Iurista. Nam si v. g. ex visis alienis exprimas mustum, sine dubio hoc erit Domini vuarum; solum, si bona fide expressisti, dabuntur tibi expensa; nam si mala, nihil: sicuti, in simili modo, dictum est n. 10.

o Castrop. l. c. n. 3.

Per Admixtionem.

15. Si tuum frumentum, ordeum, pecuniam, & vniuersaliter si quaelibet alia mixtibilis tua, ut sunt pecora, gallinae, boves, (quae quando signata proprijs characteribus non sunt, facile ad-

miscentur, ita ut discerni nequeant) cum meis misceam, in cuius erunt dominio?

16. Dico, esse distinguendum modo, quo paulo ante distinximus; vel enim admixtio facta est primò, ex vtriusque consensu; vel secundo, casu & fortuito; vel tertio, vno sic volente: si primo, & secundo modo, vtriusque erit cumulus, dividendus pro rata à Iudice, ea ratione, qua diximus n. 11. Si tertio modo, in quo maximè viget praesens difficultas, habe quatuor regulas; prima est: quoties notabile quid alienum admisces tuis rebus, in notabili item proportionaliter quantitate sumptis, ita ut amplius discerni ac separari non possint, (si enim possint, non transferri dominium, certum sit, quia res, cum tunc remaneat distincta, & separabilis, semper Domini sui est, ut dixi num 9.) siue sit frumentum q, siue pecunia, siue quodcumque aliud, & animum habeas expressum non acquirendi dominium illius cumuli, non erit cumulus in tuo solo dominio, sed vtriusque, & singulae partes remanebunt in dominio singulorum; esto, quia non dignoscuntur, quae partes sint tuae, quae alterius, indigeas Iudice, vel arbitro, ad dandum singulis ex eo cumulo, quod singulis pro rata convenit. Ratio autem, quod cumulus dictus non fiat totus tui dominij, est, quia dominium rei de nouo non acquiritur sine voluntate & acceptatione; at nunc supponimus, te non habere voluntatem acquirendi, ergo non acquiris.

17. Regu-

P Colligo ex *Lesio l. 2. c. 14. n. 22.*
& rursus ibid. c. 20. n. 156. Silv. usura
6. c. 1. Delugo l. c. alijque. q. Quid-
quid dicat Glossa apud Delugo l. c. num.
162. quæ solum hanc doctrinam admittit
in pecunia, non vero in cæteris misfibili-
bis.

17. Regula secunda: si voluntatem acquirendi dominium habeas, & ex alia parte notabiles partes admisceas, ut discerni ac separari amplius res singulorum non possint, dominium totius cumuli acquiris; ratio est, quia ex vna parte jam habes voluntatem acquirendi, & ex alia te perinde habes, ac si frumentum consumpseris, vel pecuniam expenderis (id enim æquivalenter facit illa confusa admixtio) & consequenter in te dominium rei transfers, cum obligatione restituendi æquivalens, sicuti parem obligationem contrahis, quando consumis.

x l. si alieni nummi, ff. de solut. l. Idem Pomponius, ff. de rei vendit. & alibi, & communiter DD. citati, præsertim Vasqu. de rest. c. 9. §. 2. dub. 5. num. 27.

18. Regula tertia: si voluntatem illam nec excludis, nec includis, & tamen ita eas notabiles partes mices, ut discerni & separari non possint, adhuc dominium totius cumuli acquiris. Ratio est, quia quamvis positivam voluntatem expresse acquirendi non habeas, habes tamen implicite, dum te geris, perinde ac si consumeres &c.

19. Semper autem dixi (notabiles partes) si enim vnam parvam mensuram v. g. frumenti tui, integro plenoque horreo alterius, vel aureum vnum tuum magnæ summæ alienæ

pecuniæ admisceas, vel contra, non fit translatio dominij, quia tunc moraliter non judicatur facta vlla admixtio, cum parum pro nihilo reputetur; remanebit ergo cumulus in dominio ejus, cujus antea fuerat, eum obligatione restituendi parvam illam partem &c.

Quanta autem hæc pars esse debeat, ut notabilis vel exigua censeatur, certe non nisi prudentis iudicio, ut in similibus fit, iudicandum.

20. Regula quarta: si dignosci quidem possit pars tua, sed non separari, sine rei totius destructione, ut si fila tua purpurea sint admixta filis albis serici alterius, in contexta veste, tunc videndum est, quodnam sit principalius &c. modo dicto n. 11. sine.

Quid, si omnibus expensis, partes sint æquales, nec alijs principaliores? respondeo, si nec dignosci possint, nec separari, salva re, vterque dominium in solidum in eo conjuncto habebit, modo, quem in simili diximus num.

11. Quod si dignosci quidem possint, sed non separari, salva re idempunito dicendum: fortior enim circumstantia est, non posse sine destructione rei partes separari, quàm solum posse discerni; semper enim favendum est rei, nè destruat.

21. Ex dictis vides, si religiosus partem v. g. frumenti, vel pecuniæ ab amico fortè illi datam ad custodiendum, misceat suis, etiam si discerni nequeat, non transferre ejus cumuli dominium in se, quia non habet voluntatē faciendi suam, illam amici partem, & consequenter, nec totius aggregati: vnde clare fit, ut is non peccet

contra paupertatis votum, illam admixtionem faciendo. Vides item in eodem casu si perit cumulus, vtrique pro sua rata perire: nam contra, si habuisset animum transferendi in se dominium (qui animus in religioso non praesumitur, nisi exprimitur) & peccasset contra votum, & sibi soli cumulus periret &c. Illud noto, si admiscuit cum voluntate Domini, ex alio capite religiosum non peccasse, saltem graviter: licet enim demus, sic translationem dominij in religiosum factam esse, tamen cum aequaliter ex illo cumulo habeat, tum ipse religiosus, tum ille Dominus, non videtur adesse determinatio gravis in tali translatione materiali dominij.

Deciduntur frequentiores casus de rebus mixtibilibus.

22. His ita vniuersum explicatis, afferam hic solutiones illorum casuum circa res, quae miscentur, de quibus frequentior esse solet vsus & dubitatio.

23. Dico primò: si fureris quamcumque rem mixtibilem, v. g. frumentum, oleum, vinum, argentum, pecuniam &c. teneris ad restitutionem quantitatis surreptae, cum hoc discrimine, ut si miscueris cum tua, ita, ut discerni nequeat, tenearis saltem ad pretium, vel ad similem rem; si non immiscueris, vel ita sit mixta, ut discerni, & separari possit, tenearis ad restituendam rem in individo: ratio est, quia si cognoscibilis perseverat, cum ea sit Domini, Domino reddenda; neque enim harum rerum, etiam vnicò vsu consumptibili-

um, dominium transfertur statim, & atque habentur; si vero non cognoscibilis, tunc quia per illam mixtionem factus est fur Dominus, satis erit, si aequivalens restituat.

s. Sanchez, l. 2. in dec. c. 22, n. 34. Less. mox citandus n. 152.

24. Si tamen extet cumulus (adverto cum Lessio, t) in quo est modica pecunia, frumentum &c. immixtum cum illo furis, licet per illam admixtionem fur factus sit Dominus, tamen mihi relinquitur actio, non solum in furem, sed etiam in re, id est, in cumulo: vnde ego praeferrì deo, & possum accipere ab eo cumulo, per compensationem, partem meam. Ratio est, quia id videtur consonum iuri naturali; ut si certo sciam, ibi esse meum, possum meam partem accipere quantumcumque modicam.

t. Less. l. 2. c. 20. à ns. 156.

25. Dico secundò: si fur dat mihi bona fide recipienti aliquod mixtibile, v. g. pecuniam alienam, si deinde mihi constet, esse alienam, nec fuisse permixtam cum pecunijs alijs, quas forte habebat fur, tunc statim, atque id scio, deo restituere Domino (multò magis deo restituere, si recepi mala fide) sive fur remanserit potens per aliam pecuniam solvere, quod furatus est, sive non; dummodo de facto nolit solvere. Ratio est, quia illa aliena pecunia, cum discerni possit, est Domini, & ego deo ex re accepta; quando autem res ex re accepta debetur, nihil facit potentia vel impotentia furis, quia res ipsa accepta, vbi cumque invenitur, Domino est restituenda. Quod si praedictam pecuniam immiscuerim cum

cum mea, adhuc debeo restituere, sed tamen *b*, esse probabile, nullum in æquivalenti, siquidem jam factus sum ditior in illa quantitate, quam misceui cum meis, unde cumulus factus est major. Quod si denique bona fide in totum consumpsi, tunc ex alio capite nihil debeo, quia scilicet in nihilo factus sum ditior, ut nunc supponimus.

u Pet. Nav. Sanch. eosque citans Dic. li. 2. tr. 2. d. 5. dub. 9. n. 190.

26. Dic tertio: si fur immiscuit alienam pecuniam cum sua, ut discerni nequeat, & deinde ex rota summa donaverit mihi, bona, immo etiam mala fide, recipienti partem aliquam, immo etiam totam illam summam, nihil debeo Domino, si fur potens est per alia sua bona restituere, licet nolit; at si fur non est potens, debeo ego totam pecuniam furtivam restituere. Ratio prioris dicti est, quia per illam immixtionem, quæ æqualeat consumptioni, fur factus est Dominus totius, licet semper remanserit obligatus ad restituendum æquivalens; cum igitur ego acceperim à fure jam facto Domino, non accepi invito Domino, ergo restituere ex hoc capite non debeo. Dominus autem ille, à quo ablata est pecunia, solum actionem habet contra bona alia, quæ jam supponimus in hoc priore dicto haberi à fure; esto, probabile etiam sit, quod dixi n. 24. ex Læsio. Ratio posterioris dicti est, quia si fur est impotens, mea causa impotens est: mihi enim, qui acceptui pecuniam, qua fur poterat solvere debitum, imputatur illa impotentia, atque adeo mihi remanebit onus supplendi defectum furis, sive immiscuerim, sive non, cum mea pecunia; fateor

onus mihi remanere, si acceptui solum, & non induxi ad dandum: quod sub quadam animadversione docet Molina apud Delugo de iustit. d. 20. n. 13. Vide etiam Castropalaum c.

a Sanch. l. c. b Mel. Les. Salas, apud Castr. mox citandum. c Castrop. de iust. commutativa d. 1. p. 14.

27. Dico quarto, aliquid esse diversum in rebus hisce mixtibilibus, si hæc mihi à fure venditæ sunt. Nam si ego frumentum, v. g. in individuo furtivum à fure bona fide emi, & antequam immisceam cum meo frumento, scio, esse alienum, totum debeo ex re accepta, atque adeo statim restituendum erit in individuo, sicuti si emissem rem non mixtibilem, v. g. equum, vestem &c. de qua re §. 2. & 3. vniuersaliter dictum est: nisi forte ad recuperandum meum pretium, vellem reddere ipsi furi, modo ibidem dicto. At si immiscui cum meo non modico frumento, ita ut discerni nequeat, nihil debeo; ratio est, quia ex vna parte per illam admixtionem ego factus Dominus totius, & ex alia in nihilo sum factus ditior, quia iusto pretio frumentum illud emi, non sic, si mihi donatum fuisset, quando jam ex donatione factus essem ditior, ut n. 5. dictum est.

Dixi autem (frumentum in individuo furtivum) nam si aliud fur admiscuerit cum suo, & deinde mihi vendiderit, jam vendidit ex suo, & consequenter, cum iuxta doctrinam, datam nu. 26. ego nihil furtivum emerim. recurret distinctio ibidem allata.

§. V.

De obligatione restitutionis fructuum ex
re aliena bona fide percepto-
rum.

1. **R**ecole, d fructus rei alios esse
purè naturales, alios merè in-
dustria, alios mixtos, ad quos
reduximus civiles, v. g. locatione do-
mus, equi &c. Non loquimur pro foro:
jurisconsulti nimis sunt sibi ipsi repu-
gnantes e sed pro foro conscientia tan-
tum.

d *Supr. c. 2. §. 7. num. 22. e*
ut habet Delugo t. 1. de Iust. d. 17.
sect. 3. n. 43.

2. Regula jam hujusmodi figatur
menti f. Bonæ fidei possessor resti-
tuere debet solum fructus extantes in
se, vel in aliquo, in quo factus est diti-
or, fructus, inquam, naturales, & mix-
tos, non vero mere industriales: à
mixtis tamen suas tum necessarias,
tum vtilis expensas, & astimationem
sui laboris posse deducere; ratio regu-
læ est, quia fructus sunt partus, & quasi
partes rei, quæ tota domino debetur;
nam propterea dicitur, quod res vbi-
cumque est, Domino fructificat g: &
ex alia parte æquum est, ut expensæ,
labor, & industria cedant in vtilitatem
ea præstantis.

f *Less. Mol. Sanch. mox citand. &*
pasim. g. §. si Titius, Institut. de her. divis.

3. Dicitum est autem primo, (fru-
ctus extantes in se &c.) quia ceteri bo-
na fide, atque sine culpa consumpti, &
ex quibus non est quis factus ditior,

non sunt restituendi h. Illud hic no-
candum censeo; cum enim fructus
sint res mobiles, possunt à possessore
bonæ fidei triennio præscribi; at res, à
qua percepti sunt, cum sit stabilis, v. g.
prædium, domus &c. non potest præ-
scribi, nisi tempore longiore: hinc
ergo fit, ut persæpe tenearis reddere
prædium v. g. quia pro illo nondum
est elapsum debitum tempus præscri-
ptionis, non verò omnes fructus, etiam
extantes, seu in quibus factus es diti-
or, sed solum illos, pro quibus triennium
nondum elapsum est.

h *Angelus, Silv. Less. Mol. Gom. Sa-*
lo. Vasq. Rebell. Sanc. alijsque, quos si-
quitur citatus Dic. li. 2. de Iust. tr. 2. d.
5. dub. 3. nu. 28.

4. Dixi secundò, (fructus natura-
les & mixtos) quod intellige, etiam si
Dominus eos percepturus non fuisset
ob suam negligentiam, vel aliud, ut
si ager non fuisset ab ipso colendus, do-
mus non locanda: ratio est, quia sem-
per sunt fructus rei Domini, quæ Do-
mino fructificat. Quid de fructibus
perceptis à re per possessorem bonæ fi-
dei meliorata? respondeo, etiam hos
deberi Domino, eo modo, quo ceteri,
quia res meliorata adhuc est Domini,
ergo Domino fructificat; qua ratione
tunc hic possessor possit sibi expensas
ad meliorandam rem factas sibi dedu-
cere, mox dicitur n. 12.

i *De Iugo t. 1. de Iust. d. 17. sect. 3.*
n. 52. Mol. t. 3. d. 725. n. 22.

5. Dixi tertio, (non vero merè
industriales) quare lucrum ex nego-
tiatione pecuniæ, negotiantis semper est;
id, quod

id, quod etiam supra diximus de fure negotiante alterius pecunia: est tamen latum discrimen advertendum, quod bonæ fidei possessor non obligatur ad lucrum cessans, & damnum emergens, quod fortè passus est ex pecuniæ carentia Dominus; obligatur possessor malæ fidei, ut ibidem notavi.

6. Inquires hic primò, qui sive bona, sive mala fide instrumento alterius aliquid lucratur, alterius penicillo v. g. tabulam suam pingit, alterius ferræ arcam construit &c. an picturam, & arcam faciat sua, utpote effectus suæ artis & industriæ, an alterius, nempe Domini penicilli, vel ferræ? respondeo, sua *l* facit; solum æstimationem vsus penicilli vel ferræ debet Domino: nam pictura partus est artificij, atque adeo industriæ, non instrumenti. Quid si proprio penicillo fiat in tabula alterius? respondeo, tota pictura aliquibus videtur Domini tabulæ, quia est veluti seges in solo alieno: solvatur dumtaxat pictori bona fide pingenti suæ operæ, seu laboris pretium; ego tamen probabilius judico, id quod de hoc dixi §. 4. n. 13. Pictori verò malæ fidei, esse probabile videtur, nihil dandum, quia pictura est melioramentum voluntarium, respectu tabulæ, ut colligetur ex mox dicendis de melioramentis prædij vel domus &c.

l Dic. l. 2. de Inst. tr. 2. d. 2. dub. 5. n. 107.

7. Inquires secundo, maiorem explicationem eius, quod modo dictum est (seges in solo alieno.) Respondeo, si tuum frumentum in alieno agro, mala, immo etiam bona fide, semina-

sti, tota seges *m* est Domini agri, quia est fructus suæ rei; accipe tu igitur tuum frumentum, quod servisti, & expensas laborique pretium, & nihil præterea; at si quis alienum frumentum in suo agro seminavit, debet ipsum frumentum surreptum, & damnum, quod Domino emerit ex frumenti carentia, reddere; at segetem sibi reservabit, quia fructus est sui agri.

m Idem ib. disp. 5. dub. 2. nu. 26.

8. Inquires tertio: quid de locatione rerum, quæ non solent locari? v. g. possessor bonæ, immo & malæ fidei, locat torquem auream alienam, vel etiam aurum & argentum ad ostentationem, quæ certe non solent locari, sicuti solent domus, equi &c. cuiusnam competet lucrum hujus locationis, Dominonè, tamquam partus civiles suæ rei, an possessori tamquam partus suæ meræ industriæ? respondeo, consequenter ad dicta (quidquid alij asserant *n*) hoc lucrum *o* deberi Domino, deducto semper pretio laboris & industriæ locantis, si qua fuit. Ratio est clara, quia illud lucrum non est lucrum industriæ locantis, sed datur pro vsu ipsius rei, prorsus, sicuti, si quis locaret vsu agri sterilis: quamvis enim ipse ager sterilis sit physicè, ut etiam torques aurea, & ipsa pecunia, tamen, quando non dantur absolute (sicuti certè datur absolute pecunia, quando traditur in negotiationibus per venditionem & emptionem &c. sed pro solo vsu, facit fructus civiliter, sicut facit domus locata &c. solum in hoc casu liberarem locantem ejusmodi torquem & similia à restitutione pretij locationis, quando crede-

crederetur Dominus hoc pretium omnino nolle, sic Diana p, cui diligentissimo scriptori multarum opinionum notitiam acceptam merito referimus, liberavit ab obligatione restituendi rusticum, qui mulum à ditissimo surreptum locavit per multos annos, quia nimirum nobilis ille ditissimus non putatus fuit velle ejusmodi pretium: verum quando adest hæc excusatio, uniuersalis est pro omnibus furtis, nec solum pro eiusmodi locatione.

n. *Navarr. in manual. c. 17. n. 25. alijque apud Dicast. l. c. nu. 102. o Sanc. l. 2. in dec. c. 23. nu. 132. p Diana p. 2. tract. 17. Miscel. resolut. 50.*

9. Inquires: quartò: an qui domum v. g. alienam, siue bona, siue mala fide locavit, sed pluris accepit, ratione alicuius portæ à se affixæ, vel cancelli, vel lapidis pretiosi, teneatur restituere hunc excessum pretij ipsi Domino domus? respondeo, non teneri q, quia hæc melioratio, quæ est per meram adjunctionem, est ipsius furis, atque adeo furi fructificat: non sic, si fuisset melioratio per arbores plantatas in fundo alieno, quia tunc, ut ex supra dictis constat, fructus percepti ex illis arboribus essent fructus Domini fundi &c.

q. *Dicast. l. 2. de just. t. 2. d. 2. dub. 5. nu. 95.*

10. Inquires quintò: ex eo, quod dictum est, lucrum meræ industriæ (ut in negotiatione pecuniæ contingit) esse negotiantis, rectè colligit, qui affirmat, posse licitè famulum, vel depositarium pecuniam Domini, eo in scio, negotiationi subdere, & lucrum sibi retinere? respondeo, r, rectè, si id faci-

at sine villo Domini præjudicio seu damno: at si præjudicium illi esset, ut si promptam non habiturus sit suam pecuniam Dominus, ad sua negotia, unde grave damnum sibi eveniat, licet posset dictus famulus retinere lucrum, utpote fructus suæ industriæ, tamen peccaret juxta grauitatem damni, & deberit restituere totum damnum, quod emerfit, & lucrum, quod cessavit Domino ex pecuniæ carentia, ut ex dictis constat. vide, quæ dixi superius de famulo ludente pecunijs Domini tr. 2. c. 9. §. 1. à. n. 22.

r. *Mol. Reginal. Beia. alijque apud Dianam p. 1. ff. de contract. res. 52.*

11. Dixi jam quartò, (à mistis expensas tum necessarias, tum viles, & æstimationem laboris posse deducere) quare non satis consequenter aliqui negant, æstimationem laboris & operæ posse ab ejusmodi possessore deduci, cum tamen concedant (quod certe nemo negat) posse deduci expensas: non satis, inquam, consequenter; nam sicuti si labor & opera fuissent adhibita ab extraneo operario, debuisset Dominus eorum pretium solvere, quia tunc jam sunt, ut vocantur, expensæ: eodem modo debet, si exhibita sint ab ipso possessore bonæ, immo & malæ fidei, quando vocantur industriæ: neque enim propterea naturam mutant.

s. *Delugo t. 1. de just. d. 17. sect. 3. n. 61.*

12. Adverte autem, hæcenus fuisse sermonem de expensis & labore in percipiendis fructibus, v. g. in colendis arboribus jam antea plantatis: si enim sermo sit de expensis, & labore, factis à possessore, quibus res aliena fuit meliorata,

rata quibus v. g. fuerunt plantatae novae arbores, nova domus aedificata, novus puteus, effossus &c. quamvis eadem fere sit ratio, ac de jam dictis expensis, tamen propter suas proprias difficultates de ijs erit hic districtè decernendum.

Melioramenta.

13. Dico ergo, has etiam expensas posse possessorem bonae immo & malae fidei sibi deducere, & Dominum ad eas solvendas vel compensandas obligari, esse tamen magnam quaestionem, num omnes, an aliquas dumtaxat? Ut autem id statnatur, distinguendum sunt melioramenta necessaria, utilia, voluptaria, seu voluptaria: prima sunt ea, quae, si adhibita non fuissent, nullos seu certe deteriores fructus res produxisset: secunda sunt ea, quae faciunt, ut res sit utilior; ut si v. g. cum necessarijs melioramentis, seu quod idem hic est, expensis v. g. reddebat centum, cum utilibus reddat ducenta: tertia sunt ad merum ornamentum, sine accessu utilitatis redditus annui; tales sunt fontes, picturae, statuae &c. quibus quamvis sine dubio praedium pluris valeat & magis aestimetur, tamen quia ex illis non reddit praedium fructus plures annos, non vocantur, nec sunt utilia, sed voluptuaria melioramenta.

t lego Cast. de iust. in genere d. vn. p. 24. §. 17.

14. Affero jam, possessorem bonae immo & malae fidei, posse expensas factas ad melioramenta utilia & necessaria à Domino petere, & hunc debere

solvere vel compensare, non vero factas ad melioramenta voluptaria; potest tamen eiusmodi possessor bonae vel malae fidei, haec melioramenta voluptaria, si separari queant à re, v. g. portas, statuas &c. sibi sumere. Quod si separari nequeant, vel per adjunctionem accesserunt rei, ut arbores vel plantae infructiferae ad merum ornamentum, nihil erit ex eorum pretio solvendum possessori malae fidei, ut docet Sanchez, imputet enim sibi, si ea amittat, quae circa rem alienam sine Domini consensu, & sine ejus utilitate expendit. Adde, iniquum esse, cogere Dominum invitum emere illos ornatus, quibus ille libentius forte caret, quam careat pecunia, quae est solventaria. Haec secunda ratio probat, idem esse dicendum de melioramentis his voluptuosis, à possessore bonae fidei forte factis. Scio, Delugo x velle, saltem medicum quid pro his esse à Domino solvendum ipsi possessori malae fidei, quod certè est probabile, quia aliqua tandem Domini utilitas est, emere justo pretio utilia propter utilitatem, ita & haec voluptuaria modo dico pretio, quia sic utilia omnino sunt.

u Sanc. l. c. num. 139. x Delugo l. c. num. 63.

Pro possessore bonae fidei idem videretur dicendum: nec enim Dominus deberet cogi, emere voluptaria: tamen huic possessori propter bonam fidem conceditur libertas, ea sibi separandi, si ea separari possunt: quod si non possunt, ipsi conceditur, cogere Dominum ad solvendum, quantum ipse posses-

possessor expendit, ut ea faceret, addito pretio laboris; vel ad vendendam totam rem ipsi possessori iusto pretio, deductis melioramentis.

15. Tria denique adverte *a*: primò, pro dictis melioramentis, etiam necessarijs & vtilibus. Dominum non debere solvere, quantum creverit valor rei suæ, sed quantum valuerunt expensæ, quibus ea melioramenta creverunt: plantavit v. g. possessor arborem fructiferam, expendendo vnum aureum, de nunc vero arbor plantata valet decem aureos. vnum aureum debet Dominus, non vero decem solvere. Ratio est, quia illud augmentum est partus sui agri. Quod si contra expensæ fuerunt decem v. g. aureorum, sed arbor nunc valet vnum aureum, vnum tantum debet Dominus, non vero decem, quia pro vno aureo vtilis est Domino arbor; nec enim æquum est, ut cogatur emere rem pluris, quam ipsi valeat: immo si possessor bonæ vel malæ fidei expendisset vnum aureum, sed Dominus, si illud melioramentum fecisset, expendisset minus v. g. dimidium, dimidium γ deberet reddere Dominus, non vero vnum, quia ipse solus debet id, in quo emolumentum participat. quod nunc solus est in dimidio.

a *vt colligitur ex l. in fundo, ff. de rei vendic. & alibi; & explicat pluribus sanc. li. 2. in dec. c. 23. num. 147. & sanc. l. c. num. 140 cum Lessio, & Mol.*

16. Adverte secundò, non solum possessorem malæ, sed etiam bonæ fidei ex fructibus quomodocumque consumptis, quam vis ditior redditus non fuerit, teneri, eos cum melioramentis,

siuè necessarijs, siuè quomodocumque vtilibus, compensare. Ratio est, quia quo plures fructus percepit possessor, quamvis eos consumpserit, eo minus censetur pro melioramentis expendisse.

17. Adverte tertio: si res cum melioramentis pervenit in Domini manum, antequam Dominus soluit possessori bonæ fidei expensas prædictas, posse semper in conscientia à dicto possessore peti eas, quas Dominus debet, & Dominum dare debere: at si sermo sit de possessore malæ fidei, dubitatur, an Dominus in dicto casu, quo rem suam recepit, antequam expensas huic possessori malæ fidei soluerit, obligatus sit nihilominus solvere? Negat obligari Sanchez, *a* quia quoties lex iuste negat actionem ad aliquam rem petendam, & simul concedit debitori repetitionem, si solverit; licebit etiam eidem debitori possidenti non solvere, ut fusiè idem *b* probat; sed malæ fidei possessori negat lex actionem petendi expensas melioramentorum, & dat Domino repetitionem, si voluerit, ergo &c. Narrus *c* alijque affirmant, eum obligari solvere ante sententiam, & ratio esse potest, quia lex in pœnam delicti negat talem actionem possessori malæ fidei; at pœna non obligat, nisi post sententiam, quia eius exequutio est actus, qui à publica potestate provenire debet. Utraque sententia est probabilis & tuta. Quæ dicta sunt, esse pro foro conscientie, iterum noto.

a *Sanch. l. c. nu. 143. & 144. b*
Ibid. & lib. 6. de matr. d. 38. n. 34. &
§. 71. Tres

lib. 20. d. 8. n. 25. c. Navarr. quem citat sequiturque Delugo t. 2, de Inst. d. 17. sect. 3. n. 66.

§. VI.

Tres dubitationes circa variationem bonae & male fidei.

1. Prima dubitatio, an qui primo habuit bonam fidem, deinde malam, & fructus consumpsit, sit injustus acceptor, ita ut obligetur reddere eosdem fructus, etiam non extantes? quid si contra e venerit, ut prius mala fide laboraverit, deinde acquiserit bonam?

Respondeo, in foro conscientiae (si enim Iurisperitos in foro externo consulas, numquam rem expedies) solum tunc obligaris ex injusta acceptione, quando d. consumis fructus eo tempore, quo mala fides tecum est, quidquid fuerit antea, vel postea. Ratio mihi manifesta est, quia tunc injuste te geris contra Dominum, & tunc peccas contra Iustitiam, ergo ex vi illius culpe tunc contrahis obligationem restituendi, quod si casus occurrat, ut deinde superveniat certitudo, tuos esse illos fructus, quos mala fide consumpsisti, ideo non obligaris restituere, quia illa consumptio verè non fuit materialiter injusta, sed ex conscientia erronea, qua cessante, jam ab omnino libereris.

d. Ex Mol. t. 2. d. 569. & t. 3. disp. 725. alijque, quos sequitur citatus Sanc. l. c. n. 252.

2. Secunda dubitatio. Quid erit, si respectu unius sit quis mala fide pos-

seffor, non vero respectu veri Domini? si possessor v. g. putans, prædium esse Petri, consumat eius fructus, utique mala fide, sed prædium vere est Pauli, eritne obligatio, eos restituendi, ex injusta acceptione? ratio dubitandi est, quia tunc possessor ille re ipsa non est injurius, seu iniquus consumptor contra Petrum; quia vere illi fructus, sicut, & prædium, non sunt Petri; nec est injurius contra Paulum, quia dum illum, ut Dominum non agnoscit, injurius contra ipsum esse non potest. Unde nec potest obligari ex injusta acceptione; ergo solum obligaretur ex re accepta: sed quia jam supponimus, fructus fuisse consumptos, ex dictis ad nihil nunc obligabitur. Respondeo, hunc censendum esse consumptorem male fidei, atque adeo, cognita veritate, debere regulariter restituere eos fructus Paulo. Ratio est, quia dum is scit, prædium non esse suum, atque adeo nec fructus, & tamen absolute & sine conditione consumit, injuste agit; & quidem interpretative, contra illum, cujus est re vera res.

Dixi (regulariter) nam si hoc animo expulso vel implicito quis affectus esset, quia hi fructus sunt Petri, v. g. Principis, ideo eos accipio & consumo; nam si essent Pauli, vel alterius privati, non acciperem, nec consumerem; tunc certè si fructus de facto sunt Pauli, non esset is injustus, nec respectu Pauli, nec respectu Petri Principis, propter argumentum factum e, & consequenter non esset obligandus ad restitutionem ex injusta acceptione, ex probabili opinione de qua in simili dixi superius l. 6. c. 4. §. 3. à n. 30.

Y y 2

3. Tertia

e Delugo t. 1. de Inst. d. 17. sect. 3.
n. 78. sine lege item Sanc. l. c. n. 157.
& Mol. ab eodem citatum, & eundem
Delugo d. 7. ib. sect. 3. n. 25. 26. & 27.
quem ego attuli sup. lib. 6. c. 4. §. 3.
n. 3.

3. Tertia dubitatio. Quid si me-
us prædecessor mala fide laboravit, at
ego bonam habui, nocebitne mihi fides
hæc mala prædecessoris?

Respondeo communis est doctrina,
nocituram tibi, si es successor univ-
ersalis, non vero si sis particularis;
universalis successor est, v. g. hæres,
qui in omnibus succedit testatori de-
functo; particularis est, v. g. legatari-
us, & quilibet, qui ab aliquo habet,
emit, dono accipit aliquam rem. Ratio
autem huius communis doctrinæ esse
debet, quia hæres v. g. universalis re-
præsentat personam testatoris, possi-
detque omnia eius bona eo modo, quo
ipse testator possidebat; nam propter
ea obligatur, saltem juxta vires hære-
ditatis, ad omnia testatoris debita; sed
testator habebat sua bona obligata pro-
pter eius malam fidem vero Domino,
illique debebat eos fructus mala fide
consumptos restituere, ergo & restituere
debebit eius successor: saltem, ut di-
ctum est, juxta vires hæreditatis. Hæc
autem representatio cum non adfit in
successore particulari, si ipse bonæ fidei
titulo, ut supponimus, vallatur, cur ab
aliena fide mala premendus sit? Non
ergo obligabitur ex injusta acceptione,
sed solum ex re accepta.

f Sanchez. l. c. n. 155. Delugo d.
17. cit. n. 79. alijque Iurisperiti ab ijs-
dem cit.

CAPVT QVARTVM.

De tertia radice restitutionis, quæ est in-
iusta damnificatio seu læsio.

1. **Q**ui obligatus ad restitutionem
ex præcedentibus radicibus
fuit, aliquid siue bona, siue
mala fide vsurpavit; nam ideo posses-
sor vocari potuit: nunc vero de eo lo-
quimur, qui contra rem alienam sine
eiusdem rei vsurpatione, injuriam se
præfert; id, quod fit, vel positivè rem
destruendo, ut si quis segetes alias
comburat, alienum argentum in mare
projiciat, vel simile quid faciat, vel posi-
tivè impediendo, ut si quis proximum
injustè impediatur, ne suas res tempera-
les, sua legata, suas hæreditates conse-
quatur.

§. I.

De positivo destructore rei
alienæ.

1. **H**ic locus esset explicandi, quæ-
nam culpa requiratur ad pa-
riendam obligationem in eo,
qui rei alienæ damnum infert, Theolo-
gicane g, an Iuridica? rursus gravissime
h, an levis? deinde quodnam dam-
num, indirectumne i, an dire-
ctum? denique à quonam illatum, à
se, l, an etiam à seruo, à filio, ab ani-
malibus suis? sed quia de his per aliam
occasionem plenè disputa vimus, hic sa-
tis sit, ea, quæ super sunt, insinuare.
g Sup. c. 2. §. 4. h Sup. c. 2. §. 5. i
Sup. l. 6. c. 4. §. 1. l Sup. ib. §. 4.
2. Quo

2. Quoad hanc ergo damnificati-
onem, hæc regula notetur; qui per
culpam iniustitiæ rem alienam destruxit,
vel deteriorem reddidit: non solum
debere restituere valorem rei, ejusque
fructus, sed etiam omne damnum,
quod emergit, ac omne lucrum, quod
cessat Domino, ex ejusmodi læsione.
Ratio regulæ est, quia alio modo non
induceretur æqualitas, quæ per suam
injustam actionem à damnificante in-
ducta est.

3. Dicitur est primo, (per culpam
iniustitiæ) utique gravem Theologicè,
modo superius satis explicato *m*.

¶ Dicitur est secundo (destruxit, vel
deterioravit) utique directè, & ut causa
per se; nam, quid sit sentiendum, si sit
indirecta destructio & per accidens, di-
ximus superius *n*.

m Sup. c. 8. §. 5. n. Sup. l. 6. c. 4.

§. 1.

5. Dicitur est tertio, (valorem rei)
quanti scilicet valebat, siue in re, siue in
spe, quando à te destructa est: nam se-
cundum illum valorem Domino dam-
num intulisti. Quod si solum rem
deteriorem reddidisti, debetis dumtaxat,
quanti æstimatur deterioratio: sic
enim satis inducetur æqualitas.

6. Dicitur est quarto, (ejusque
fructus) id quod explicabitur mox nu-
mero 9.

7. Dicitur est quinto, (omne
damnum &c.) huius enim totius causa
supponitur esse injusta damnificatio.

8. Dicitur est denique (ex læsione)
intellige, tanquam ex causa per se, nec
solum, ut modo dixi, tanquam ex oc-
casione per accidens: id quod ite-

rum notasse, superfluum certè non est.

9. Vnum jam superest explican-
dum. Valor rei considerari in dupli-
ci statu, nimirum præsentis, vel futuro,
potest: occidisti v. g. hodie pullum
qui; hic, spectata spe futuri eventus,
deductis expensis, laboribus & æstima-
tione periculi, valet v. g. nunc decem
aureis, estque valor præsentis tempo-
ris: idem vero equus, si permanisset
vsque ad perfectam ætatem, quia ge-
nerosa erat stirpis, valiturus erat cen-
tum aureis; hic valor est futuri tem-
poris. Pari modo seges hæc, quam
hodie mense Martij combustisti, cum
tota spe futuri fructus, valet propter
expensas, pericula consueta &c. judi-
cio experti viri, decem aureis, at mense
Augusti aucta & collecta seges valebit
centum: queritur jam, an occisor
equi, vel destructor segetis restituere
teneatur aureos decem, an centum?
respondeo, communem esse sententi-
am, teneri dumtaxat decem; siue per
malitiam, siue per negligentiam mo-
raliter culpabilem occideris, vel incen-
deris *o*. Ratio communis, quia ju-
stitia solum exigit, ut restituatur, quan-
tum ablatum est, sed tu, per illam oc-
cisionem equi, & per combustionem
segetis, solum abstulisti, quanti tunc va-
lebant equus & seges, nempe aureos de-
cem, ergo hos dumtaxat restituere de-
bes. Non negat tamen hæc commu-
nis opinio, ex alio capite te aliquando
plus debere restituere, nempe quando
es causa damni emergentis, vel lucri
cessantis Domino: si enim propter di-
ctum incendium segetum, sterilitas in-
ducta esset frumenti, unde vel Domi-
nus, vel etiam alij coacti essent ad

Y y 3

emen-

etiam alij coacti essent ad emendum rarius annonam, id totum debes reddere; nam tunc hujus totius damni tu iniqua causa fuisti.

o S. Th. 2. 2. q. 62. art. 4. Mol. t. 3. de 726. nu. 4. Less. c. 18. dub. 19. Diana p. 3. tr. 6. miscello. ref. 6. Petr. Navarr. Less. apud Dicast. li. 2. de just. tr. 2. d. 2. dub. 6. nu. 116. & 117. Contra Sotum & Salonium, putantes, si per malitiam, restituendum esse pretium, quod erit in re; si per dictam negligentiam, esse restituendum pretium, quod est in spe.

10. Dicit quis. At etiam tu iniqua causa fuisti, cur Dominus non habuerit suo tempore equum valentem centum aureis, atque adeo, ut cessauerit Domino hoc lucrum, ergo etiam hoc centum ei reddere oportebit, deducta estimatione periculorum, deductis expensis, quas in alendo equo Dominus fecisset. Confirmatur: nam etiam sic si furatus fuisses à Domino, deberes eidem restituere tum pecuniam, tum lucrum, quod per negotiationem illa pecunia acquisivisset idem Dominus.

Respondeo: urget argumentum; unde fateor, furem illum debere restituere non decem tantum, quod dixit numero precedenti communis sententia, sed centum, deductis deducendis, quod probat hoc argumentum Delugo p. qui sequitur prædictam communem sententiam, & respondit huic argumento, negans, furem esse causam talis damni emergentis; est enim, ait, causa ipse Dominus, qui potuit alium sibi pullum emere. Idem dicit ad confirmationem; negat enim deberi Domino lucrum illud, quia pa-

ri modo Dominus poterat aliam pecuniam negotiationi subdere: solum igitur tunc deberi concludit eiusmodi lucra restitui, quando Dominus nullam aliam pecuniam haberet, qua pullum equinum emere, vel negotiationi subdere posset; tunc enim tu, quia ea abstulisti, vera causa fuisses damni sequentis. Hæc ille, quibus ego libens subscriberem, si intelligere possem, te non fuisse veram causam talis determinati seu specialis damni, quod emergit Domino ab hoc individuo eius equo, quem tu surripuisti.

p Delugo t. 1. de just. d. 18. sect. 4. n. 81.

§. II.

De impediendo bonum alteri, ejusque restitutione, quoad ea, quæ ad iustitiam commutativam.

1. **S**I ex bono zelo, & sine vi vel fraude impedis aliquem, v. g. Petrum, nè consequatur injustam hereditatem, injustum legatum, nec restitutionis obligationem contrahis, ut ex se patet: quod si idem facias ex odio, vel cum vi, vel fraude, simili peccato, peccabis quidem interno affectu contra charitatem, vel alio peccato, sed quia non peccas, quoad legatum, contra iustitiam: justè enim illud impeditur, si sit injustum: ideo ad nullam restitutionem obligaris.

2. Verum si quem sine vi, vel fraude, sine illis, quomodocumque impediatis à consequutione boni, quod

ipſi ex Inſtitia commutatiua debetur
4, & peccas, & reſtitutionem debes,
quia tunc contra Inſtitiam delinquis.
Dixi (ex Inſtitia commutatiua) nam
ſi ſolum debeat ex diſtributiua, mox
dicam à num. 7.

a *Mol. r. 3. d. 727. Leſſ. l. 2. c. 12.
du. 16. Diccaſt. l. 2. de juſtis, tr. 2. d. 8.
dub. 1. n. 7.*

3. Quid, ſi quem impedias à con-
ſecutione boni, quod liberaliter datur,
v. g. legati, hæreditatis, eleemoſynæ
&c. ? Reſpondeo, eſſe diligenter di-
ſtinguendum. Nam ſi id fiat fraude,
vi, vel ſimili, ut ſi ſuadeas falſis infor-
mationibus, vel cogas vi teſtatore, ne
hæreditatem relinquat Petro v. g.
peccas b, & reſtituere teneris, quanti
æſtimatur ab expertis damnus, quod
Petro feciſti. Ratio eſt, quia ex vna
parte tu es cauſa moralis eiufmodi
damni illati ipſi Petro, & ex alia, pec-
cas contra Inſtitiam, cum quilibet hæ-
beat jus, ne per vim & malis artibus
arceatur à bonorum conſecutione.
Huc reducitur, quod ſupra bb dixi, te
obligari ad reſtitutionem, ſi occidas
eleemoſynarium, eo motiuo, ut is elee-
moſynam amplius Antonio, v. g. non
largiatur; id enim eſt, vi, id eſt, ipſa
morte impedire Antonium ab elee-
moſynæ conſecutione: huc etiam, ſi
vim ipſi donatario, v. g. dicto Anto-
nio inferas, ipſum in carcere injuſtè
retinendo, ne ad eleemoſynarium ac-
cedere valeat: huc item c, ſi Notari-
os vel Conſiliarios ab moribundo eos
vocante, auertas: ne ſcilicet is teſta-
mentum, vel legatum in alicuius fa-
uorem condat: huc, ſi teſtatore d
volentem diſponere in fauorem ali-

eius, tu falſa ſpe ſanctatis, vel longio-
ris adhuc vitæ, à condendo teſtamento
diſtrahas. Ratio horum eſt, quia
hæc facere, eſt, per fraudem, vel per
vim, atque adeo contra Inſtitiam im-
pedire proximum, ne bona liberaliter
ab alio danda conſequatur.

b *Th. Sanc. c. 22. conſ. c. 1. d. 49.
Vaſq. p. 2. d. 175. c. 2. n. 13. & tr. de
Benef. c. 2. §. 2. dub. 20. Dian. p. 3. r.
6. Miſcell. reſ. 32. Diccaſt. l. c. n. 4. bb
Sup. li. 6. c. 4. §. 3. n. 13. c. Delugo d.
18. ſec. 5. n. 91. d. Idem ib. n. 103.*

4. Quod ſi id facias ſine vi, vel
fraude, ſed precibus, conſilio &c. quam-
vis motus ab animo lædendi eum, in
cuius fauorem condendum fuiſſet v. g.
teſtamentum, eſto, contra charitatem
pecces interius, peccaret Iudex, qui
reum mortedignum ex odio condem-
naret: non tamen obligaris e ad re-
ſtitutionem, ut nec prædictus Iudex,
quia actio ipſa externa non eſt contra
juſtitiam. Si vero ex bono zelo, ſeu
prudenti conſilio motus id facis, nec
peccas, nec reſtitutioni es obnoxius,
quia vbi nulla eſt culpa, nulla eſt pœ-
na, & prudens conſilium non eſt reſti-
tutionis pœna mulctandum. Hinc
non peccant, nec reſtitutionem debent
Religioſi, qui ex zelo ſalutis teſtatoris,
ipſi ſuadent, ut potius alijs, quam ma-
trici Eccleſiæ relinquat: nam licet vi-
deatur Clementina id prohibere reli-
gioſis, non ita f tamen eſt, quia ſacer
Canon prohibere bona & prudentia
conſilia numquam potuit. Adde,
eſto, quando imprudenter ſe gerunt,
peccent in hoc ſine dubio religioſi,
non tamen ad reſtitutionem tenentur,
quia

quia in Canone hæc pœna non apponitur.

e Idem, quibus adde Bart. à s. Faust. in Spec. Conf. q. 28. q. 2. dicentem, hanc esse communem sententiam Theologorum, & Canonistarum. f. Sanch. in conf. c. 1. dub. 49. n. 28. cont. Mol. t. 3. de 727. n. 3.

5. Denique si vera crimina alterius sed occulta propales testatori, v. g. ne hæreditatem illi relinquat, te nec peccati, nec restitutionis reum pronuntio; quia expedit Reip. ne bona relinquuntur ei, qui ijs abuturus sit: quod si alijs à testatore injustè propalasti, reddere quidem famam debes, sed non bona; idem dici debere in materia beneficiorum, mox videbimus.

Porro hic ne præmittatur casus sequens. Petrus aperuit literas directas Paulo mercatori, quem amicus certiorum reddebat de superventura frumentorum penuria, ex frumenti extractione, v. g. à regno: unde factum est, ut Petrus Paulum præveniens frumenti copiam vili pretio emerit, venditurus pretio magno, nimirum apparente mox penuria: quo pacto impedit Paulum à lucro, quod hic eadem arte comparasset. In præsentibus ergo casu obligabitur ne Petrus ad restitutionem? & idem quæri solet de præsentibus beneficium, quando alius simili ratione beneficii vacationem cognovit & præobtinuit.

Respondeo: Lessius ff sic distinguit: si Petrus tempestivè consignavit literas Paulo, ipse quidem Petrus peccavit eas aperiendo. sed ad restitutionem non obligatur; quia cum tempore Paulus potuisset se negotia conapplicare, apertio literarum remotè

& indirectè se habet, ad damnum Pauli. Si vero idem Petrus non consignavit literas tempestivè, & peccavit, & ad restitutionem obligatur, quia Paulo secutum est damnum directè ex morosa consignationis literarum. Ego hanc posteriorem partem approbo; de priorè valdè incertus animi pendo, ut in simili sentiam inferius f; quia etiam in eo casu damnum patitur Petrus, ex radice injuriosæ tuæ apertionis: tunc nihilominus probabilis esto sententia Lessij, quam per familiaris meus P. Franciscus gg Bardi novissimè defendit, quando ita se potuisset applicare Paulus ad negotiationem suam, vel integrè illam intra morale tempus perfecisset, & sua causâ non perfecit, non vero ob præventionem tuam.

ff Less. lib. 2. de just. c. 12. à n. 131. f. inf. c. 7. §. 12 n. 16. gg Bardi lib. 1. select. q. 15.

6. Alij innumeri casus ex his colligi possunt, & præsertim, an qui mendacijs impedit fiscum, ne confiscetur sua bona, obligetur ad restitutionem? an, qui fraude, vel sine illa impedit Scholasticos, ne aliam scholam frequentent? an pari modo, qui impedit, ne ad alium emptorem accedat? an qui impedit emptorem, ne cognoscatur vitium rei emptæ, vel emenda, ut faciunt tonsores pannorum, occultantes, vel secreto sarcientes eorumdem pannorum scissuras &c. Verum quia non pauca ex his suis in locis à me dicta sunt atque dicentur, multa autem dilucidè ab authoribus g tractantur, ad ea quæ sunt difficiliora, veniamus.

g Sanch. partim l. 2. in Dec. c. 22. Dubi.

num. 22. partim l. 1. conf. c. 3. di. 3. Deluge
d. l. 1. de iust. d. 28. sec. 5. n. 108.

*Dubium incidens de impediēte donatio-
nem peccaminose alteri factam.*

7. Dubium hic non vulgare sese of-
fert explicandum. Si Antonius v. g. velit
dare centum Petro, quæ donatio sit pec-
caminosa, licetne ego & sine onere res-
titutionis impediam, ne Antonius do-
net? Respondeo, si impedis bono zelo,
& sine odio, vel simili, certum est, te li-
cite impedire: iuste enim tunc impedis
crimen proximi. Difficultas est, si im-
pedias non ex bono zelo, sed cum pec-
cato, v. g. ex odio, quod geris contra
Petrum, vel medijs iniquis, v. g. male-
dicendo de Petro &c.

8. Ajo, esse diligenter distinguen-
dum, qua ratione dicta donatio, quæ
impedienda est, sit peccaminosa. Vel e-
nim primò, ita est peccaminosa, & in-
iusta, ut Petrus rem donatam suam
facere non possit; id quod accidere pos-
set, si res v. g. donanda, esset aliena, vel
furtiva; & in hoc casu certum est, te
posse impedire non solum sine vi, &
fraude, sed etiam cum fraude, & vi;
nam impedis, ne Petrus aliena bona
occupet. Quare si tu ex odio moveris,
vel vim illicitam adhibes, peccabis qui-
dem, sed quia non peccabis contra ius-
titiam debitam ipsi Petro, non contra-
hes obligationem restitutionis.

9. Vel secundò, ita est peccaminosa
predicta donatio, ut non sit iniusta, ut
si Antonius donare vellet ea, quæ sua
familia sunt omnino necessaria, vel vel-
let donare ex malo fine, v. g. ex vana
gloria, ex fine adulterandi &c. & tunc

est nobis nova distinctione utendum;
si enim donatio est peccaminosa ex par-
te utriusque, tum donantis Antonij,
tum donatarij Petri, (qualis est dicta
donatio rei necessariæ familiæ; in ea e-
nim peccat tum donans, quia tollit ne-
cessaria familiæ, tum donatarius, quia
cooperatur, ut supponimus, peccato
donantis) potes etiam vi & fraude im-
pedire, modo vis sit prudenter illata,
nec sit tanta, ut ex aliquo alio capite
modum excedat; ratio est non abfimi-
lis, ac dicta: quia non est peccatum
contra Iustitiam impedire, ne quis re-
cipiat id, quod sine peccato recipere ab-
solutè non potest.

10. At vero si donatio sit peccami-
nosa, solum ex parte donantis, non ve-
ro ex parte donatarij, qualis est dona-
tio facta ab Antonio ex fine vanæ gloria
vel adulterij, tunc potes quidem impe-
dire sine vi vel fraude, & potes etiam
impedire indirectè, persuadendo An-
tonio, ut deponat illum malum finem,
unde consequatur donationis omisio,
quia sic, ex bono zelo impeditur pecca-
tum alterius; at nullo modo potes im-
pedire vi, vel fraude, & si sic impedi-
as, obligationem restitutionis subibis. Ra-
tio est, quia tunc contra Iustitiam im-
pedires donatarium: cum quilibet ha-
beat Ius, ne impediatur malis artibus à
consecutione ejus, quod sine peccato
ipse consequi potest.

11. Denique si, contra, donatio sit
illicita solum ex parte donatarij, non
vero donantis, ut si dictus Petrus vellet
recipere donationem ex fine vanæ glo-
riæ, vel adulterij, quem finem, quia
Antonius nescit, non est particeps pec-
cati, si tu id scias, licetne tibi impedire

Z z

ejus-

ejusmodi donationem? respondeo, licere, sine vi vel fraude, & bonis artibus, persuadendo ipsum donatarium, ut cesset ab illo sine malo: verum si persuaderi non possit, non licere vi vel fraude impedire, colligitur ex ratione modo dicta, n. 10. Quilibet enim videtur habere jus donandi id, quod sine peccato dare potest: id tamen alijs considerandum relinquo.

§. III.

De impediendo bonum alterius, quoad ea, quae pertinent ad distributionem,

Ubi aliqua de beneficijs & officijs,

Aliqua non rarè bona distribuuntur in Rep. inter cives, quae duplicis dispositionis esse solent.

Prima, quae danda sunt certis & determinatis personis, v. g. singulis annis danda est à monte pietatis mensura frumenti omnibus pauperibus talis nationis, vel omnibus ijs pauperibus, qui eam voluerint. Secunda, quae danda sunt indeterminatis personis, sed eligendis ex libera voluntate distribuentis, v. g. danda sunt decem mensurae ijs pauperibus, quos liberè elegerit mons pietatis, vel danda est mensura frumenti alterutri ex his duobus, quem nempe ipse distributor liberè ex duobus elegerit.

2. Dico jam 4, qui sive vi & fraude, sive sine illis quomodocumque impediens, in priore jam dicta dispositione, semper peccat, & tenetur ad restitutionem. Ratio est manifesta, quia tunc illi singuli habent jus ad eam eleemo-

synam, & illis ex voluntate disponentis ea debetur. At vero in posteriori dispositione, si sine vi vel fraude impedias, non obligaris ad restitutionem, quia sicuti elector liberè eligere potest, sic tu illi persuadere: & hic recurrit eadem doctrina, quae allata est supra §. 1. nu. 4. Quod si impedias vi vel fraude, ad restitutionem obligaris, quanti aestimabitur à prudenti damnum impedito factum. Ratio est, quia licet illi non habeant jus Iustitiae commutativae, ante electionem, ad eleemosynam illam, habent tamen jus, ne impediatur fraudibus & vi à consecutione illius boni, recurrente huc doctrina allata supra §. 2. num. 3.

a *Silv. 2. 2. q. 61. art. 2. quaestio 23. concl. 5.*

Impedientes consecutionem beneficij.

3. Huc pertinent impedimenta contra volentes consequi beneficia, vel munera, quae solent à Republica, vel à Praelato benemeritis distribui; de quibus haec breviter colligo ex Lessio b.

b *Less. l. 2. c. 12. du. 18. cui adde Discast. lib. 2. de just. tr. 2. d. 8. dub. 2. qui alios citant.*

Primò, si quis erat beneficio dignus, illumque tu, etiam vi & fraude impedisti, ut conferretur digniori, ad nihil teneris. Ratio est, quia dignus non habet ullum jus, respectu dignioris: quare illum impediendo facis juxta voluntatem Reip. intendentis dare beneficia vel munera dignioribus. Quod si vi impedisti, ut conferretur quoque digno, ad restitutionem teneris, juxta speciem, quam alius habebat (si enim

enim nullam spem habuisset, cum nihil damni illi feceris, nihil debebis) Ratio est, quia ille alius dignus, respectu æque digni, gaudebat jure, ne malis artibus impediretur.

4. Secundò, si absque vi, vel fraude curasti, ut daretur indigno, nihil teneris restituere ipsi dignis, vel dignioribus; sed Reipublicæ, vel Ecclesiæ teneris de damno secuto; ratio est, quia solum Reipublicæ, non verò illis dignis, vel dignioribus injuriam intulisti. Nullus enim habet jus Iustitiæ ad beneficia. Et quidem primo loco teneris dictæ Reip. is, qui habet officium; secundò collator; tertio, tu, qui fuisti suator. Quod si nullum damnum secutum est Reip. adhuc fructuum perceptorum restitutio facienda est ipsi Reip. vel Ecclesiæ, ad quam pertinet beneficium, quia illud, quod est propria sustentatio ministri idonei, datur contra voluntatem Ecclesiæ, indigno. At si simili modo sine fraude procurasti, ut daretur digno, relictis dignioribus, ad nihil ulli teneris: nam non teneris dignioribus; hi enim non habent jus Iustitiæ commutativæ supra dignos; non Reipublicæ, vel Ecclesiæ, quia non est illis facta injuria, dum dignum habueris, ergo &c.

5. Tertio, si prodas crimen occultum, unde excludatur aliquis à beneficio, si quidem prodas collatori, etiam malo animo, non teneris ad restitutionem, etiam si collator, si tua non accessisset infamatio, illi beneficium collaturus fuisset. Ratio est, quia, quando agitur de beneficijs atque officijs, cuiuscunque est jus patefaciendi ea, quæ minus habilem hominem faciunt; unde

etiam solent capi informationes &c. Quid, si prodas alijs, unde diffametur is, de quo agitur? respondeo, Lessius inclinatur, te non teneri ad restitutionem valoris spei beneficij, (teneri enim ad restitutionem famæ, certum est) si is excludatur ex vi commissi criminis; at si excludatur ex vi infamiæ, per tuam occulti illius criminis publicationem enatæ, te teneri; ratio esse potest, quia ibi is excluditur à suo crimine, hic à tuo.

6. Quarto, si impedias, etiam vi, ne conferatur indigno, ad nihil teneris; quia ad ejusmodi beneficia, vel officia nullum prorsus habent jus indigni.

7. Quinto, si, ut tu facilius impetres beneficium, impedias procuratorem prætendentis illud idem beneficium, quod tu prætendis, eum orando, vel cogendo, vel per alium prætextum in alijs negotijs eundem tenendo; ut item, si impedias tabellarios afferentes litteras ad tuum competitorum, vel eandem aperias, quò facilius à beneficio illum excludas, an obligeris ad restitutionem, & resolvi potest ex dictis, & habes dilucidè apud Doctores e.

e Delugo t. 1. d. 18. sec. 5. num. 102. citans Bonacin. & Vas. q. & nu. 104. citans Castrop. &c.

8. Denique ex iisdem dictis obiter intelligis, ex violatione solius Iustitiæ distributivæ non oriri obligationem restituendi, nisi quatenus simul violatur jus aliquod pertinens ad Iustitiam commutativam. Hastenus enim vidisti, tunc in ejusmodi distributionibus adesse obligationem restitutionis, quando quis violavit jus, quòd alius habebat, ne repelleretur, ne impediretur &c.

hoc autem jus ad commutativam pertinet. Adde, obligationem restitutionis fundari in obligatione faciendæ æqualitatis Arithmeticæ, quam quis in rigore debet facere; at hæc ex Iustitia commutativa faciendæ est. Nam propterea princeps si non distribuat, quæ distribuere civibus pro eorum meritis debet, & hæres, si non eligat pauperes, quos eligere voluntas testatoris iussit, ideo ad restitutionem obligantur, quia lædunt Iustitiam commutativam, dum faciunt contra Ius, quod habent cives illi, & illi pauperes ad distributionem & electionem &c. Et quando princeps, vel alius elector elegit indignum ad aliquod officium, ideo obligatur ad damna, quæ indignus officialis infert communitati, quia tunc princeps & elector sunt, contra Iustitiam commutativam, concussa ad tale damnum dum indignum ei communitati præfecerunt.

d. Rebell. Barnes, Molina, Turri, alijque quos citat sequiturq; Bonacin. d. 1. de rest. q. 1. p. 1. n. 9. Contra Vasq. Salonium aliosque ibid. citat. lege item Dicast. lib. 2. de Iust. Tr. 2. d. 8. dub. 6. Iuncta d. 1. dub. 3.

§. IV.

De distributione beneficiorum & officiorum.

Dicamus hac occasione aliquid de huiusmodi argumento, atque quatuor dictis breviter expediamus ea, quæ nimis prolixè & confusè aliqui pertractant.

2. Præmitto autem, digniorem pro his beneficijs, officijsq; ex S. Thoma

non esse eum, qui absolute doctior, sanctior, prudentior est, sed qui fore utilior pro bono communi in eo munere prævidetur: nam propterea aliquando minus doctus, dignior in aliquibus circumstantijs erit pro hac Ecclesia contumaci, quia nobilior, vel quia potentior est, quam qui doctior, vel sanctior, & dignior erit inter hæreticos, qui doctior, quam qui sanctior, & inter Catholicos, qui sanctior, quam qui doctior &c. Iam igitur tota difficultas in hoc argumento est, quam obligationem sit eligendi ad ea munera illos, qui omnibus expensis sunt digniores, ac repellendi eos, qui vel indigni sunt, vel minus digni.

aa S. Th. loco mox citando, alijque lege item Sanc. lib. 2. Consil. c. 1. dub. 2. & Carram. in Reg. S. Bened. nu. 7504. Dicast. li. 2. de Iust. tr. 2. d. 8. dub. 7.

3. Affero primò, esse ex suo genere mortale, beneficia & officia immo quilibet bona distribuere indignis & immeritis. Ratio communis est, quia esset acceptio personarum vitiosa in re gravi, ut supponimus, & damnum inferretur ijs, circa quos illa munera exerceri debent: unde sic distribuens contrahit obligationem restitutionis, ut modo §. præcedente nu. 4. breviter insinuavimus.

a Ex S. Th. 2. 2. q. 63. & communiter lege etiam q. 185. ar. 3. Dicast. l. c. dub. 5.

4. Dixi autem (ex suo genere) posset enim excusatio aliqua te sic distribuentem à mortali liberare, si electus sit multum leviter indignus, si res distribuenda esset iudicio prudentum leviorum, sed merita unius & alterius parum

parum se invicem superarent; si leve,
vel nullum damnum Reip. vel alteri
inferretur, & similia bb.

bb *Sot. Val. Rebel. alijque apud Dicast.*
l. c. dub. 5. n. 84. & Delugo mox citan. sec.
3. à nu. 21. contra Turrian.

5. Affero secundò, omnia beneficia,
sive majora, ut Cardinalatus & Episco-
patus, sive minora ut Canonicatus &
Capellania, sive curam animarum ha-
bentia, ut Abbatia & Parochia, sive non
habentia, ut prædictus Canonicatus &
Capellania cæteraque beneficia, quæ
simplicia nominantur, abstrahendo ab
ijs, quæ dantur in concursu, (de qui-
bus mox n. 14.) affero, inquam, satis b
esse ad evitandum mortale, si conferan-
tur dignis & idoneis; esto, prætermi-
tantur digniores vel dignissimi: id quod
certe semper fit cum veniali, quia sem-
per est aliqua deordinatio: idem dic de
resignante suum beneficium in favo-
rem alterius digni: idem de dantibus
suffragia pro dignis in electione Præla-
torum Regularium, deque eligentibus
seu creatibus eisdem dignos: loqui-
mur autem, præciso juramento, vel
alia obligante constitutione in contra-
rium; quæ certè si adsunt, erunt juxta
receptam consuetudinem observanda.
Hæc tam ampla assertio, licet commu-
niter non admittatur, tamen esse pro-
babile sic fatetur Filliucius d. Dico quin-
,, id (ait) sententiã, quæ censet, satis esse,
,, dignos eligere ad beneficia, quæ non
,, dantur in concursu, esse probabilem
,, ex Trid. sess. 7. c. 3. de reformat. dicen-
,, te, ut conferantur dignis: & univer-
,, sali æstimatione, in creatione benefi-
,, ciariorum, ut Cardinalium, Episco-

porum, Abbatum &c. qui si inter
dignos habeantur, laudatur elector
& electio: non laudaretur autem
communitè, si mala esset & pecca-
tum mortale. Hæc Filliuc.

b *Plures apud Delugo l. 2. de Inst. d.*
35. s. c. 2. num. 11. & apud Dianam p. 1.
tr. 15. ref. 40. Caram. in Reg. S. Bened. nu.
1505. dum probat, stando Iuri nature, in
nulla dignitate debere digniorem necessa-
rio præponi. c. Plures citati à Dicastillo
l. c. d. Filliuc. t. 3. tr. 41. in Append. c. 4.
num. 181.

6. Ratio autem huius probabilita-
tis duplex est; altera, quia non vide-
tur graviter esse invita nec læsa Ecclesia,
si ea provideatur de dignis: commune
enim est in more humano, sub quo in-
stituta sunt beneficia, & Ecclesiarum
provisiones, ut ea judicetur recta pro-
visio, quæ fiat per aptos, non vero ne-
cessario, per aptissimos: siquidem ad
moralem & humanam diligentiam
ponendam homines obligantur, quam
certè dignus exhibere potest, non ad
omnino & ex omni parte perfectam,
quia id onus esset nõ humanis viribus
tolerandum. Confirmatur, quia, fac
Episcopum esse dignissimum, sed se ge-
rat tanquam dignum Prælatum, non
verò tanquam dignissimum, ea nimi-
rum pro utilitate Diocæsis operando,
quæ sufficiunt ad ejus diligentem gu-
bernationem, non autem diligentissi-
mam: certè hunc non condemnare de
mortali, quia non obligatur, nisi hu-
mano more, moralem diligentiam ad-
hibere, ut alibi universaliter dictum est.
Si igitur ego do Ecclesiæ Prælatum di-
gnum, qui similia possit operari, cur

ero condemnandus? ipse certè, si deficiat, condemnabitur, cum possit non deficere, non ego &c.

7. Altera ratio, quia hoc ipsum videtur concessisse Tridentinum: quod si contraria appareant alia jura, excellentia digniorem, videntur à Tridentino, vel à consuetudine abrogata. Tridentinum sic e habet. Inferiora beneficia Ecclesiastica, præsertim curam animarum habentia, personis dignis & habilibus conferantur; & alibi f de majoribus: omnes, inquit, qui ad promotionem præficiendorum jus habent, monet S. Synodus, ut in primis meminerint, bonos pastores, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoveri &c. Bonos dixit, non optimos, idoneos addidit, non maximè idoneos.

e *Trid. sess. 7. c. 3. de reform. f Trid. sess. 24. c. 1. de reform.*

2. Instas; at immediatè sic tradit concilium: eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint.

Respondeo primò, cum immediatè antea concilium videatur esse contentum de dignis, vel primò videtur per hoc (digniores) non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo: vel secundò, locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos, quos paulo ante admiserat; vel tandem tertio, loquitur, quando fit concursus, de quo mox nu. 14. Alias duas responsiones affert Castropolaus, quas impugnat Delugo g *Delugo l. c. d. 31. sess. 4. n. 4.*

Nec vero, quoad primam nostram responsionem, novum est apud Latinos (qualem esse eum, qui Tridentinum concilium stylo reddidit, scimus omnes) comparativum pro positivo sumere. Utimur vulgo (inquit Valla gg) comparativis pro absolutis, ut si quis se infirmiore appellat, non dixit pro minus, quam infirmus; Et paulo post: junior & senior pro positivo accipi solent (nempe pro juvene & pro sene) quemadmodum, ocyus pro ocyter, & minus pro non, semper ferè accipitur.

gg *Lawr. Valla li. 1. de elegan. lingua Lat. cap. 14.*

9. Confirmatur primò hæc prima responsio, quia hoc vel alio simili modo debuit id intelligere Filliucius, dum nostram opinionem vocat probabilem, etiam in Episcopatu. Confirmatur secundò, quia ita etiam debent intelligere alij h, dum docent, eos, qui jus habent conferendi beneficia per provisionem liberam, ut summus pontifex & reges, satisfacere suæ obligationi, si dignis conferant, quia aliud exigere in Papa & regibus, esset valdè onerosum. Amabo te, siste hic lector: si onerosum regibus, cur non alijs? Deinde, an quia Episcopus præsentatur à rege, dignior & utilior eo ipso euadit, non vero si ab alijs? Denique, jam ergo non amplius rationem habes majoris utilitatis Ecclesiæ.

h *Reginal. quem sequitur, citatque Dian. p. 2. t. 15. ref. 40. Henriq. Castrop. alijque citati à Delugo loc. c. n. 37.*

10. Confirmatur tertio, quia ita etiam debent intelligere i, qui concedunt, eos laicos, quibus de jure patronatus insumbit,

cumbit, præsentare ad Episcopatus & similia, posse solum dignos præsentare. Et ratio harum confirmationum ea est, quia si Tridentinum loquitur de omnibus, ad quos pertinet cura præficiendorum, etiam nos omnes comprehendet, & sub mortali obligaret ad digniores præficiendos: si ergo ipsi negant, prædictos peccare mortaliter, præficiendo dignos, nostram explicationem excipere conuincuntur.

11. Respondeo secundo, ad instantiam num. 8. factam, me ingenuè fateri, propter hunc Tridentini textum esse multo probabilius Episcopatus & similia maiora curata beneficia, de quibus solum hic loquitur Tridentinum, debere dignioribus conferri, nec in praxi aliter esse consulendum.

12. Obijcies primò cum Vasquez l. beneficia sunt bona communia, ergo distribuenda pro meritis, ergo præferendi semper digniores. Respondeo, sanè probandum esset antecedens, non supponendum: solum ergo bona communia dici possunt, quia aliquo tandem modo minus principaliter instituta sunt ad excitandos homines ad studia virtutesque, ut ijs præditi Ecclesijs præficiantur; sed addimus, satis excitandos, si noverint, dignos esse præficiendos: immo magis sic excitabuntur; nam si exposcerentur solum digniores, cum multi desperarent ab affurgendo à communi dignitate, à sui cultura desisterent.

1 Vasq. in opusc. de Benef. c. 2 §. 3. dub. 8.

13. Obijcies secundò cum Delugo m. Est de jure naturæ, ut in quibuscumque

muneribus prospiciatur bono communi: at in Episcopatibus & similibus grauioribus nõ prospicitur bono communi per dignos, quia Episcopi magna & difficilia pro ovibus suis capeffere debent, ergo &c.

m Delugo r. 2. de Inst. d. 5. sect. 2. n. 18.
Respondeo, concessa ultrò maiore, negatur minor: si enim Episcopus non sit aptus ad prospiciendum in negotijs currentibus, juxta moralem & humanam obligationem, quam satis esse nemo negare potest, certè non erit ne dignus quidem, quare nihil contra nõs.

Cætera argumenta ab alijs contra nostram sententiam allata ipsemet Delugo fusè dissoluit.

14. Affero tertio: quando beneficia conferuntur per concursum competentium, tunc sine dubio dignioribus ex concurrentibus debent sub mortali conferri; ratio est, quia posito, quod illi convenerint ad examen, pactum initum cum ijs fuit, ut dignior palmam veluti in stadio, sit reportaturus; quare magna injuria fieret vincenti, si promissio bravio non potiretur. Adde, in beneficijs curatis sanctè ejusmodi concursus institutum esse, ut Ecclesiæ de dignissimis, quoad fieri posset, provideatur; quam institutionem tam serio, & exaggeratis verbis à Tridentino requisitam negligere, grave quid esse, non est dubitandum.

n Filliuc. l. c. n. 180. cit. Less. o Trid. ses. 22. c. 14. de reform.

15. Affero quartò, siue princeps, siue is, cui incumbit absoluta officij cujuscumque secularis collatio, siue Electores, qui dant suffragia ad aliquam eligentem.

eligendum, non ꝑ obligantur sub mortali, nisi dignis conferre, vel suffragari. Excipe semper juramentum, vel quid simile, ut excepisti num. 5. Ratio hujus quarti dicti est eadem. quæ modo dicta est nu. 6 non enim video, cur his electoribus, & collatoribus officij secularis majus onus imponi debeat, cum per dignos, more humano, satis Reip. consulatur, licet quam optabilius esset, per dignissimos.

p. Vasq. l. c. c. 2. c. 3. du. 13. Caetan. Mol. f. alijque Delugo t. 2. de iust. d. 34. sect. 2. n. 13. Dicast. l. c. à m. 111. vocans n. 113. hanc probabilem, licet contrariam probabiliorem.

16. Dixi (Electores, qui dant suffragia.) Nam qui ea colligunt, secundum ea debent pronuntiare: quare peccaret mortaliter, si digniorem, hoc est, habentem sine fraude plura suffragia præmitteret: siquidem statim, atque aliquis pluribus gaudet votis, acquirit jus quoddam electionis, quo privari irrationabiliter non debet.

Hinc, quando pro pluribus, qui numerosiora suffragia æque habuerunt, adhibetur fors (quam adhiberi in munis secularibus non vetatur, vetatur in Ecclesiasticis) peccat, cum onere restitutionis, juxta spem boni eventus, is, qui fraudes molitur, vel imponendo alia nomina, vel aliqua subtrahendo, vel chartas signando &c.; tunc enim lædit iustitiam commutativam, contra concurrentes: perinde facit in ludo is, qui in ipso injustas fraudes usurpat.

CAPVT QVINTVM.

De quarta radice restitutionis, qua radicaliter est ex contractu.

SI lineas cum aliquo contractum, deponis v. g. apud Petrum aureos centum, hos quamvis justè acceptos, suo tamen tempore restituere tibi Petrus obligabitur; quæ obligatio immediate est ex contractu; de qua re in capite sequenti & deinceps. Quod si culpa ipse pereat depositum, debet totidem reddere, & damna inde secuta; quæ obligatio immediate est à culpa, sed mediate & radicaliter fundatur (ut ex se patet) in præcedenti contractu, de qua re in præsentis capite differimus. Hujusmodi autem contractus solent esse depositi, mutui, commodati, precarii, locati, pignoratii qui sunt proprie contractus. Eiusdem item generis sunt ij, qui vocantur quasi contractus, qualia sunt officia, tutelæ, procuratoris munera, professiones, artes &c. eo enim ipso, quod quis officio fungitur, vel tutela, vel arte &c. videtur tacite inire pactum, cum altero, de inculpata administratione officij &c.

§. I.

De obligatione restitutionis orta ex culpa

In proprie dicto contractu.

Premitto, in legibus a haberi has tres dispositiones. Prima est hujusmodi: quando contractus est in

est in utilitatem tantum accipientis, ut est commodatum, obligatur accipiens restituere, si ex suo dolo, vel lata culpa, vel levi, vel etiam levissima res accepta pereat, non vero si merè fortuito, sine ulla prorsus culpa pereat. Horum terminorum cognitionem explicuimus satis superque supra *b*. Excipitur precarium, quod est, quando aliquid tibi conceditur, cum onere, ut ad nutum concedentis restituatur; ad hoc enim restituendum, solum si ex dolo, vel culpa lata tua pereat, obligaris, non autem si pereat ex levi, vel levissima.

a *Has leges vide apud Less. l. 2. c. 7. à d. 7. Vasqu. de rest. c. 2. §. 2. à dub. 5. & 6. Azor. 3. p. l. 4. c. 6. & l. 6. c. 4. Rebell. p. 2. l. 1. de contr. q. 20. Delugo t. 1. de just. d. 8. sect. 8. Mol. t. 2. d. 295. & passim Fagund. l. 1. c. 10. de contract. b sup. c. 2. §. 4. num. 1. & 2.*

3. Secunda dispositio. Quando contractus est in utilitatem solius dantis, recipiens solum tenetur per dictas leges ex dolo, vel lata culpa; ut si quis apud te suam pecuniam, vel librum, sine tuo commodò deponat, si ea pereant sine dolo, vel lata culpa tua, quamvis adfit tua levis, vel levissima, non obligaris illa restituere.

4. Tertia dispositio. Quando contractus est in utilitatem utriusque, nempe tum dantis, tum recipientis, sicuti cum locatur domus, vel equus tanto pretio; immo & cum commodas in tuam, & amici utilitatem, ut quando commodas equum ad invicendum communem amicum, recipiens tenetur ex dolo, vel ex lata, vel levi culpa, non vero levissima.

5. His ita per leges dispositis, illud

in quaestionem vertitur, an hæ dispositiones sint servandæ, ante sententiam Iudicis, an vero donec illa accedat, non obligemur in conscientia restituere prædicta? quando verè, & coram Deo nõ adfuit culpa gravis mortalis, quam Theologicam supra in simili quaestione appellavimus.

Servandas esse ante sententiam, aliqui *c* contendunt; Negant alij *d* probabilius, cum quibus sentio; atque assero, nisi ex culpa tua gravi seu mortali coram Deo, pereat res, quam per contractum debes, te non obligari ad restitutionem ante sententiam, etiam si peccaveris per venialem negligentiam, vel inadvertentiam. Ratio potissima est, quam superius diximus *e*, quia non est damnandus ad restitutionem rei gravis, qui graviter non delinquit; iniquum enim est, poenæ gravitatem non proportionari secundum gravitatem culpæ; quare prædictæ leges, vel sunt poenales, quæ non obligant ante sententiam, vel si mavis non esse poenales, dic, non esse, usum ante sententiam, receptas. Nemo enim est, qui pignori, vel rei conductæ, vel commodatæ &c. putet se majorem custodiam debere ex Iustitia, quàm Dominus ipse exhibere solet; solet autem cum ordinaria & humana diligentia, non cum exquisitissima, esto, vir ingenuus melius custodiat res alienas, quàm suas, restituatque, etiam si apud ipsum pereat per levissimam culpam; id enim gratitudinis est, non obligationis, ut patet, quia vir idem honestus, etiam si pereat res sibi commodata per casum omnino fortuitum, solet illam restituere. Illud

ff alibi notavimus, & rursus hæc no-

tatum pervelin, non eandem diligentiam esse sufficientem ad vitandum peccatum mortale in rebus majoris momenti, quæ sufficit in rebus minoribus; & naturalis ipsa ratio dicitur, etiam in conscientia, in contractu commodati, quod est in solum tui commodum, majorem aliquam requiri diligentiam, quam in locato, quod est in commodum utriusque, vel depositum, quod fit in commodum solius deponentis: locum recole, ubi etiam decernitur, quid si dubium sit, utrum negligentia fuerit gravis, an levis &c.

c. Onnates t. 1. de contr. tr. 5. d. 15. sec. 3. n. 58. L. ff. l. c. Vasq. l. c. præfert. n. 41. & 48. alijque, quos citat, sequiturque Fag. l. c. nu. 10. dicens, contrariam esse probabilem. d. Henr. c. 15. de irreg. alios citans. Sà v. commodatum. Delugo alijque apud Fag. l. c. n. 11. e. Sup. c. 2. §. 5. f. ut probabile putat Lessius lib. 2. c. 7. du. 8. ff. sup. l. 1. c. 3. §. 7. v. depositum, & max §. 2. num. 2.

6. Obijcies cum Onnate g: positis supradictis legibus, homines talibus legibus subiecti, saltem virtualiter intelliguntur celebrare suos contractus juxta illas leges, ergo ex pacto tacito obligantur, juxta illas adhibere exactissimam custodiam: nam ideo hæc obligatio restitutionis appellatur ex contractu, non ex delicto: est enim ex dicto tacito pacto.

g. Onnate l. c. num. 59.

Respondeo, negando antecedens, quod certè gratis assumitur: solum enim se obligant homines ad diligentiam humanam & moralem, qualem scilicet in rebus suis ponerent, quod est, nolle advertenter ponere dolū vel cul-

pam latam: dicitur autem hæc radix ex contractu, non ex delicto, quia non est ex mero delicto, sed radicaliter, ut modo num. 1. explicui, à contractu dependens.

7. Instas ex Vasquez *h*: Aequitas postulat, ut quandoquidem tu re commodata frueris, hanc æqualitatem saltem intendas, ut velis subire onus restituendi, quando culpa tua levissima rem perire contingat; secus, quæ æqualitas esset, te frui commodato, & ejusmodi onus nolle subire? hanc vim mihi videtur habere argumentum, quod inducit Vasquez d. n. 42. Respondeo, recolendo prius, in commodato ex usu humano aliquid gratis dari; commodat enim quis rem suam amico, nullo pretio: secus, non esset contractus commodati, sed venditionis; hoc posito, ruit argumentum Vasquez: neque enim debet esse tanta æqualitas in commodato, quantam ipse requirit: aliquid enim plus habet amicus ex accepto commodato, quam habeat is, qui commodatum dat: sufficit ergo, si recipiens subeat onus custodiendi rem amici, sicuti rem propriam.

h. Vasq. l. c. n. 41.

8. Quid agendum, quando Iudex ex falsa præsumptione gravis negligentia te condemnat, cum tamen gravem non apposueris, colligi potest ex dictis supra in simili, cum de damno dato, lib. 6. c. 4. §. 2.

9. Denique si res commodata, locata, deposita &c. fortuito sine ulla culpa pereat: certum est, non adesse in conscientia obligationem restitutionis, neque totius, neque partis; quidquid alii *l* dicant: ratio est, quia ubi non est culpa,

culpa, esse nequit pœna; & ubi non ad-
est partialis in culpa gravis, nec partia-
lis pœna gravis.

i Vasq. l. c. dub. 7. Mol l. c. Alijque passim
L. 1. 2. c. 7. d. 8. Fag. l. c. n. 17. I Diana
p. 3. tr. 6. Miscel. ref. 10. cit. Val. & Palu-
danus. in Mol. l. c. Delugo l. c. sec. 9. n. 123.

10. Excipe tres casus: primò, si in
pactum deductum sit, debere rem resti-
tuiti, etiam si res fortuito pereat: quod
pactum potest fieri licitè in gratis com-
modato, & similibus, non vero, quan-
do quid locatur, v. g. justo pretio: quia
tunc ejusmodi onus esset supra pretium
justum, atque adeo illicitum.

11. Secundò excipe, si sis in mora
culpabili restituendi: tuac enim obli-
gaberis ex delicto injustæ detentionis,
& recurrerent ea, quæ supra de injusta
retentione in secunda radice restitutio-
nis dicta sunt.

12. Tertiò, excipe si commodatarius
v. g. ad alium usum præter volunta-
tem domini re culpabiliter utatur, ut si
equum commodatum ad unum iter, du-
cat ad aliud: vas argenteum commo-
datum pro sua domo, foras à domo ef-
ferat, unde equus & vas deperdantur;
nam ipse dat causam casui fortuito: de-
bet tamen, ut innui, tum in mora, tum
in dicto usu, adesse culpa gravis: si enim
bona fide putet, ea non displicere domi-
no, non est obligandus, nec ad restitui-
tionem rei, nec damnorũ, quæ inde se-
cuta fortè sunt, ut si dominus ad usuram
fit compulsus aliquid accipere &c.

13. Si rem commodatam, & univer-
saliter quodcunque aliud debitum, per
nuntium domino quis remittat, & hic
nuntius rem illam furetur, an absolva-
tur debitor ab iterata restitutione, vide

apud doctores n., & nos dicemus Tract.
4. c. 1. §. 5. n. 3.

B Delugo t. 1. de just. d. 8. sec. 9. n. 127.

§. II.

De obligatione restitutionis orta ex culpa
in quasi contractu.

Quamvis major obligatio dili-
gentiæ apponenda exigi soleat
in rebus habitis per verum
contractum, v. g. per commodatum,
depositum &c. (quia tunc adest pactum
magis explicitum de custodienda re,
quam quis recipit) quàm requiratur
in officijs, tutelis, artibus &c. quæ sunt
ut modo diximus, quasi contractus, in
quibus solum adest implicitum pactum
de bene administrando officium, tamen
cum in conscientia utrobique sit, seu in-
telligatur non dissimile pactum, regu-
la erit universalis: ante sententiam ju-
dicis neminem obligari in conscientia
ad restitutionem, ex officio, tutela, pro-
fessione &c. si ve hæc aliquis exerceat in
gratiam dumtaxat aliorum, ut est
medicus, cui merces non datur, five
etiam sui, ut si eidem merces detur,
five ad officium à superiore exponatur,
five ipse officium emerit: neminem,
inquam, obligari in conscientia, nisi
ex culpa Theologica mortaliter
gravi; ratio fundamentalis est similis,
ac supradicta, quia nunquam homi-
nes (five gratis, five ex pretio servi-
ant) in dictorum munerum susceptio-
ne, vel traditione (præscindendo à no-
va promissione) intendunt se, vel alios
obligare, nisi ad adhibendam in suo
munere diligentiam moralem & huma-

nam, non verò exquisitissimam, sed illam imperitiam suam compensare lam, quam moraliter quis adhiberet, noluit, si solum bono sui ipsius tota administratio cederet. Hanc autem moralem si advertenter non ponant, obligabuntur sanè ad restitutionem omnium damnorum: ut ex dictis patet.

a *Delugo t. 1. de just. d. 8. sect. 7. b*
Vasq. de restit. c. 2. §. 2. dub. 5. Less. l. 2. c. 7.
dub. 7. Delugo loc. c. sec. 7 n. 93. Contrarius
videtur esse Dicast. l. 2. de rest. tr. 2. d. 3.
du. 3. num. 16.

2. Illud tamen iterum iterumque moneo, tum in rebus gravioribus, tum in acceptis ob solum proprium commodum, majorem diligentiam requiri ad culpam mortalem evitandam; at verò minorem in levioribus, vel in acceptis ob solam alterius utilitatem. Aliquæ illationes circa Advocatum, Medicum, Judicem & similes, ex dictis colligi possunt, quæ tamen, ne erres, sunt videndæ in superioribus d.

c *Lib. 1. c. 3. §. 1. v. Depositum, & hoc*
lib. 8. tr. 3. c. 2. §. 2. num. 4. & nuper §. 1.
num. 5. d. sup. lib. 1. c. 3. §. 4.

3. Dixi (præscindendo à nova promissione) nam in duobus casibus obligabitur quis, etiam in conscientia, ad exquisitissimam diligentiam. Primò, si accipiat officium cum promissione dictæ diligentia exquisitissimæ; nam tunc tenetur ex pacto; maximè si ex hoc auctum sit illi stipendium: secundò, si tacitè id ipsum promisit, ut cum quis se jactavit meliorem alio, unde, propter hoc, alios avertit à meliore v.g. Medico, Artifice &c. tunc enim damnatum per se secutum ex duplici titulo refarcire tenebitur, & quia imperitus est, & quia per exquisitam diligen-

§. III.

An rem commodatam, depositam &c.
debeat quis in communi periculo
preferre suæ?

INstat incendium vel tempestas, licitè, & sine onere restitutionis, possum res meas servare, negligendo, vel proijciendo potius res mihi commodatas, depositas &c. quàm meas &c.

Si in foro agas externo, jura præsumunt, te tuas liberantem, alienasque negligentem, ex dolo malo liberasse, atque adeo te cogunt ad restitutionem, sive eas res in tui, sive in alterius utilitatem habueris. Quod si res aliena longè fuisset pretiosior, quàm tua, multo magis te condemnant: debuisse quippe rem pretiosam alienam custodire, nam ut bonus gestor negotiorum alterius, potuisses repetere pretium rei tuæ: neque enim leges præsumunt, adesse periculum, ne dominus contra fas nequaquam tibi soluturus sit pretium tuæ rei: nam leges nunquam præsumunt delictum.

2. At vero cum hinc agamus in foro conscientia, duo mihi sint certa, alterum non nisi ambiguum.

Certum sit primò: si res propria sunt æque pretiosæ, multo magis si sint pretiosiores, quàm alienæ, quomodo-cumque hæc apud te, sive in alterius commodum extent, posse a te in conscientia, tuas res alienis præferre; ratio est, quia nullus tenetur ad res alienas conser-

conservandas, quocumque tandem contractu apud te remaneant, faciendo extraordinarias expensas, sed solum ad ordinarias & communes: neque enim commodatarius v. g. obligatur, nisi ad alendum equum, vel servum in sui gratiam commodatum; non vero si fortè infirmetur, obligabitur ad eundem medendum extraordinarijs & sumptuosis medicamentis; poterit certè mederi, & aliquando debet, si certo speret, ut bonus gestor negotiorum domini, pretium medelæ recuperare; at non, si non sperat: immo depositarius & creditor habens pignus, nè ad ordinarias quidem expensas tenentur, nisi utilitatem seu servitium expensis æquale à deposito, vel pignore habeant, quia cura contractus depositi vel pignoris fit solum in gratiam illa apud te deponentium, non est æquum, ut ex illis damnum patiaris. Ex his ergo fit, ut tu non tenearis ad servandam rem alienam cum detrimento rei tuæ, æque vel magis pretiosæ, quando non speras certo, rei tuæ pretium recuperare, quia id esset conservare rem alienam cum extraordinarijs tuis expensis, ad quod nemo (nisi clarè promiserit) se obligare in ejusmodi contractibus intendit. Præterea si dominus, ut dictum est, obligandus erit ad has extraordinarias expensas tibi solvendas, jam obligabitur tibi totidem solvere, quot tu pro re ipsius expendisti, sed expendisti rem æque vel magis pretiosam, ergo tanti intererit ipsi domino, si rem ipsius prætulisti tuis, quantum si non prætulisses. Ex qua secunda ratione fit, ut vix sit casus, quo possis sperare, te tuum pretium recuperaturum, quia te domi-

nus repellet, tanquam imprudentem gestorem sui negotij.

a *Delugot. 1. de iust. d. 8. sect. 10. nu. 139. Bonac. d. 3. de contr. q. 1. p. 6. n. 23.*

3. Certum fit secundo: in casu metaphyfico, quo sperares pretium tuæ rei recuperaturum, obligari te ad servandam rem pretiosorem, immo & pretiosam alienam. Ratio est, quia tunc nihil tu amitteres, quare non haberes caput, unde excusareris à conservanda re proximi. Vide, quæ dicam mox nu. 6. Hæc duo sint certa.

4. Ambiguum autem est, propter varias distinctiones ab authoribus b hinc inde allatas valdè implicitum, quid sentiendum, quando res tua est vilior, quam sit res commodata, deposita, locata &c. Nihilominus duobus dictis in hunc modum expeditio.

b *Mol. t. 2. d. 296. Lesl. 2. c. 27. d. 6. Bonac. de contract. d. 3. q. 1. p. 6.*

Dico primò: si c, quamvis res tua sit vilior, tamen tibi notabile detrimentum facit ejus jactura, te non teneri rem alienam pretiosorem præferre tuæ; quando non es moraliter certus, posse ejus pretium recuperare. Ratio est similis prædictæ; quia nemo se intendit in his contractibus obligare, ad expensas faciendas pro re aliena, cum notabili, & grâvi suo detrimento, vel cum ejus probabili periculo. Nec est verum, quod multi doctores d inculcant, negligentem rem pretiosorem pro conservanda minus pretiosa, semper committere culpam, cum vir prudens id nunquam esset factururus; non est, inquam, verum: nam omnes prudentes evitare licitè possunt suum quodlibet notabile detrimentum, neglecto

alterius etiam gravi proportionaliter damno, nisi bonum publicum, vel aliorum aliqua ratio contrarium exposcat, de quo hic non agimus. Ut quid enim prudenterne faciet inops paterfamilias, qui centum v. g. aureis sine spe uberioris fortunæ, vitam suam & frequentem familiam, utcumque sustentat, si eos velit sine spe recuperandi amittere, ut servet gemmam decem mille aureorum principis prædivitis, ex cujus jactura nullum princeps notabiliter damnum sentiet? Apage.

c. Delugo l. c. à n. 140. d. Mol. Bonac. loc. cit. aliisque.

5. Dices; qua ratione erit expendendum ejusmodi detrimentum, ut censeatur notabile? respondeo, non nisi considerando per virum prudentem tuam vel alterius paupertatem, tuæ & rei alienæ valorem, damna vel pericula ex jactura alterutrius forte consecutura &c. Modo item advertas, ex commodato, vel simili, quod fit in tui solum gratiam, majus aliquod damnum te debere subire, quam pro deposito, vel simili, quod fit solum in gratiam alterius: id enim ipsa recta ratio ex se poscit.

6. Dico secundò: si res tua vilior ita sit, ut per ejus jacturam non sis notabile detrimentum incursum, debes rem alienam pretiosorem præferre tuæ, si res aliena eodem modo fortè perisset, si inventa fuisset, tempore v. g. incendij, in manu domini, si non perisset. Ratio est, quia semper in prædictis contractibus more humano & urbano factis, aliqua tandem obligatio imbibitur, rem alienam custodiendi, quando potest; ergo non excludetur rationabiliter ejusmodi obligatio, nisi

quando futurum est tibi notabile, non verò exiguum detrimentum.

a. Id. ibid.

7. Porro, si certo prævideas, dominum rei pretiosæ depositæ non soluturum tibi pretium tuæ rei vilis, licet peccaturus sis contra charitatem, nisi rem pretiosam illam præ tua vili serves (charitas enim dicitur, ut subveniamus gravi damno proximi, quando commode, vel cum modico detrimento possumus) non tamen peccabis contra Iustitiam, quia in contractu à te facto in utilitatem alterius, ad patiendum detrimentum te non obligasti; nisi fortè adeo hoc detrimentum tibi esset exiguum, ut iudicio prudentis judicaretur, ad illud te obligasse. Negari enim, ut modo dictum est, non potest, in contractibus, quibuslibet humanis imbibitur aliquam tandem promissionem servandi rem alienam; quam obligationem extendi ad sufferendum modicissimum hoc damnum, non recuperandi tuæ vilis rei pretium, admodum est rationi consonum. Immo in commodato, quod est solum in utilitatem commodatarij, aliquanto majorem hanc obligationem esse, ita ut etiam is obligetur alere equum v. g. vel servum commodatum, modo notavi: unde fit, ut commodatarius obligetur ex Iustitia præferre rem pretiosam sibi commodatam, cum ea jactura rerum suarum, quæ æqui valet illis alimentis: atque eodem modo proportionaliter philosophare in reliquis contractibus.

§. IV.

Summa eruta ex dictis, quoad obligationem restituendi ex culpa.

1. Obli-

Obligatio restituendi, ut ex ha-
ctenus sparsim dictis liquet,
quatuor ex capitibus emergit:
Ex delicto, ut ex tuo furto, homicidio,
adulterio, damnificatione &c. Ex quasi
delicto, ut cum servus tuus, vel animal
tuum, tuusve filius alteri nocent: ex
contractu, ut in mutuo, deposito, em-
pto, locato &c. Ex quacontractu, id
est, ex officio, quo quis fungi proficetur,
qualis est Tutor, Curator, Iudex, Gu-
bernator, Medicus, publici Opifi-
ces, &c.

2. Dico jam, in præcedentibus esse
statutum, homines tunc solum in foro
conscientiæ ante sententiam Iudicis obli-
gari in prædictis ad restitutionem,
quando peccarunt mortaliter.

De obligatione enim ex delicto, pu-
ta, five ex injusta acceptione, five ex
iniqua damnificatione, sic statutum est,
hoc Tract. 3. c. 2. §. 5.

De obligatione, ex quasi delicto, sic
decrevimus lib. 6. c. 4. §. 2. n. 4.

De obligatione ex contractu, sic do-
cuimus hoc tract. 3. c. 5. §. 1. n. 5.

De obligatione denique ex quasi
contractu, sic diximus ibidem §. 2.
num. 1.

3. Modò notes, ut nos nimis sæpe
notavimus, negligentiam culpam in
una re, v. g. in re temporali aliquando
esse venialem, quæ mortalis erit in re
graviore, v. g. pertinente ad vitam;
sic nimirum poscente ipsius rei gravio-
ris natura; multo magis si præcesserit
aliqua promissio &c.

a lib. 1. c. 3. §. 7. v. Deposum, & paulò
ante §. 2. n. 2.

CAPVT SEXTVM.

*De eadem quarta radice restitutionis, quæ
immediate est ex contractu in
universum.*

§. I.

Præmittitur definitio contractus.

Contractus, seu pactum strictè
sumptum à Jurisperitis sic de-
scribitur: *Est ultro citroq; obli-
gatio ex consensu, & voluntate partium
consurgens; Plinius autem sic definitur.
Est actus externus inter duos, vel plures
celebratus, pariens ex illorum consensu ob-
ligationem.* Notas? priorem descriptio-
nem tradi per effectum resultantem ex
contractu, id est, per obligationem, po-
steriorem vero tradi per ipsam causam,
puta, per externum consensum, ex quo
inseparabiliter consequatur obligatio.

2. Dixi (strictè sumptus) nam actus
continens obligationem unius tantum,
ut simplex promissio, vocatur minus
strictè contractus. Pari modo actus
continentes pactum explicitum unius
partis, & implicitum alterius (quale ac-
cidit in obligatis ex officio, ut est con-
ventio inter tutorem & pupillum, inter
curatorem & minorem vel furiosum,
inter gestorem utilem tui negotij & te
absentem, inter fungentes publica ad-
ministratione & communitatem &c.)
vocantur quasi contractus.

*De his lege Mol. Delugo Fagund. On-
nate, mox citandos, Less. Reb. aliosq; passim
ab iisdem citat.*

3. Cum obligatio sit tam necessaria
& essentialis contractui, multa notant
de illa

de illa doctores, præcipua sunt hæc qua-
tuor. Primò, consensus debet esse ve-
rus, & non fictus; quare verbis dicens,
se contrahere, animo non contrahendi,
contractum verè non celebrat, licet
aliundè obligetur ad damna omnia,
quia scilicet proximum per illam fi-
ctionem deceptus, ut alibi *a* à nobis fuisse
dictum est; non me latet Basilium *b*
contra Molinam *c* aliosque putare, ad
essentiam contractus sufficere verba ex-
terna significantia consensum, sine ne-
cessitate ipsius interni consensus; sed
nos Molinam sequimur, quia non po-
test à me oriri obligatio contractus, sine
voluntate me obligandi: at voluntas
me obligandi ipsissimus est consen-
sus.

a sup. lib. 3. c. 3. §. 2. qui est de Iura-
mento promissorio dolo. *b* Basil. Pont.
lib. 3. matr. c. 4. nu. 3. cui adde Turr. apud
Delugo mox cit. *c* Molina d. 352. ver-
su, ego probabilis, cui adde Delugo t. 2. de
just. d. 22. sec. 4. n. 45. dicentem, esse omnium
fere Doctor.

4. Secundò: si verum consensum
non habuisti, sed postea, persistente alio
in vero consensu, tu consensum verum
præbeas, revalidatur, seu ratificatur
contractus: de qua re multa doctores
passim.

d l. sanc. lib. 2. de matr. d. 32. & 35.

5. Tertio, si voluisti contrahere, sed
noluisti te obligare, certant utrimque
doctores, an vere contraxeris? de quo
nos aliqua tetigimus, cum de Iura-
mento: illud est certum, obligari te ad
omnia damna, modo jam nu. 3. dicto,
ob deceptionem.

6. Quarto, si consensisti ex metu, si
ex dolo, vel vi, si ex errore, dantibus

causam contractui, five circa substan-
tiam, five circa qualitates, an subsistat
contractus, variæ sunt opiniones, qua-
rum saltem necessarias nos, cum egi-
mus de involuntario, de voto, de jura-
mento, satis tetigimus, & multa dice-
mus inferius c. 7. §. 11. à n. 11.

§. II.

Divisio Contractuum.

Prima divisio in contractum nominatum,
& innominatum.

Nominatus est ille, qui habet
speciale suum nomen, ut em-
ptio, venditio, locatio, & sex-
centi alij. Innominatus nomine specia-
li caret, sed utitur generali. Estque qua-
druplex: do, ut des, quando tibi do
v. g. panem, ut des vestem: do, ut fac-
cias, quando do panem, ut scribas: fa-
cio, ut facias, quando ego scribo, ut tu
me doceas: facio, ut des, quando tibi
servio, ut tu mihi panem tribuas. Licet
autem in contractu innominato, si neuter
ex contrahentibus illum ceperit im-
plere, non detur in jure externo actio
unius contra alium, unde posset alter à
contractu resilire, tamen in foro con-
scientiæ, dum alter non recedit, debet
uterque stare contractui, nisi circum-
stantiæ sint notabiliter mutatae, modo
alibi dicto in simili: ratio est, quia verè
& in conscientia se obligavit, atque al-
ter, cum onere se obligandi acceptavit,
ut supponimus.

a legantur pro omnibus his divisioni-
bus Cast. de just. commutativa d. 2. p. 2.
alijque, quos ipse citat.

Secun-

secunda divisio in contractum bonæ fidei
& stricti juris.

2. Contractus bonæ fidei dicuntur illi, in quibus Iudex poterit, etiam in conscientia, multa ex æquo & bono arbitrari; tales sunt, quibus Imperator competere dicit actionem bonæ fidei, his verbis a: actionum autem quædam bonæ fidei sunt, quædam stricti juris; bonæ fidei sunt hæ, emptio, venditio, locatio, conductio, negotiorum gestorum, mandati, depositi, pro socio (id est contractus Societatis) tutelæ, commodati, pignoratitia, familiæ heriscundæ (id est, jus dividendæ facultatis inter hæredes) communi dividundo (id est, distributio communium bonorum in eos, in quos dividi debent) præscriptis verbis, quæ de æstimatione proponitur (id est, quando alicui datur res, ut eius æstimationem, seu pretium reddat) & ea, quæ ex permutatione competit, & hereditatis petitio. Hactenus Imperator Iustinianus.

a §. *Act. ex Instit. de actionibus.*

3. Contractus stricti juris, sunt cæteri contractus, præter prædictos, ut emphyteusis, contractus feudalibus, &c. sic enim habet b Glossa summaria & ordinaria ibi: quæcumque actionem hic enumeratam non invenieris, stricti juris iudicatio.

b *Apud Onnante t. 1. de contract. tr. 1. d. 2. sec. 2. n. 115.*

4. Ratio hujus divisionis, quæ rem totam alioqui obscuram, tibi planam faciet, est, quia illi contractus, quos ve-

camus bonæ fidei solent esse frequenter inter ciues; unde contrahentes non solent ponere multas condiciones, quas alioqui ponere possent, cum se remittant ad usum, consuetudines, & leges patrias, in dictis communibus contractionibus intelligi solitas. Secundum has igitur bonus Iudex iudicare debet, quamvis in eo contractu explicitæ condiciones intelligi solitæ non adsint. At alij contractus stricti juris, quia non solent esse tam frequentes, & quia contrahentes in ijs consuevere omnes particulares condiciones apponere; ideo secundum præscripta verba contractus, strictè Iudex in illis iudicare debet.

Differunt hi contractus præcipuè in eo, quod dolus dans causam contractui stricti juris (quia scilicet alter non fuisset contractum celebraturus, nisi dolus intervenisset) in multorum sententia non reddit ipsum contractum ipso jure nullum, sed solum erit rescindendus: at dolus quicumque, siue cadens in substantiam rei, siue in accidentia, dans causam contractui bonæ fidei, est ipso jure nullus, ut inferius distinctè d explicabimus.

c *l. Delugot. 2. de just. d. 22. sec. 6. à n. 70. d. Infr. c. 7. §. 11. à n. 11.*

Operæ pretium est item, hic non ignorare, sponsalia numerari à Sanchez e inter contractus bonæ fidei; unde sequitur, esse nulla, nec per illa nasci impedimentum publicæ honestatis, si illis dolus causam dedit; sanè probabiliter f. Matrimonium item supponitur à Molina, esse contractus bonæ fidei; unde sequi deberet, esse item nullum, si dolus det causam contractui.

B b b

contractui.

contractui ; tamen propter rationes proprias matrimonij , solum si dolus cadat in personam , vel in personæ libertatem erit nullum secus , erit validum , ut nos g alibi explicuimus , & docent communiter Doctores.

e *Sanch. apud Fag. de contr. l. 1. c. 1. n. 9. f Fag. ib. ff Mol. t. 2. d. 352. §. Illud est observandum. g lib. 3. §. 5. n. 26.*

Tertia divisio in contractum seu pactum nudum & vestitum.

Nudum est , in quo intervenit conventio partium , & ad nihil aliud est processum ; vestitum , cum est processum ad aliquid. Proceditur autem , seu vestitur pactum quinque modis : primo re ipsa , ut , si ex altera parte incipiat adimpleri : secundo verbis , ut si accedat forma stipulationis , quæ olim fieri consuevit per conceptam verborum formulam , v. g. spondes dare centum ? & alter respondebat , spondeo : tertio scriptura : quarto juramento : quinto , si integrè re ipsa contractus perficiatur : quale esse solet mutuum , commodatum , pignus , depositum , quæ jam perfecta sunt , cum res ipsa traditur. Si sit promissio ex vna parte tantum , atque adeo non acceptata , non dicitur pactum , ne nudum quidem , quia pactum debet esse contractus , atque adeo saltem duorum.

7. Adverte primò , ex pacto nudo non oriri regulariter civilem obligationem , ac proinde ratione pacti nudi in foro externo non dari actionem contra alterum : ex vestito oriri , & actio-

nem dari. Dixi (regulariter) nam promissioni dotis , promissioni solutionis debiti alterius , ac donationi , etiam quando nudi sunt contractus , conceditur ex specialibus h juribus actio. At in foro conscientie semper vrget obligatio , quando hæc vere adest , juxta dicta §. 1. à nu. 3. quia sic jam adest sufficiens consensus utriusque partis , ut supponimus.

h *l. Mol. de citr. d. 255.*

8. Adverte secundo. Aliquos esse contractus , qui sunt validi , solo consensu exterius legitime utrinque explicato , ut est venditio , emptio , Matrimonium , Sponsalia , &c. Ex quo ultimo colligo , simplicem promissionem gratuitam , & non onerosam (hos terminos mox explicabo numero sequenti) etiam acceptatam , quam v. g. facis , donandi , vel vendendi aliquid alicui , nisi accedat scriptura stipulatio , vel juramentum , ad nihil nunc obligare. Ratio est , quia jam ex communi hodie consuetudine per solam promissionem nullus se obligare intendit , vel putat , nisi alia maior explicatio accedat. Vnde Sà , sic habet : vix autem quis promittentium obligari intendit , nisi juret , aut faciat instrumentum.

i *Sà, v. promiss. n. 1.*

Quarta divisio in contractum onerosum & lucrativum.

9. Onerosus , qui dicitur etiam non gratuitus , utrinque obligat ; nam propterea est proprie contractus. Eiusmodi est permutatio , venditio , emptio &c.

ptio &c. interuenit autem in his pretium, vel compensatiō. Lucrativus, qui dicitur etiam gratuitus, vel gratiosus, non obligat, nisi ex vna parte, ut promissio liberalis, donatio item liberalis, mutuū, depositum &c. Si enim tu mihi rem aliquam donas, ego non obligor illam recipere &c. Maxime verò notandum est discrimen illud inter eiusmodi contractus. Nam onerosus non perficitur, nisi acceptetur ex vtraque parte, & vtrique intinetur, seu fit nota reciproca acceptatio, cum in gratioso satis sit, si solum acceptetur ab vtraque, non vero sit necesse, ut vtrique mutua acceptatio intinetur. Explico exemplis: mittat Antonius epistolam, immo, & scripturam publicam ex Notario, per quam offerat seu vendat Petro suum prædium, vel equum mille v. g. vel centum aureis, & Petrus acceptet, etiam per Notarium publicum: dico, hunc contractum, quia est onerosus, non esse perfectum, atque adeo posse vtrumque, id est, Antonium & Petrum ab eo rescire, donec eiusmodi Petri acceptatio intinetur Antonio, vel ejus legitimo procuratori, vel saltem donec ipse equus, v. g. mittatur Petro, & ab ipso recipiatur; nam tunc equus jam acceptatus ponitur in dominio Petri, & ex alia parte trahit secum onus, ut solvatur omnino eius pretium; unde amplius rescire à contractu neuter poterit; at vero mittat similem scripturam idem Antonius, per quam promittat, vel donet eidem Petro equum v. g. & Petrus acceptet; dico, hanc promissionem, quando juxta dicta n. 8. jam obligat, ut etiam donationem li-

beralem, quia sunt contractus gratuiti esse perfectos, atque adeo non superesse locum pœnitendi, quamvis nondum acceptatio Petri nota sit Antonio, vel ejus procuratori, cuius discriminis vltior ratio est, quia in oneroso vtrique est obligatio, & in vtroque est jus exigendi, ergo vtrique nota esse debet acceptatio: at in gratuito, cum obligatio solum fit ex parte donantis, seu promittentis, satis est, si hæc nota fit ipsi donatario, seu promissario, qui solum acquirit jus ad rem promissam, seu donatam exigendam lege hæc fult apud citatos; apud quos vide etiam alias divisiones contractuum minus necessarias.

1 Delug. t. 2. de just. dif. 1. sec. 1. a num. 26.

§. III.

Regula generalis de restitutione ex prædictis contractibus in vniuersum.

IS. qui contractum, vel quasi contractum cum altero legitime initea debet (nisi idonea accedat excusatio) restituere, seu ut magis proprie loquamur, ea tradere, ad qua tradenda se obligauit. Vides, radicem hujus obligationis non esse aliam, nisi pactum, vel consensum, quibus voluit quis alteri se obligare? & in onerosis quidem ad id jus justitiæ vrgere, magis elucescit; quia non fieret æqualitas inter contrahentes, nisi traderetur, quod vtrinque conuentum est; apparet nihilominus, etiã in gratuitis, quia in his etiam (licet voluntariè) te

B b b 2

obliga-

obligasti, ut suppono; quare posita obligatione, jus alter acceptans aliquod tandē siue graue, siue leue iustitiæ jus contra te acquisiuit.

2. Hæc regula adeo vniuersalis insufficientis est pro praxi. Explorandum enim est, an simpliciter se quis obligauerit? an legitime? an sub obligatione graui, vel leui? an adsit excusatio, & sexcenta similia, quæ certè ex dictis, & ex dicendis in contractibus, in particulari saltem, magna ex parte nobis plana fient.

CAPVT SEPTIMVM.

De eadem quarta radice restitutionis ex contractu particularis venditionis, & emptionis.

1. **N**on omnes contractus explicandi à nobis suscipiuntur; sed enim nimis longum esset, & à nostro instituto alienum; seligo enim tantummodo vsu frequentiores, & ex quorum cognitione lux aliqua pro cæteris sufficienter haberi possit; erunt autem emptio, venditio, mutuum, & vsura.

§. I.

Quid sit emptio & venditio?

1. **E**st contractus bonæ fidei, vltro citroque obligatorius, qui perficitur absoluto consensu, re & certo pretio, & quidem voluntariè. Intellige autem, re & pretio à te datis, vel certè dandis. Discurramus per singula verba,

Requiritur consensus, & quidem absolutus.

2. Dictum est primò, (qui perficitur consensu) hic enim contractus perficitur per solum mutuum consensum, verbis vel nutibus expressum, immo, & per literas, & per procuratorem, seu nuntium: perficitur, inquam, quoad substantiam; nam ceterum, quoad integritatem completam, seu quoad complementum, requiritur solutio pretij ex vna parte, & accepta possessio rei ex altera. Per venditionem enim non est necesse, ut transferatur dominium; satis enim est, ut talis venditio sit translatiua dominij, & venditor, ex vi venditionis factæ, remaneat obligatus ad transferendum. Eiusmodi autem possessio seu dominium rei venditæ transfertur in emptorem, non quidem quando fit ipsa substantia contractus venditionis per mutuum consensum, sed quando ei traditur res à venditore, & soluitur ab emptore pretium, seu habetur pro soluto, seu loco eius datur æquivalens, quale est pignus, vel fidejussor. Idè notauit per illud, (datis vel certè dandis) atque hinc fit, ut quamvis posita sit substantia venditionis, vnde & debeat gabella venditioni fortè imposta; (cui gabellario, dicam mox n. 5.) Si tamen possessio rei nondum est emptori data, res, si perit, pro venditore perit, ut pro eodem fructificat, quia adhuc est in eius dominio. Nam si possessio sit emptori data, quamvis nondum soluto pretio ipsi emptori fructificat, ipseque perit, si perit, præscindendo semper à pacto

pacto aliquo iusto in contrarium, quo contrahentes nolint ante pretium solutum transferri dominium, sed haberi pro locata, v. g. vel pro accepta in pignus &c.

a *Less. l. 8. c. 21. dub. 1. num. 7. alijque. aa Castrop, de just. con. d. 5. p. 26. alijque ib. c.*

3. Dictum est secundo, (absoluto consensu) si enim fuerit conditionalis, tunc perficietur contractus, quando fuerit adimpleta conditio. Atq; adverte, obligationem tunc retrotrahi v. g. que ad tempus initi contractus, perinde ac venditio & emptio ab initio fuissent absolute celebratae, idem cum eadem retrotractione, dic, quando requiritur ratihabitio alterius: est enim tunc venditio conditionata, in hunc sensum: *vendo tibi hoc praedium, si tuus pater ratum habuerit.* Quando autem in hoc casu, & cui debetur gabella venditioni imposita, dicam mox numero 5.

b *Mol. t. 2. d. 337. Less. l. c.*

Requiritur pretium determinatum.

4. Dictum est tertio, (pretio certo) nisi enim certum seu determinatum pretium constituatur, invalida erit venditio. Quare si quis dicat, *vendo tibi hanc vestem iusto pretio, vel quanti volueris, quanti judicaveris, quanti concordabimus, quanti judicaverit expertus* d: invalida erit venditio, quia certum pretium non constituitur. Contra, si ita venditio & emptio fiat, *emo à te hanc vestem, quanti tu emisisti, vel quanti emit ille, vel emo ea quantitate pecuniae,*

quae est in hac crumena, valida erit venditio, quia jam adest certum, ac determinatum pretium. Propter eandem rationem valet venditio, si dicas, emo hanc rem eo pretio, quo communiter haec res venduntur tali die, tali mense, talibus numeris; quod si in ijs diebus fuit varietas pretij, illud erit eligendum, quod majore parte illius temporis viguerit.

c *Mol. Less. l. c. l. Bald. in l. contractus n. 8. c. de fide instrumentorum. d hanc valere putat Angelus, v. emptio.*

Quid si aequae vigerit pretium, summum, medium, infimum? respondeo, rationabile esse sumi medium; sic enim neutra pars conqueri potest. Si quis ita dicat, *vendo, vel emo, quanti tertius ille decernet, designando illum tertium v. g. Petrum, licet partes retrocedere possint mutuo consensu, tamen contractus non erit validus, nisi quando Petrus pretium constituet: in hoc autem casu obligatio non retrotrahitur, quia haec non est venditio conditionata, cui conceditur illa retrotractio, sed solum est per alium determinandum pretium.*

Questio incidens pro Gabellarijs.

3. Inquires obiter, cuinam debetur in his venditionibus gabella, si forte ea sit venditioni imposita? respondeo, in illis, quibus adfuit indeterminatio pretij, non debetur gabellario, qui est, quando fit venditio, sed gabellario, qui est, quando determinatur pretium. Ratio est quia gabella imponitur venditioni: at ut modo diximus, tunc perficitur substantia venditionis

Bbb 3

tionis

tionis, quando ceteris jam positis determinatur pretium. Contra vero accidit, quando pretium est determinatum, sed venditio est conditionata: tunc enim (adveniente conditione) gabella debetur gabellario, qui fuit, quando facta est venditio, licet propter conditionem fuerit imperfecta. Ratio est, quia, ut dictum est modo, venditio conditionata retrahitur &c. lege Molinam *c*, qui excipit venditionem potestativam. Quando autem sit venditio, pretio jam statuto, sed res aut pretium dantur postea, debetur gabella gabellario, qui erat, quando fuit celebrata venditio, quia tunc perfectus fuit, ut numero 2. diximus, contractus, quoad substantiam. Quando denique supervenit gabella, semper pari modo videndum est tempus, in quo perfecta fuit venditio, siue in se, siue per retroactionem, & gabellario illius temporis erit gabella solvenda.

e Mol. t. 2. d. 337.

6. Gabellam impositam pro venditione, non intelligi impositam pro alio, quam vis simili contractu, mox n. sequenti dicam.

In venditione requiritur res & pretium.

7. Dictum est quarto (re, & pretio) nam si res detur pro re, merx pro merce, erit permutatio, non venditio; si pretium seu pecunia, pro pecunia, erit cambium. Id diligenter advertere oportet; nam, cum ij sint diversi essentialiter contractus, diversos parient effectus; v. g. posita est gabella

vendentibus merces, non ergo ea debetur permutantibus, nec cambiantibus. Quod si (ut accidit non raro) intercedat utrumque, ut si domum permutet cum pradio minoris valoris, & excessum solvas in pecunia, si pecunia sit minor pars pretij, erit permutatio, nec debetur gabella; si maior, erit venditio, & gabella debetur, quia accessorium sequitur principale. Quod si aequales sint, vel quasi aequales, tunc, cum partim sit venditio, partim permutatio, nec adsit ratio, cur una alteram in sui proprietatem trahat, pro rata venditionis, & non amplius, gabellam solvendam esse, fert sententia *f* probabilior. Si denique fiant duae venditiones, ut si domum vendas mihi pecunia credita, & deinde ego tibi pradium vendam, compensando pecuniam, quam tibi ex domo vendita debeo, duae erunt gabellae solvendae, & quidem altera gabellario, qui forte est tempore venditionis pradij, ut ex dictis constare poterit.

f Mol. t. 2. d. 336. n. 6.

Duorum casuum huc incidentium resolutio.

Primus casus.

De permutatione fructuum hortuli domus professe Societ. Iesu.

8. Ex praedicta essentiali differentia venditionis & permutationis, videamus, an solui duae quaestiones possint? prima sic proponitur. Domus professa Societatis Iesu nullis redditibus, nullis possessionibus frui potest. Quod

Quod si ei hortus aliquis, seu prædium conceditur, ita ei etiam domo separatum, conceditur, ut non vendatur eius olera vel fructus. Quidam ergo hortuli nostri Præfectus, cum sciret, sibi non licere sui agelli fructus vendere, id excogitavit, ut eo anno, quo vberes colligere fructus fertilitas dabat, illos traderet cuidam Domino opulentissimi prædij, ea lege, ut alios similes, vel dissimiles fructus domui nostræ daret, quando ijs ea indigeret. Quæsitum fuit, an contra Constitutiones sic delinqueret?

9. Profecto primo intuitu nequam delinquere existimaui, quia Constitutio nostra videtur, non quidem permutationem prohibere, quæ est contractus essentialiter, ut dictum est, diversus, sed venditionem. Verum re accurate perpensa, hortulanum violatæ Constitutionis reum pronuntiaui; ratio convincens fuit, quia Constitutio nostra, non solum prohibet venditionem, verum etiam quidquid, redituum loco, domui nostræ esse possit; at eiusmodi permutatio jam loco reditus esset, seu reditus utilitatem jam afferret. Verba Constitutionis hæc leguntur g: & tunc, huiusmodi ille locus sit, ut nec alij locetur, nec fructus, qui redituum loco esse possint, habeat. Declaratio ejusdem sic habet: huiusmodi essent, si vini, vel olei, vel tritici proventus dictæ possessiones ferrent, vel si fructus, vel olera ex hortis venderentur, quorum nihil habebit: quamvis fructibus aut parte ipsorum ad commodum domus suæ uti possint: ubi illud (venderentur)

non apponitur, quasi solum prohibeatur venditio propriè dicta, sed solum ponitur exempli gratia, ut notat illud (vel) confirmatur primò, quia prohibetur omnis proventus. Confirmatur secundò, quia eiusmodi declaratio paulo inferius concedens hortulano fortè seculari prædicti nostri hortuli aliquid ad suam utilitatem privatam, ipsum posse ex horto recipere, subdit: dummodo tunc, nec ad domos, nec ad particulares personas Societatis utilitas interim vlla perveniret. Nota illud (utilitas vlla) includit enim tum venditionem, tum permutationem, tum quodcumque aliud emolumentum præter usum quotidianum, quem declaratio jam concesserat ibi (ad commodum domus suæ uti possint.)

g *Const. Soc. l. p. 7. c. 2. n. 5. in fin.*

10. Si semel, aut iterum aliquo occurrente anno fertili eiusmodi permutatio fieret, posset alicui videri, non esse, saltem graviter, contra Constitutiones, tum quia apparere posset parvitas materiæ, tum quia Constitutiones annuum reditum, & veluti habitalem utilitatem prohibent, non vero contingens emolumentum. Atque id notare videntur ea verba (redituum loco, & proventuum) idemque videntur significare illa verba temporis imperfecti, ferrent, venderentur, pervenirent.

Delugo a negat, etiam pro vna vice eiusmodi permutationem. Probat primò, quia secus, posset aliquando ex vniis fortè copiosè aliquo anno collectis fieri vinum in usum domus professe, quod non licere, ne vnum quidem dolium, ostendit R. P. Mutius Vellefchi

telleſchi Generalis, qui dolium vnicum vini ex ſuperfluis huiusmodi vuis à procuratore bona fide habitum, juſſit totum pauperibus diſtribui.

a *Delugo 14. reſp. mor. lib. 4. dub. 10. nu. 17.*

Secundò, quia prohibita venditione intelligitur & prohibita permutatio; ut nos etiam ex Molina mox num. 12. dicemus in ſimili.

Tertiò, quia nobis permutatio manifeſtè videtur in declaratione Conſtitutionum prohiberi, ibi *b*: dummodo tunc nec ad perſonas particulares Societatis vtilitas interim vlla perveniret. At ex vnica permutatione jam aliqua perveniret vtilitas.

b *p. 6. c. 2. l. c.*

Verum hæc ſua ſolutione non carent. Nam ad primum reſponderi poſſet, aliud eſſe, loqui de rigore Conſtitutionis, aliud de perfectione. Laudo zelum R. P. Mutij, cuius exemplum imitari velim omnes: ſed, amice, dic, ſi hortulus noſter anno aliquo fertili producet plures ficus, nonnè licitè poſſent à nobis exiccata conſervari ad uſum? nonne vix pari modo ſuperflua poſſent, ut fit, domi reponi, & conſequentibus menſibus apponi ad menſam? concedit hoc declaratio, Conſtitutionis ibi *c*: quamvis fructibus aut parte ipſorum ad commodum domus ſuæ vti poſſint. Quid ergo? non poſſit vinum ex his vuis expreſſum conſervari? an quia eſt expreſſum, ideo fructus hortuli non eſt? an ex illo muſto ſapa poſſit concoqui, ut certe videtur poſſe, ad commodum domus, & non ex illo vinum fieri?

c *ibid.*

Neque dicas, in declaratione *d* ſic haberi: huiusmodi eſſet, ſi vini, vel olei, vel tritici proventum dictæ poſſeſſiones ferrent, vel ſi fructus & olea ex hortis venderentur, quorum nihil licebit.

d *ibid.*

Ne id dicas, inquam: nam ſolum prohibetur proventus vini, vel olei, ut paullo ante in Conſtitutione prohibiti fuerunt fructus, qui reddituum loco eſſe poſſint; quæ nomina, ut dixi, & ut periti *e* notant, non ſignificant vnicam forte occurrentem, eamque per accidens vtilitatem, ſed continuatam, & quaſi habitualem.

e *Nebriffenſis in vocabular. Iuriſv. Reditus, Reditus, inquit, appellatione omnes proventus continentur. Reditus dicitur à redeundo, quaſi ſint ſingulis annis redeuntes. Calepinus, v. provenio. Unde proventus, ait, id eſt, reditus. Et v. redeo. Reditus, inquit, ſignificat proventum, quod quot annis redeat (intrata.)*

Ad ſecundum, prohibita venditione, tunc intelligi prohibitam permutationem, ut modo dixi, quando idem eſt finis, & quando aliud non exprimitur: at in caſu noſtro non prohibetur, niſi id, quod proventum & redditum affert, non aliud. Inſtas. At cur venditio, etiam ſemel, eſt nobis illicita? reſpondeo, quia expreſſè & abſolutè interdicitur venditio: & merito, quia mercaturam & divitias maxime ſapit: at alia vtilitas non prohibetur, niſi quando affert proventum. Relege declarationem: ſi vini (*ait*) vel olei proventum ferret, vel fructus venderentur, quorum nihil licebit,

Notas?

Notas? de venditione absolute negat; absoluta autem negatio, cum sit malignantis naturæ, omnem venditionem, etiam vnicam negat: de vino oleoque non negat absolute, sed solum sub nomine proventus.

Ad tertium. Cum in hoc ultimo loco veluti per occasionem dicat declaratio; nec utilitas vlla perveniat, debet intelligi juxta ipsam Constitutionem, in qua per se lata est lex: at Constitutio clare dixerat, nec fructus, qui reddituum loco esse possint: & ejusdem Constitutionis declaratio dixerat, non licere proventum: ergo eodem modo in hoc ultimo loco, sunt intelligenda verba declarationis de utilitate veluti habituali, non vero de valde rara, & semel per accidens contingente.

Hæc potius dubitando, quam affirmando dicta sint satis. Nam ultimum iudicium fit, ut consulatur R. P. Noster Generalis.

Secundus casus.

De permutatione mercis, cujus venditio sit prohibita.

11. Secunda quaestio sic habet. In Sicilia adest rigorosa prohibitio summi Pontificis, in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub poena excommunicationis, lata sententiæ, contra Ecclesiasticos macchantes ea animantia, quæ ad colendam terram vsui sunt, boves, vaccas, vitulos vitulasque. Atque super hac tota re tres Delegati sunt constituti ab eodem Pontifice, Archiepiscopi Panormitanus, & Messanen-

sis, atque Episcopus Mazzarenfis. Porro procurator cuiusdam monasterij, obtinuit facultatem, ea occidendi in ejusdem monasterij vsu, ita tamen coarctavit Delegatus facultatem, ut si quid fortè carniū ipsis superfluum esset, non venderetur secularibus, sed Ecclesiasticis, idque sub eadem excommunicatione lata sententiæ, & in virtute sanctæ Obedientiæ. Is ergo procurator, ne ementes Ecclesiasticos quærere cogeretur, quod ipsi ex macchantibus carnibus supererat, dabat cuidam macellario seculari, ut is scilicet sequenti v. g. hebdomada redderet alteram tantum carniū quantum accepisset; sic fiebat, ut monasterio carnes non deficerent, & procurator contra formam concessionis eas nequaquam venderet. Legitimè id factum est? quid, si carnes commutasset pro alijs rebus, vino, frumento, vestibus &c.

f *Vrb. VIII. qua incipit, Regnum Siciliae ultra Pharum, data 1633. die 28. Apr.*

12. Profecto (præscindendo ab alijs legibus in contrarium, vel inconvenientijs, quæ facile hac in re esse possent) legitimum utrumque pronuntio. Ratio est, quia longè, ut diximus, diversa sunt, venditio & permutatio; cum ergo ea prohibitio sit odiosa, atque adeo restringenda, de propriè dicta venditione merito interpretamur; merito insuper, nam accepta pecunia carnes vendere, est, ipsissimam macellariam artem exercere, quod non est, modo dicto, commutare. Idem autem non diximus in præcedenti quaestione, si quidem ibi adfuit expressa

Ccc

expressa

expressa legislatoris dispositio in contrarium, quæ hic, ut suppono, non apparet. Neque item esset idem, si prohiberentur vendi nociua reip. v.g. pisces fatidi, herbæ venosæ, frumentum corruptum: hæc enim neque permutare tunc liceret, quia ex ipso fine prohibitionis clarè apparet, ac præsumi debet, eam comprehendere; vniversaliter quamcumque onerosam translationem in alium: & de hac præsumptione loquitur Molina l. dum ait, quoties res aliqua vendi prohibetur, censerit etiam, permutari prohibitam.

i Vide in simili Less. c. 27. d. 1. n. 4. & Delug. t. 2. d. 26. sec. 3. n. 21. l. Mol. t. 2. d. 396. n. 7.

Venditio voluntaria esse debet.

13. Dictum est quintò: (& quidem voluntariè) nemo enim potest cogi, vendere *mm* rem suam, quia quilibet voluntariè debet de re propria disponere.

mm Covarr. l. 3. var. c. 14. nu.

Excipe primò, tempore penurix; in hac enim potest quis à superiore cogi, ut vendat frumentum, aliaque necessaria ad victum vel vestitum; quando item Magistratus potest pretium iustum spectatis omnibus circumstantijs taxare, ac prohibere insuper, ne quis plus debito de rebus emat *m*.

m DD. communiter inc. 1. d. emp.

Quid, si ij, qui frumento v. g. abundant, sint Ecclesiastici, potueruntne à prophano magistratu compelli?

Respondeo, nequaquam: sed à suo iudice Ecclesiastico tunc cogantur.

Quid si hi requisiti negligent? vel eosdem requiri, propter distantiam, non concedatur? respondeo, poterit tunc potestas secularis, quantum moderatè fieri potest, cogere, non quidem ex vi jurisdictionis, qua nulla pollent in Ecclesiasticos, sed ob summam vel gravè necessitatem, sicuti vim vi repellendo potest o summus princeps coecere eodè Ecclesiasticos, quando eorū libertas nocet reipublicæ, nec remedium ab Ecclesiastico superiore impetrari potest.

n plures apud Dian. p. 1. tr. 2. ref. 8. o Mol. t. 1. d. 31. versu sexta conclusio. vide Dian. ibid. ref. 7.

14. Excipe secundo, quando quis publice res suas exponit venales; neque enim potest mihi iustum pretium solventi negare.

15. Excipe tertio, ratione publicæ necessitatis, vel utilitatis. Hinc si domus, vel prædium necessarium est ad ædificandam Ecclesiam, Hospitale, Monasterium, scholas publicas, palatium regium, viam publicam &c. cogi à principe potest Dominus, ut vendat, iusto tamen soluto pretio.

16. Excipe denique, quando nimis severe tractat Dominus servum, vel ad illicita servam cogit: item quando vnus ex Dominis consentit vendere servum communem duorum alicui, qui servum in libertatè vindicare velit. Hæc & similia vide apud Molinā p. p. Mol. tr. 2. disp. 34. n.

Rem emens aliena pecunia.

17. Dictum est sextò, in definitione emptionis (à te datis) id quod amplè intelligendum est: nam etiam em-

pta

pra pecunijs alienis transferuntur in dominium emptoris, quam vis, ut ex se certum est, non absoluat emptor ab onere restitutionis alienae pecuniae, & damnorum fortè sequentium. Non fiunt autem emptoris, quando pecuniae sunt Ecclesiae, militis, conjugis, denique pupilli, & minoris, respectu Tutoris & Curatoris; quae satis sit innuisse; vide Bonacinam q aliosque ab eodem citatos.

q. Bonac. de contr. d. 3. q. 2. p. 3. n. 29.

Arrham recipiens in venditione.

18. Dicitur est denique septimò, (datis vel dandis) intellige, siue integrè, siue tantummodo partim: non raro enim datur pars pretij in venditione, sed non in arrham, id quod pro diversis effectibus est diligenter advertendum. Explico clarius; quando duo de re vendenda conveniunt duplici modo contingit, dari partem aliquam pecuniae: primò, ut sit pars pretij ob venditionem jam factam, & tunc debetur quidem praefixo ab illis tempore complementum pretij; at quia perfecta fuit venditio, neuter potest resilire à contractu, debeturque gabella venditioni fortè imposita, & quidem illi gabellario, qui tunc gabellis praefit.

r Delug. t. 2. de jur. d. 16. sec. 1. n. 10.

Secundo modo, ut ea pecunia sit in signum faciendi postea venditionem, ea lege, ut qui dedit illam pecuniae partem, eam amittat, si contractum perficere renuat, renuere tamen possit; atque haec propriè dicitur arrha, quae datur in securitatem eius, qui

dubitat de alterius constantia. Gabella autem in hoc casu, postea, quando fiet contractus, debetur, & quidem gabellario, qui tunc existet, ut ex dictis patet.

19. Petes, haec arrba, quae datur in securitatem, debetne deinde, si perficitur venditio, computari in partem pretij, necne? respondeo, id dependet ex voluntate contrahentium. Certè in regionibus nostris in pretij partem computari consuevit, si tamen alia sit contrahentium voluntas, servanda est, modo ea pecuniae pars non excedat summum pretium justum rei venditae.

§. II.

Qua persona vendere & emere possunt?

1. **Q**ua ratione pupilli, minores a mariti, uxores b, Religiosi c, similesque vendere, vel emere, ceterosque contractus inire valeant; an item se ipsum quis vendere d, vel pater filium possit, vel Tutor & Curator emere e res pupilli & minoris, passim agitur apud Scriptores: nos autem omnia non admodum frequentia, & praecipuè jurisperitorum propria, persequi non debere, brevitatis monet.

a Mol. 2. t. de 267. & 1. t. d. 224.

b Sanch. l. t. de matr. de 3. per totam.

c Vide Delug. t. 2. d. 26. sec. 3. quoad exercendam negotiationem; quoad paupertatem lege eundem t. 1. d. 3. per totam d' Fagund. de contr. l. 2. c. 1. e. l. non licet & l. si in emptione §. ult. ff. de contr. empt.

C. c. 2.

Deve-

§. III.

De rebus quæ vendi vel emi possunt,

Hominis venditio.

1. **Q**ui Aethiopes & alios ejusmodi seruos emunt, quos in his nostris regionibus vendi contingit. tuti sunt in conscientia *a*; ratio est, quia quilibet venditor præsumitur bonus, & habere jus ad vendendum,

a Mol. t. 1. d. 38. late.

2. Dixi (in nostris regionibus) quia mercatores, quando in Aethiopia, vel alibi emunt, aliquando non excusantur *b* à peccato, & ab onere restitutionis, si non sunt moraliter certi, eos, quos emunt, esse vel primo, bello justo captos; vel secundo, natiuitate seruos, id est, natos ab ancilla serua; vel tertio, per justam sententiam ob delictum condemnatos ad perpetuo seruiendum; vel quarto, iusta emptione in seruitutem redactos; quæ sunt quatuor capita inducentia legitimam seruitutem.

b Fag. de contr. l. 2. à c. 2. fuse.

Venditio officiorum.

3. Non solum principes supremi, sed etiam quilibet princeps Regi subditus, Dux, Marchio &c. immo & Senatores, Ciuitatum prætores possunt *c* vendere officia secularia; officia, inquam, quæ absolutè ipsorum sunt, vel ipsis absolutè data; ratio est, quia quilibet potest vendere id, quod est pretio

estimabile, & suum est: notanter, secularia, dixi, quæ etiam sunt ea, quæ Episcopus, si forte sit marchio, absolutè dare potest; de ecclesiasticis enim officijs hic nihil agimus; pertinent enim ad tractationem de Simonia,

c S. T. opus. 21. ad Ducissam Brabantia, Azor. t. 2. l. 8. c. 7. q. 3. Vsq. opus. de benef. c. 2. §. 3. di. 14. Less. c. 32. dub. 4. Fagund. de contract. l. 5 c. 22. Delugo c. 2. de just. d. 34. sec. 3.

4. Sed qua ratione dignoscatur Rex, vel alij, officium esse absolutè sub suo dominio? respondeo, duobus signis; alterum, si absolutè de illis disponere solent, hoc est, absque obligatione reddendi rationem alteri superiori, de eorum collatione. Alterum, quando immemorabiliter antecessores sine alterius dependentia seu licentia solebant illa vendere. Confirmatur; nam quando Rex hæc officia ijs donat, quos scit, per se non esse obituros, ut foeminis, vel viris nobilibus sue aulae, probabile est, ex Azor, d. Regem tacitè facultatem concedere illa vendendi, seu cum pensionè in alios transferendi; ergo eodem modo, quando Rex, vel respublica absolutè concedit senatoribus, vel gubernatoribus, ea officia tradenda alijs, tacitè licentiam concedit, illa vendendi. Videant *e* tamen

Proreges, alijque, an ipsis expressè à Rege vel supremo principe sit vetitum; tunc enim nulla savebit vel consuetudo, vel alias collata licentia.

d Azor l. c. e apud Dianam p. 6. tr. 6. ref. 3.

5. Duotamen scopuli sunt omnino ca vendi: prior, ne immoderato pretio vendan-

vendantur, sed prudenti consilio, juxta emolumentum officij; secus, prater iniustitiam immoderati pretij, daretur etiam anfa officiali electo, exigendi à populis plus justo: posterior, ne indignis conferantur officia. Si enim non idoneus officialis à te creatus damnum faciat, siue particularibus, siue communitati, per sententias iniustas, per larcinia &c. tu obligaris ad restitutionem; & quidem non nego, illum, qui immediatè damnum intulit, esse prius obligandum, sed certè in eius defectum tu obligationem non effugies. Immo quando ipse electus bona fide credidit, se esse idoneum, & sine graui culpa, utpotè ignoranter, iniustas sententias protulit, vel quid simile, tu elector omnino restituere ee debes; quia ipse non peccauit culpa Theologica; peccasti tu, dum sciens, vel scire debens, indignum officialem elegisti.

ee *Delug. t. 2. d. 34. sec. 4. n. 49.*

Venditio electionis ad officium vel ad Legatum.

6. Illam difficultatem pertinentem ad iustitiam distributiuam huc reducamus, an scilicet Senatoribus, vel cuiuscumque, qui cum non sint Domini aliquorum officiorum, vel legati, vel pecunie, frumenti, panis, &c. curam tamen habent ea distribuendi ad suam electionem, an, inquam, integrum ijs sit, aliquid accipere ab illis, qui eliguntur, eo pretextu; quod cum Senator potuisset alium eligere, tamen hunc elegit? cum enim hæc electio sit pretio estimabilis, posse illam pretio compe-

tenti vendi aliquis existimabit.

Respondeo, esse diligenter distinguendum: vel enim sermo est de pecunia similibusque rebus temporalibus, quæ sint distribuenda ex voluntate Testatorum, Fundatorum, Prædecessorum &c. Vel de officijs, quæ à rep. vel Senatoribus debent ciuibus determinata conditionis conferri; & in vtroque casu Distributor, ut dictum est, nullum jus habet, nisi eligendi, non autem fit Dominus, siue officij, siue pecunie distribuendæ. De singulis separatim; nam quia Sanchez *f. ea non diuisit*, animos legentium non sedat eius doctrina.

f. Sanchez. l. 2. conf. c. 1. dub. 56. vid. etiam ib. d. 38. n. præsertim.

7. Affero primò: quando distribuenda est à te pecunia, vel quid æquivalens, non potes accipere quidpiam propter electionem vnus potius, quam alterius; si accipias, peccas, & accepta restituere teneris.

h Ratio convincens est, quia sic, re ipsa, non dares totam summam distribuendam, Si enim testator iussit, ut puellæ v. g. nubili darentur à te centum aurei, tu vero velles decem exigere ab illa, quia eam elegisti, jam non centum dares, sed nonaginta. Neque dicas, eam liberè dare; ne id dicas, inquam; nam satis involuntariè eam dare, præsumendum est: certè ita regulariter contingit, si pactum præcedat, ut fusè alibi. At vero si post acceptos numeratosque integros aureos, nullo præcedente pacto, sine ullo metu, aliquid ex grato animo verè & liberè tibi dare illa vellet, non repugno: sed, quando te, id quando erit?

Ccc 3

8. Affero

In Delugo *ibid.* nu. 56.

8. At secundò: quando distribuendum est officium, non potes licetè hunc potius eligere, quàm illum, quia ab hoc accepisti pretium; verum si proportionatum pretium accipias, ad restitutionem non teneris. Ratio est, quia quamvis tu obligeris, dare officium alicui, veluti in genere, non tamen obligaris, dari huic homini particulari; cum ergo hæc electio sit pretio æstimabilis, illam moderato pretio vendens, non facis contra justitiam, & ut suppono, neque reip. damnum infers, quia idoneum eligis.

In Delugo t. 2. de just. d. 34. sec. 3. n. 37. insinuat. *l. 2. c. 14. d. 17. n. 64.*

9. Dices: hæc ratio etiam probat, id non esse illicitum. Respondeo, saltem tunc esset mortaliter illicitum, quando adesset lex sub mortali obligans, ne electio fieret, nisi gratis, vel quando data esset tibi electio, ea lege, ut gratis, ac sine pretio exhiberes; sed neque in hoc casu obligeris ad restitutionem accepti (supponimus autem, à lege non invalidari donationem, sed solum prohiberi) quia non peccares contra justitiam commutativam, sed vel contra obedientiam, vel similem aliam virtutem. In eodem tamen casu, quo peccares mortaliter, adverto, si facta à te electio, pecuniaque recepta, adhuc esset res integra, ut res liri ab electione, & à sigillatione officij posset, te obligari sub mortali, ad rescindendam electionem, pecuniamque reddendam, & ad gratis de novo eligendum, ne scilicet peccatum mortale continuares;

nam si irrefcindibilis est electio, ad nullam restitutionem tenereris, quia tunc eiusmodi restitutio nec peccatum jam commissum, nec electionem irrevocabiliter jam factam impedire posset.

10. Vrges; adsunt leges prohibentes, quas ponit per extensum Sanchez; cur ergo dictum est (quando adesset lex?) respondeo, quia (ut rectè monet Delugo *m*) hæc leges solum loquantur de electione, quoad distribuendam pecuniam, vel quid æquivalens, non vero, quoad distribuenda prædicta officia.

In Sanchez. *l. 2. conf. cap. 1. dub. 56. m. Delugo t. 2. de just. d. 34. sec. 4. n. 35.*

11. Anno superiore delegati sunt à prorege per hoc regnum nonnulli viri nobiles, qui conferrent, seu describerent numerum animarum, seu capitum Regni, eorumque divitias, concessaque iisdem est facultas asciscendi sibi aliquos ministros, quibus solveretur stipendium sui laboris, nempe vnus aureus vel quid simile, pro quo libet die. Quidam ex his nobilibus, quandoquidem ei concedebatur, hunc ministrum potius eligere posse, quàm illum, quaesivit à me, an ipsi liceret exigere pecuniam ab eo eligendo, ita ut dimidium aureum pro singulis diebus ipse sumeret, dimidium minister?

12. Respondi, nequaquam licere, sub pœna restitutionis: rationem duxi ex hætenus allata doctrina: nam eiusmodi electio ad officium, seu ministerium relatum ad illam determinatam pecuniam à Prorege taxatam, non est concessa absolutè viro illi nobili, sed sub ea conditione, ut minister lucraretur.

eraretur integrum aureum; quare hæc electio reducitur ad priorem illam distributionem pecuniæ integrè dandam electis, dictam n. 7. Atq; advertit eodem peccato contra justitiam peccatum eundem nobilem virum, si ab initio acciperet aliquod pretium pro ejusmodi electione: nam tunc re vera tota merces illi ministro justè à Prorege attributa, nequaquam daretur; partem enim ejus sibi vir ille nobilis jam anticipatè seponeret.

Venditio sententiæ probabilis.

73. Occurrit hic non absimilis difficultas in judice. Supponamus, probabilem esse eam opinionem, de qua latè dixi superius, n. licere Iudici, ex duabus opinionibus æquè probabilibus vnâ eligere, & juxta illam proferre sententiã. Jam inquiri, licitè, & justè accipiet Iudex pecuniam, ut potius illam eligat, quæ mihi favet, quàm illam, quæ meo adversario?

n. l. 1. c. 3. quam præter ibi cit. sequitur Dicast. l. 2. de just. tr. 2. d. 5. dub. 7. r. n. 280

Respondeo, cum illam sententiam improbabilem ego judicaverim, & pluribus reprobaverim ibidem, consequenter assero, locum hic non habere quæstionem hanc, eam tamè legat, qui velit, apud Lessium, o Valentia p, alios.

o Less. l. 1. c. 14. d. 9. n. 64. Val. 2. 2. q. 63. ar. 4. Salon. 2. 2. q. 62. art. 4. cont. 2. ac probabile judicat Fag. l. 8. in 8. p. Decal. præc. c. 26. n. 34. licet probabilius putet oppositum.

Venditio omnium bonorum.

14. Potest quispiam vendere q om-

nia bona sua, tam præsentia, quam futura: qui tamen dicit, se vendere omnia bona sua (nisi aliud ex verbo colligatur) censetur vendere solum præsentia, & non futura, quia venditio est odiosa, adeoque restringenda: idem dic de donatione omnium rr, si quando est valida.

q Barr. in l. stipulatio. ff. de verb. signif. n. 6. & commun. r. Mol. t. 2. d. 340. rr Mol. ib. & dub. 280.

15. Dices, donatio omnium bonorum præsentium & futurorum, non est s. valida (nisi fortè titulo oneroso, ut si donatio fiat filia, ut matrimonium contrahat, quo etiam reducitur renuntiatio volentis profiteri vitam religiosam) ergo nec venditio; respondeo, esse disparem rationem; per donationem enim adeo vniuersalem homo fit intestabilis, à quo leges ciuiles t. abhorrent; at per venditionem non item, quia potest testari de pretio.

s Covarr. in Rub. de testam. alijq. passim. t. l. Less. l. 2. c. 18. dub. 13. num. 93.

Venditio hereditatis.

16. Præterea potest hæres vendere totam hereditatem, vel eius partem, monito tamen illo, cui in hereditate succedit: at eo viuente, venditio est nulla cum sit contra bonos mores; et timetur enim, ne omnes illius mortem intendent. Addunt u leges, si ad hunc ementem postea deferretur hereditas, eam ab ipso esse tollendam, & applicandam fisco. Excipe primò x, quando consentit Dominus hereditatis;

ditatis; nam consentienti non fit iniuria. Excipe secundo γ , quando quis vendit hæreditatem veluti in genere, quam v. g. habiturus est, non indicando siue expresse, siue tacite personam, cui est succedendum: siquidem ex hac venditione non potest timeri mortis machinatio,

ut l. 1. ff. de hæred. u l. 2. fin. ff. de ijs quib. indignis. x Mol. d. 340. citat. z colligitur ex eodem ibidem, & sic intelligitur lex 3. §. cum specialiter, & §. illi, & lex si societatem universalem, ff. de Socio.

Venditio Debitorum.

17. Possunt a insuper vendi debita, & actiones (quo pretio dicam) infra b, quæ quis habet contra alium & tunc emptor non solum habebit actionem in rem debitam, verum etiam in pignus, & in fideiussorē.

a l. emptor. ff. de hæ. b infr. §. 8. a n. 1

Venditio rei litigiosa.

18. Præterea vendi e non potest, ut nec donari, res actu litigiosa, id est, super qua cum adversario lis tibi quomodocunque, etiam per primam citationem, pendet. Ratio est, quia sic posses vendere, vel donare poteris, quàm sit adversarius, in eius præjudicium; adsunt tamen casus, in quibus potest, ut si donaretur in dotem &c. quos vide apud Fagundez d, qui insuper notat duo: primò, teneri ejusmodi emptorem, vel donarium reddere rem litigiosam domino, etiam in conscientia, & ante sententiam, quia

venditio vel donatio est nulla. Secundo, non esse nullam, sed validam, si fiat, vel ex causa justa, vel autoritate iudicis.

c l. rag. de contract. l. 5. c. 24. ibiq. citat. d Fagund. ib.

19. Dixi (actu litigiosa) nam ea, contra quam timetur, etiam de proximo, vendi potest, licet minoris, ut dicitur inferius; alias res, quæ vendi non possunt, vide apud Delugoe, legesque ab ipso citatas.

e Delugo t. 2. de just. d. 10. a num. 17.

Venditio eius, quod nondum est.

20. Quamvis, quod non existit, vendi non possit, quia nihil vendetur, tamen, si est in spe, potest, minori, vel maiori pretio, juxta maiorem minoremve probabilitatem futura existentiæ. Sic venduntur partus pecorum, ancillarumque, fructus arborum, jactus piscationis, vel venationis &c. & tunc profecto tenetur, qui vendit, diligentiam apponere moralem, ut ea existant, qualem in rebus adhiberet proprijs; secus, obligaretur ad restitutionem, quanti intererat emptori diligentia.

21. Vnum hic distingue. Nam quando venduntur fructus & partus, si nihil nascatur, emptor non tenetur solvere conventum pretium: at vero quando venditur jactus piscationis, vel venationis, tametsi nihil capiatur, tenetur emptor illud solvere. Ratio discriminis, præter jura f, est, quia in priore venditione (nisi aliud forte expresse conventum fuerit, quod raro solet)

folet) subintelligitur tacita conditio, si nascantur; in posteriore vero, non ita. Siquidem in priore semper supponitur, aliquid esse nasciturum, non vero idem supponitur in posteriore. Colligitur ex iisdem verbis contractus: nam in priore contractu dicis, te emere fructus & partus, id est, rem ipsam; at in posteriore dicis, te emere iactum, id est, spem ipsam præsentem, atque adeo non effectum iactus.

f. l. nec emptio, & l. emptorem §. ult. & l. si iactum, ff. de action. emp. l. nec emptio ff. de contrah. empr.

22. Quæres: in Sicilia regno adest lex, ne quis emat segetes nondum collectas, atque adeo, ne quis vendat frumentum in spe. Debetne ergo limitari pro nostris regionibus, præcedens allata doctrina? respondeo, nequaquam, quia lex non loquitur de vendentibus segetes, secundum spem futuræ messis, sed de vendentibus, ementibusque sub determinato pretio ipsum frumentum, antequam colligatur, quod est longè diversum, ut patebit ex ipsa lege, quam inferius h. examinabimus, cum de contractu Massarij & Mercatoris.

g. to. 1. Pragmat. Regni Sicilia, Tit. 61. prag. 4. h. Infr. §. 7. num. 10.

§. IV.

De pretio justo rerum.

PRæmitto, pretium justum duplex esse: alterum dicitur legitimum, quod publica auctoritate vel lege constituitur, idque in indivisibili consistit, ita ut non possit in ullo præteriti: alterum est naturale, seu

vulgare, seu arbitrarium, quod constituitur communi hominum æstimatione, spectata naturali ratione, secundum rerum naturas, non in se, sed in ordine ad usus humanos, juxta cujuscunque regionis consuetos mores: quod quidem triplex est: primo, summum, quod etiam appellatur maximum, supremum, rigorosum: secundum, medium seu mediocre seu moderatum: tertium, infimum: solet v. g. ulna panni ad summum valere triginta duobus Lulijs, erit ergo hoc pretium supremum; ad minus triginta vel viginti novem; erit hoc infimum: intermedium inter prædicta erit mediocre. Quantum debeat distare infimum vel medium à supremo, ut justum sit, certa regula definiri non potest, sed prout in foro, & communibus negotiationibus sine fraude apparet.

a. Less. l. c. c. 21. diff. 2. Mol. l. cit. diff. 347. Delugo d. 26. sec. 4. & 5. & passim.

2. Pari modo, ad juste decernenda ejusmodi pretia, debet b attendi hominum (etiam imprudentium) æstimatio, dummodo sit sine fraude, & communis, quanti scilicet res æstimantur, & venduntur communiter. Certè imprudentes sunt Indi, qui argentum & aurum vendunt, seu commutant vilibus tintinabulis & similibus crepundijs, & tamen, quia tanti communiter illa ibi æstimantur, non judicatur venditio vel emptio injusta.

b. l. pretia rerum, ff. ad l. falcid.

Quinque capita, unde crescant vel decre-
scant rerum pretia.

3. Ut autem id sine errore, cognoscatur.

Ddd

catur.

eatur, subdam hic breviter capita, unde res majoris, vel minoris aestimari consueverunt, quorum profecto notitia maximo erit usui, tum subditis in mercibus vendendis, tum Magistratibus in taxandis earumdem pretijs. Quando enim hi non taxant intra latitudinem pretij vulgaris, ut si taxa ab ipsis designata esset clare (nam in dubio, & pro Magistratu) supra supremum pretium vel infra infimum, erit *d*, (nisi in aliquibus raris & casibus obstaret bonum publicum) injusta, & etiam in conscientia non servanda. Hæc autem capita confusè satis, & sparsim ab authoribus approbata, ad quinque ordinatim reduco. Primum se tenet ex parte rei venditæ; secundum pretij; tertium ementium & vendentium; quartum ex parte seu ratione expensarum; quintum ex parte modi vendendi.

c Mol. l. 2. d. 364. §. conveniunt etiam. d Sanch. l. 1. conf. c. 7. dub. 5. late id probans. e l. omnino Delago t. 2. de just. d. 26. sec. 5. à num. 53.

Ex parte rei venditæ.

4. Primum ergo, quod se tenet ex parte rei venditæ, est abundantia, vel penuria mercium: hæc enim auget pretium, illa minuit. Huc reducitur novitas, & antiquitas rerum, quæ quia raritatem indicant, pretium augent, ut in fructibus novis, & imaginibus & statuis antiquis.

Ex parte pretij.

5. Secundum est ex parte pretij. A-

bundantia enim, vel inopia pecuniae minuit, vel auget rei valorem, ut patet in Indijs, ubi quia est multa argenti, atque copia, numerosiore pecunia, atque adeo carius res distrahuntur.

Ex parte emptorum, & venditorum, Vbi

An exteris carius possit vendi?

6. Tertium se tenet ex parte ementium & vendentium. Quando enim emptores frequentes sunt, carius merces venduntur, quàm quando sunt rari; & merito: accedentibus enim multis emptoribus inducitur rerum penuria; apparentibus paucis, persistit abundantia. Quando item multi sunt venditores, vilescunt merces, quia si sunt venditores multi, multa est, & abundans merx. Hinc pluris res venduntur in officinis, quàm cum venditores per vicos, & domos quærunt emptores; & pluris, quando merces appetuntur, quàm quando offeruntur, juxta illud proverbium teste Cajetano *f*, & approbante Lessio *g*, alijsque, *Merces ultroneas vilescunt pro tertia parte; Immo easdem ultroneas vilescere, usque ad medium, docent nonnulli h.*

f Caet. 2. 2. q. 77. art. 1. g Less. l. 2. c. 21. d. 4. n. 33. alijsq. apud ipsum. h Barthol. à S. Faust. Rebel. Megala apud Dian. p. 1. tr. 8. ref. 23. 53. 78. Adde Palatium mox referendum.

7. Hinc propter eamdem rationem, qui emit in gratiam venditoris, v. g. rogatus, potest emere minoris; & qui vendit in gratiam emptoris, potest vendere pluris. Sanè Palatius dixit, pallium, quod in officinis valet quatuor aureis, posse

posse à te emi duobus, si rogaris: & De-
lugo / Palatium refert, nec tamen refel-
lit. Ioannes item la Crux, potest quis
» (ait) emere censum jam impositum
» minori pretio taxæ, solum quia ro-
» gatur; subdit Diana m: Poterit igitur
» pro censu imposito ad rationem
» quinque pro centenario, dare tantum
» uncias octuaginta, rogatus tamen
» enixè.

i Palatius, v. emptio. 1 Delug. t. 2. de
just. d. 26. sec. 4. n. 44. m Dian. l. c.

8. Hinc denique respondetur ad il-
lam dubitationem, an exteris possit a-
liquando vendi? utique posse *mm* col-
ligitur ex dictis, quia per adventum
multorum exterorum, v. g. in appul-
su triremium regiarum, crescit multi-
tudo ementium, atque adeo augentur
pretia rerum; venditor ergo his exteris
vendere poterit hoc iusto supremo pre-
tio, civibus autem ex liberalitate illud
remittere contentus modico, quod
vigeat antea. Quid si exteri sint in-
frequentes, ita ut non pariant augmen-
tum pretij? respondeo, tunc non posse
exteris supra supremum vulgare res
vendi: ratio est, quia si supponis pre-
tium vulgare persistere, injuria ipsis
fieret, si illud pro ipsis non servaretur.
Idem dic, quando advenientibus mul-
tis exteris consueret item multa copia
merciū: nam tunc quod crescit ex una
parte, decrescit ex alia.

mm l. Mol. d. 346. Less. l. c. dub. 4. nu.
30. Fag. de contr. l. 5. c. 27. n. 14.

9. Non abfimili modo sentiendum
de principe, seu magistratu in taxando
pretio pro iisdem exteris: solum enim
illi concedo, ut possit augere pretium
pro omnibus, etiam incolis, advenien-

tibus multis, propter rationem dictam,
non autem advenientibus paucis. Et
illud item non puto *n* improbabile,
posse principem statuere, ut pro exteris
res vendantur supremo vulgari pretio,
pro civibus medio: aliquid enim con-
cedendum videtur civibus, qui oneri-
bus propriæ civitatis perpetuo subsunt;
at ut iisdem exteris vendantur supra
omne iustum pretium; nullo modo
puto probabile, quia pretium supra su-
preum, injustum clarè est.

n Colligitur ex Mol. Less. Fagund.

An iisdem exteris possit concedi, ut
suas merces carius vendant, dicam in-
fra §. 5. n. 1.

Ex parte seu ratione expensarum &c.

10. Quartum caput se tenet ex parte
expensarum &c. Pericula enim, & dama-
na, & expensæ venditorum communi-
ter occurrentia, in quarendis transpor-
tandis, conservandis mercibus, earum
pretium augent: contra, facilitas, secu-
ritas &c. minuunt.

11. Dixi (communitè occurrentia)
nam ex eo, quod peculiaris mercator
multum de suis mercibus perditis, v. g.
ob furtum, ob naufragium, ob quid si-
mile à se passum, non augetur legitime
pro ipso pretium, quasi ob id possit
vendere carius. Ratio est, quia res tanti
valet, quanti per se æstimatur commu-
niter, non autem o, quanti tibi ob in-
fortunium, vel imprudentiam valet.
Quod si naufragium, v. g. vel fuit com-
mune multis mercatoribus, vel fuit ta-
le, ut induceret penuriam merciū,
tunc profecto crescet sine dubitatione
pretium, sed non ob unius mercatoris
causam, ut ex se patet.

o Salus d. 39.

Ddd 2

12. Huc

12. Huc spectat, quando res pluris venduntur apud unum artificem insignem, vel mercatorem, quam non ejus generis; nobilitas enim venditoris aliquando nobilitat mercem, sicuti nobilitas artificis artificium, quia supponitur, nobiliores mercatores atque artifices magis laborasse in advehendis mercibus, & in artefactis efformandis.

13. Huc etiam reducitur licentia, qua mercatores possunt vendere aliquanto carius, ex ipso officio mercandi. cum enim hi assidue laborent, expensasque faciant circa merces, unde cogantur alias lucrandi occasiones relinquere, atque negotia alia posthabere, idque in commodum Reip., cujus interest habere mercatores ex officio congruum est, ut hæc licentia ijs concedatur in pretio vulgari: nam si adest legitimum, non potest supra hoc mercator vendere, quia in taxatione legitimi, jam haberi solet ratio officij mercatoris. Puto autem q. eum, qui non est mercator ex officio, posse aliquando ex consequenti vendere pretio, quo ex officio vendunt mercatores, quia posito, quod mercatores ita vendunt, ejusmodi pretium jam fit vulgare in civitate.

p *Less. li. 2. c. 21. no. 4. Salas de empt. d. 29. num. 1. q. Less. l. c. n. 29.*

Ex parte modi vendendi.

14. Quintum caput se tenet ex parte modi vendendi. Vendere enim v.g. ut dicitur, ad minutum, cum habeat plus difficultatis & minus utilitatis, regulariter auget pretium; vendere autem ad magnam quantitatem, propter rationes contrarias, diminuit. Vendere item

per licitationem sub hasta, huc facit, de qua mox separatim n. 23.

15. Dixi (regulariter) nam tum in censibus, præsertim novis, tum quando taxa est constituta in gratiam venditorum, quod raro fit, hoc non habere locum, monet Lessius r.

r *Less. l. 2. c. 21. c. 4. n. 34.*

16. Vendere anticipato, vendere cum pacto retrovendendi, & quædam alia huc pertinentia, quia particularibus sciant difficultatibus, sigillatim de illis inferius est tractandum.

Necessitas & utilitas mercis quomodo augeant pretium?

17. Porro ex dictis colligi potest, qua ratione intelligendum sit, ex illis duabus causis, necessitate & utilitate, augeri rerum pretia. Nam distinguendum est. Vel enim necessitas & utilitas mercium est communis, & tunc auget, ut dictum est, pretium, quia tunc erunt plures ementes &c. Vel est solum emptoris, & tunc non auget pretium; ratio à posteriori est, quia sic posses esuriens, præ fame periclitanti, vendere centum aureis unicum panem; ratio vero à priori, quam tradit S. Thomas, quem omnes sequuntur, est, quia nullus potest vendere, quod suum non est: at utilitas ementis, non est ulla ratione venditoris. Vel denique necessitas & utilitas est ex parte venditoris, quia mirum venditori res vendenda necessaria est, utilis, commoda, & tamen illam vendit, in gratiam emptoris, & tunc potest venditor augere pretium; priuatio enim hujus commoditatis immo & justæ oblectationis, est veluti

luti lucrum cessans, & damnum emergens ipsi venditori: communis enim est doctrina *t*, infra mox tradenda, quando aliquid vendis, in gratiam emptoris, modo illi cum veritate significes, tibi ex ea venditione tantum lucri vere cessare, vel tantum damni confurgere, te posse ejusmodi lucrum damnumque pretio compensare.

s. S. Th. 2. 2. q. 27. art. 1. Molin. Roderic. Sor. Navar. Less. quos citat Barth. à S. Faust. in Speculo Conf. d. 6. q. 7. t. apud Less. l. c. à n. 26. Salas dub. 3. num. 2. Mol. d. 352. §. ut u autem.

Quo pretio res emenda vel vendenda?

18. His præmissis, regula generalis est hujusmodi. Quando adest taxa principis, illa debet sub pena restitutionis observari, quæ, cum ut dixi, consistat in indivisibili, non habet mediū, summum, infimum. Quando vero ea taxa non adest, tunc servandum est pretium vulgare, quod quia habet tres illos gradus, licitum est cuilibet, quem velit, in vendendo, eligere. Atque in hoc nõ raro innititur lucrum justè negotiantium; emunt enim infimo pretio, vendunt supremo.

19. Circa hanc regulam habet tres sive exceptiones, sive declarationes. Primò enim, si post dictam taxam mutantur circumstantiæ, ut si appareat abundantia, vel superveniat sterilitas, taxa statim evadit injusta; quare non erit ordinariè servanda.

u. Sanch. l. 1. conf. c. 7. dub. 5. latè probans.

Dixi (ordinariè) propter quosdam

raros casus, quando meta ponitur in gratiam venditorum, ut in censibus; vide Lessium *x*, & Salas *a*. Rursus si princeps sciat, & patiat, populum non vendere, juxta taxam, sed pretio vulgari, tunc tacitè videtur consentire: idque, etiam si unum *b* vel alterum puniat, cæteris dissimulatis: nam unius castigatio videtur facta ad experendum, an alij taxæ legem acceptent? Denique si res tua notabiliter (nam parum pro nihilo reputatur) sit melior, vel notabiliter sit pejor, quàm res, quæ communiter in foro venduntur, pluris potes, vel minoris debes vendere, quia taxa semper intelligitur de rebus ordinariæ bonitatis. Si pretium rerum in foro augeatur, ex malitia aliquorum, vide infra, cum de Monopolio.

x. Less. l. c. dub. 2. nu. 13. a. Salas du. 6. b. Fag. d. contr. lib. 5. c. 37. n. 6.

Merces extraordinaria quanti?

20. Secundò, res, quæ non habent communem usum, ut gemmæ, canes, falcones, picturæ, statuæ, cantus, saltatio, usus mulieris, interesse comedij &c. licet probabile sit, & securius, ut aliqui *c* sentiunt, non posse vendi, quanti potes, quia pretia debent commensurari valori rationabili rerum, tamen est etiam probabile, posse *d*, quia res (ait Toletus) quæ non habent pretium constitutum, nec à principe, nec ab usu fori, habent valorem ex mera voluntate ementis, & vendentis, juxta illud, *Vnusquisque in rebus suis est moderator & arbiter*: Vel quia, cum in his nulla necessitas (ait Valentia & Sà) cogat emptorem, judicatur donare

D d d 3

vendi-

venditori liberaliter excessum supra pretium vulgare. Ad illud quod opponit Delugo *e*, ex secunda hac sententia sequi, simiam vel catulum posse licite vendi pretio unius regni, facile respondetur, vel concedendo sequelam: sicut enim is potest renunciare, seu donare regnum alteri liberaliter, si suum omnino est, ut supponimus, sic poterit dare pro catulo, quod minus est; vel respondetur, nos loqui de venditionibus communiter & moraliter occurrentibus, quæ nunquam tantam afferunt distantiam pretij à re.

e Delug. d. 26. de just. sec. 4. n. 47.

Merces nunc cariores, mox futura viles, & contra, quanti?

21. Tertio: qui scit, res intra paucos dies, etiam unum, minoris valituras, potest sine iniustitia hodie, pretio currenti majori, vendere. Et qui scit, pluris valituras, potest hodie, currente minore pretio, emere; ratio est, quia tanti justè res venditur, & emitur, quanti tunc valet, nec scientia debet scienti obesse. Excipe primò, nisi si quis sit ex consiliarijs, vel sit princeps, qui taxam futuram præsciunt: hi enim ex officio tenentur dare operam, ut ex suis legibus, quantum fieri potest, unus plus alio non gravetur: & nisi (addit Lessius *g*) muneribus consiliarium tu corrumpas, ut tibi futuram metam reveler. Sed certè, etiam consiliarium seu principem posse suas merces præsentis pretio vendere, docet Delugo *h*, quando non differt ex industria promulga-

tionem legis, ut ipse carius vendat, Excipe secundo, nisi fraudibus utaris, ut si sciens superventuram abundantiam, vel librum prohibendum, spargas per amicos, fore penuriam, vel librum non fore prohibendum. Ratio hujus exceptionis est, quia quilibet jus habet, ne per fraudes decipiatur, nihil ergo dicas: & rogatus, dic, te nescire (cum æquivocatione) quia non teneris cum tuo damno veritatem hanc, quæ pertinet ad bonitatem vel vitium extrinsecum rei aperire.

f Mol. t. 2. d. 354. citans S. Th. aliofque, Fag. l. 5. de contr. e. 37. num. 10. Delugo t. 2. de just. d. 26. sec. 8. §. 2. qui num. 144. Idem putat de libro mox prohibendo, Castrop. de justit. comm. d. 5. p. 15. g. Less. l. c. dub. 5. h Delugo t. 2. de just. d. 26. sec. 8. §. 2. à num. 139. i Less. loc. cit.

12. Dixi (sine iniustitia) addo nunc, (& communiter sine peccato contra charitatem) quia potest quis rebus suis consulere, etiam si inde damnum aliquod proximo obveniat. Tunc ergo solum erit contra charitatem, quando multum est depauperandus proximus, atque à statu suo notabiliter dimovendus, quod est rarissimum.

i Less. ibid. num. 42.

In subhastatione quanti?

23. Quarto, in subhastatione (ut *Incanto*) tanti potest vendi res, vel emi, quantum sine fraude potes extorquere, etiam infra, vel supra dimidium, quo res extra subhastationem valeret.

Ratio

Ratio est triplex; vel quia merces ultroneæ vilescunt; vel quia hic modus vendendi rem exponit periculo utriusque fortunæ, lucrandi, vel perdendi, vel quia excessus iudicatur liberaliter donari, cum nulla necessitas cogat, hunc vendendi emendivè modum eligere. Adde quartò, quia justum pretium in eo modo vendendi, ex praxi omnium, etiam timoratorum n, est, quanti minoris emere, vel quanti majoris vendere potes.

m *Gordon. Villal. Molin. Bannes. alijque, quos citat sequiturque Diana p. 4. tr. 4. res. 12. n. Bonac. de contr. d. 3. q. 1. p. 4. num. 21. alios cit.*

24. Dixi (sine fraude) si enim emptor avertat, per vim vel fraudem, vel etiam per preces, alios offerentes; vel si venditor fictos offerentes supponat; vel tempus ineptum ad proclamationem, quando scilicet rara est ementium frequentia, eligit; vel quid simile; in iustitia committitur, & pretium erit restituendum, juxta probabile damnum, quod domino rei fit, ut ex se patet. Si quis roget amicos, ne supra certam summam offerant, ut ipse emere possit pretio infimo justo (quanti scilicet res infimo pretio sine iniustitia valet) concedunt plerique o; Immo Caramuel p etiam pretio minore, quam sit infimum. Quod tamen ego nullo modo approbo, quia sic jam tolleretur substantia subhastationis, quæ sola dat licentiam vendendi, quanti potes. sincerè & sine fuce & fallacia.

o *Multi apud Dianam p. 1. tr. de contr. res. 76. p. Caram. l. 2. Tb. mor. num. 1.*

§. V.

Casus aliquot speciales circa verum pretia.

Primò dubitari potest, an exteris, in quibusdam casibus concedi à principe a possit, ut ipsi pluris vendant, quam vendant incolæ? Præterea, an incolæ, quod pluris sic emerunt ab exteris, pluris etiam & ipsi vendere b queant? denique si in una civitate res sit carior, quam in alia, possumne c ego in hanc adducere rem meam, v. g. frumentum, & ibi carius vendere? respondeo, affirmativè.

a *Delugo t. 2. de just. d. 26. sect. 5. n. 62.*

b *Idem num. 71. & 72. c Idem nu. 73.*

2. Secundò: an res, v. g. frumentum d possim justo pretio vendere, cogendo insuper emptorem, ut emat ipse aliquid, v. g. oleum à me? respondeo, negativè.

d *Idem num. 64.*

3. Tertio: an merces longè præstantiores possint e vendi aliquanto pluris ultra taxam legitimam? rursus, an possint f separari v. g. fructus longè meliores, & vendi pari modo ultra taxam, vendendo ceteros juxta taxam, si ceteri remanent æque boni, atque illi, qui venduntur communiter? respondeo, affirmativè.

e *Idem n. 64. f Idem n. 66. quod negat Diana p. 1. tr. de contr. n. 35.*

Nota tamen illud (longè) & illud (remanent æque boni: nam hinc damnabis macellarios, qui danti majus pretium meliores carnes partiuntur, ossa vero porrigunt alijs: debent enim æqualiter miscere carnes eum proportionata

tionata

tionata parte oſis ; vel quò deteriores dant, eo viliori pretio debent eſſe contenti.

4. Quartò, an immiſceri aliquid poſſit rei extraordinariæ bonitatis, & conflatum ſic redditũ æquale cæteris, taxato pretiò vendi, ut frumentum electum mixtum hordeo, vinum generoſum mixtum aqua ? reſpondeo, concederem id aliquando frumento, vix unquam vino g.

g Idem à num. 67. & præſert. nu. 69. lege Bonac. d. 3. de contract. q. 2. p. 6. n. 17. & Leſſ. c. 21. d. 11. Mol. t. 2. d. 353. nu. 33. Dian. p. 1. tr. 8. reſ. 51. & reſ. 80.

5. Quintò, Eccleſiaſtici tenentur ne res ſuas vendere, ſecundùm taxam à Magiſtratu ſæculari præſcriptam ? reſpondeo, affirmativè h.

h Idem Delugo num. 77.

6. Sextò, quandonam mortaliter peccatur, excedendo legitimam taxam, ſi taxa in raro caſu juxta ſupra dicta eſt poſita infra pretium infimum ? reſpondeo, quando notabiliter i aggravantur pauperes vel communitas.

i Idem num. 78.

Hæc quia breviter & perſpicuè tractantur à doctoribus, ſuis locis, nec aliquid mihi ſe offert, quod addam de novo, ſic innuiſſe ſufficiat.

Occaſione prædictorum decernitur, cuinam reſtituendus exceſſus pretij, immediatè damniſicato, an damniſicato mediatè ?

7. Septimò ; ſi Titius frumentum piſtori, v. g. vendidit ſupra taxam, quia piſtor ſupra taxam idem populo vendidit, cuinam exceſſus pretij reſtituen-

duſ eſt à Titio, piſtorine, an populo ? reſpondeo, populo l. Poſſe piſtori in ſimili, immo debere, docet P. Franciſcus m Bardi, qui quoddam argumentum in contrarium à me ipſi propoſitum ingenioſè ſolvere contendit, quod mox afferam num. 14. Porro hanc quæſtionem ſi clariùs evolvam, curioſo lectori non diſplicebit.

l Idem Delugo num. 76. cum Sanch. & Turr. ab eodem cit. m Bardi in ſelect. mor. lib. 1. q. 16. §. 2.

8. Pater ergo Bardi docet, prædictum Titium reddere debere exceſſum piſtori, non populo. Fundamentum ejus potiſſimum eſt, quia hic adſunt duæ venditiones, ambæ completæ : altera, qua Titius vendit piſtori : altera, qua piſtor populo vendit, & quidem utraque inſta eſt, atque una independentè ab alia, ut ſupponimus ; quare non eſt Titius cogendus, niſi ad reſtitutionem damni illati ex vi ſuæ venditionis factæ piſtori ; ipſe enim non eſt cauſa venditionis ſecundæ, factæ à piſtore ipſi populo : eſt enim mera occaſio, qua, ex mera ſua malitia, utitur piſtor ad faciendam inſtitiam contra populum ; ergo ſolum illi piſtori debet &c.

9. Confirmatur, quia Titius nihil debet populo, nec ex re accepta, nec ex inſta acceptione, nec ex damniſicatione : ipſe enim à piſtore iniquè accepit illud pretium, cui damnum intulit, non à populo : unde, cum ex nulla radice populo quid Titius debeat, nihil illi reſtituere obligabitur.

10. Verum ego adhuc in mea ſententia perſiſto. Fateor, eſſe duplicem venditionem metaphyſicè, immo realiter & phyſicè completam. Fateor, Ti-

rium

nam non esse causam iniustitiæ pistoris contra populum. Fateor, esse solum occasionem: sed ajo, moraliter & humano more reputari unam venditionem, atque adeo practicè adesse in Titio obligationem reddendi populo. Explico & probo.

11. Duo enim debes recolere. Primum, vinci aliquando à morali usu speculativum rigorem: sanè specularivè, immo & physicè, qui uno iracundiæ impetu multas blasphemias emittit, tot peccata numero distincta committit, quot blasphemias profert: neque enim una dependet ab alia: qui percussit clericum, decem v.g. percussionibus modico intervallo continuatis, physicè decies verberat: qui in peccato mortali decem penitentes absolvit, physicè decies indignè Sacramentum ministrat; & tamen in prædictis & similibus, practicè & in ordine ad confessionem, vel excommunicationem, unum censetur quis committere peccatum, modo alibi distinctius explicato, quia singuli illi actus physicè distincti, quoad blasphemantem & verberantem, ununtur in uno calore iracundiæ, & quoad ministrantem indignè Sacramentum, ununtur in uno eodemque animo continuandi per illam vicem confessionum auditionem &c.

n In opusc. Meth. Conf. lib. 2. c. 1. §. 9. ex Delug. de Pœnit. d. 16. sec. 3. à numero. 133.

12. Secundò recolere debes, in iudicando, etiam in foro externo, aliquando non considerari rigorem Iustitiæ, sed æquitatem. Esto, v.g. tuum animal, sine tua culpa, damnum alicui factiat, tamen, quia non est æquum, te

gaudere animali, & proximum pati damnum, Iudex te condemnabit, vel ad restitutionem damni, vel ad dandum animal pro noxa: nomine autem æquitatis intelligimus perfectam quandam rationem, quæ legum apices strictumque jus interpretatur, & emendat:

„ ut rectè M. Tullius pro Cecinnia dixerit: à verbis recedis, & æquitate uteris, & ibidem: ex æquo & bono, non ex callido versutoque jure (dicam fortasse castigatius) non ex speculativo jure, rem judicari oportere.

o Juxta l. si servus 2. & c. si culpa 9. de injur. & damno dato.

13. His positis, ajo, esto, specularivè, immo & physicè illas venditiones esse duas essentialiter completas, at quia ununtur in eadem una materia, quæ est idem frumentum venditum à Titio ipsi pistori, & venditum à pistore ipsi populo, ideo moraliter, in ordine ad restitutionem faciendam, non censentur duæ, sed una venditio, unde ex æquitate illi reddendus sit pretij excessus, qui damnum denique sentit, qui est populus. Non ita res se haberet, si Titus vendidisset aliud numero frumentum, v.g. frumentum A ipsi pistori: at pistor vendidisset frumentum B ipsi populo; nam tunc cum hæ venditiones non haberent unam eandemque materiam, sicuti physicè duæ essent, sic non essent una moraliter: quemadmodum si illarum modo dictarum blasphemiarum proferrentur non in uno calore iracundiæ, distinctæ essent etiã moraliter, quia non unirentur in illo uno impetu &c. Pater igitur Baraldi sistendo in ipsa rei mera speculatione rectè discurret: at quoad proximum, rectè

Eee

nos

nos asserimus, æquitatem nolle, ut dum Titius possit, nolit populo refarcire damnum ipsi illatum: damnum, inquam, quamvis ex sola occasione venditionis ipsius Titij, sed tamen, quod moraliter censetur ab ipso factum, non quoad peccatum, sed propter æquitatem, quoad restitutionem faciendam illi populo, qui damnum denique passus est.

14. Attuli ergo sequentem paritatem ad meam sententiam olim confirmandam: si Ioannes occidat, vel vulneret *p* Antonium, & imputetur delictum Cæsari, qui Cæsar cogatur à Iudice expensas Medicorum solvere Antonio, certè Ioannes debet restituere Cæsari, non autem Antonio, quia is est plenè satisfactus: ita ergo in casu nostro, &c. Respondet P. Bardi, hic adesse unum idemque homicidium, seu vulnerationem; quare non esse mirum, si restitutio Cæsari debeatur: at in casu nostro est duplex venditio &c. Hæc ille. Verum, quia probatum jam modo est, moraliter censeri unam venditionem in ordine ad restitutionem ex æquitate faciendam; utpote quæ utraque venditio habeat connexionem in uno eodemque materiali frumento, responsio hæc paritatem infringere, quoad praxim, nequaquam valet.

p Id pono, quia casus frequentior esse possit in vulnerando, quam in occidendo; atque adeo non erit inutilis, ut innuit P. Bardi ib. num. 21.

15. Illud denique contrariæ sententiæ omnino dandum. Nam si Titius fortè excessum illum reddidit pistori, non est cogendus, iterum reddere populo: eadem enim æquitas postulat, ut

quandoquidem ipse purgavit suum delictum; reddendo excessum, nec aliquid alienum inveniatur habere, ut non debeat amplius molestiam pati. Tunc ergo reddat ipsi populo pistori, neque tunc solum, verum etiam in casu, quo Titius nolit quidpiam ulli reddere: non enim propterea pistori liberatur ab obligatione restitutionis contractæ ex suo delicto contra populum commissio.

§. VI.

De venditione pecunia credita.

Quando rem nunc vendens, nunc illam ementi consignans, accepturus ab eodem postea pretium, vendis credito; quando verò contra, nunc accipis pretium, consignaturus postea rem, anticipato rem vendis, & de utroque contrahendi modo esse debet separata discussio, de prioribus hæc, de posterioribus postea.

An plurius credito, quàm numerato rem vendere fas sit?

2. Supra legitimum, vel supra summum pretium fas non est, ex eo solum prætextu, quod credito res vendatur. Ratio est manifesta, quia in hac dilatione solutionis contineretur implicitum mutuum; perinde enim fieret, ac si mutuarentur, v. g. centum, ut ad certum tempus redderentur centum & decem, quæ est aperta usura, ut suo dicitur loco. Excludo etiam prætextum officij mercatoris, & prætextum privationis numeratæ pecuniæ: illud, quia esse mercatorem, nõ dat jus ad aliquod supra

supra iustum pretium, sed solum intra modo supra *b* explicato: hæc, quia, an ea privatio aliquo sit digna pretio, erit inferius *c* disputandum.

a Mol. t. 2. d. 355. Less. l. 2. c. 21. du. 6. & passim. *b* sup. §. 4. n. 13. *c* inf. c. 2. §. 5. & 6.

3. Dixi autem (ex eo solum prætextu) quia sunt duo capita unde fas sit, aliquid excedens accipere.

Primum caput est, ratione periculi, quando *d* scilicet mercator probabiliter timet (non ex sua pusillanimitate) emptorem non soluturum, vel cum expensis, seu cum difficultate soluturum. Quanti ergo hoc periculum iudicio prudentis valet, tantum ei. ultra commune pretium, accipere licebit. Ratio est, quia hæc subire pericula, pretio aestimabile est; sane fidejussor licite potest aliquid accipere, ratione periculi & oneris, quod suscipit, solvendi in defectum principalis. Cur ergo non & in casu nostro? &c. Vide tamen Molinam *e* ac Lessium *f*, qui rectè monent, venditorem sub onere restitutionis debere emptori manifestare, se propter dictum periculum plus exigere, quia fortasse nollit sic emere.

d Val. t. 3. d. 5. q. 20. p. 2. conf. 4. *e* Mol. d. 356. *f* Less. l. c. n. 55.

4. Secundum caput est, ratione *g* lucri cessantis & damni emergentis. Ratio est, quia tunc non vendis dilationem temporis, sed quod tua interest: Confirmatur, quia in mutuo aliquid plus supra sortem accipi potest, ratione lucri vel damni, cum conditionibus *h* suo loco explicandis: idem ergo in hac venditione, quæ ut modo dixi, est implicitum mutuum.

g l. Akbatem & Navar. num. 13. de usuris, & communiter Doctores. *h* infra cap. 8. §. 3.

5. Notant autem doctores *i*, in casu nostro quatuor requiri conditiones. Prima est, ut vere tu esses numerata pecunia venditurus: secunda, ut verè tu esses illam, & non aliam pecuniam negotiaturus: tertia, ut minuatur totum illud, quod ratione periculorum & expensarum, arbitrio boni viri, in ea negotiatione fuisses expensurus: quarta, ut omnino significetur id emptori, nisi aliunde sciat; secus, erit tibi onus restituendi, cum nollit fortè is rem emere cum hoc onere.

i Mol. d. 355. Less. l. c. & passim.

6. Ex defectu primæ conditionis, mercatores passim delinquere notat Lopez *l*, quia passim vendunt carius credito, etiam ubi pauci sunt, qui emissent numerato: quod injustè fit; cum enim tunc mercator non vendidisset numerato, non habuisset eam pecuniam, cum qua negociando potuisset aliquid lucrari, atque adeo nihil lucri tunc illi cessat.

l Lopez l. c. de contr. c. 16. conf. 5.

7. Ad secundum hoc caput spectat, quando mercator erat rem suam aliò translaturus, ubi pluris vendidisset: hoc enim est lucrum cessans: admoneatur tamè emptor, expensæq; ac pericula, deducatur, ut superius in simili diximus.

8. Ad idem spectat etiam, quando venditor statuerat rem vendere tempore, quo pluris ea fuisset valitura *m*. Erit enim & tunc lucrum cessans. Illas tamen conditiones recole, ut pretium verè & certo majus futurum fuisset, (nam si dubium, mox dicam num. 11. & 12.)

Ecc 2

& 12.)

& 12.) ut verè servaturus, & venditurus esses; ut expensæ, & pericula deducantur, ut emptor admoneatur.

m. Mol. d. 355. & parer ex c. in civitate, & c. naviganti. de usuris.
Fru mentum venditum, & consignatum hieme ad pretium mensis Maij.

9. Ex dictis, præsertim ex hoc secundò capite damni emergentis, lucrique cessantis, solves illud commune Siculis in frumentorum negotiatione, alijs in aliarum mercium genere: mercator enim vendit, consignatque colono centum v. g. mensuras frumenti, nunc mense Ianuarij, & id pretio, quod curret mense Maij, quo tempore solet, propter distantiam à præcedente messe, major esse frumenti penuria, adeoque majus & pretium; justene id fieri putandum est? Solves, inquam, afferendo, omnino fieri injustè, si absolute loquamur, quia rei pretium justum est illud, quod currit, quando rem venditam consignas; tunc enim transfertur dominium. Qua ergo ratione eligis alium mensem, & hunc Maij, quo pretium carius esse consuevit?

10. At verò, dic, justè fieri posse, quando eas mensuras verè mercator servaturus esset, ac verè illo pretio venditurus, & nihilominus in gratiam coloni, vel cujuscumque id totum scientis, vendat: immò tunc, quia frumentum (ut solet) crevisset in horreo mercatoris, hoc incrementum (deductis expensis) à colono sibi solvi, petere mercator justè poterit; ratio est, quia tunc cessat mercatori lucrum &c. Pretium autem, sive tradatur mense Ianuarij, sive mense Maij, sive ex toto, sive ex parte, nihil hic interest, quia

tota vis hujus lucri fundatur in valore rei, quæ vendenda & conservanda pro illo tempore fuisset. Scio, Cajetanum docere, si solutio fiat mense Maij, licet mercator frumentum pro illo tempore non esset servaturus, & pecuniam, (quam vis eam mense Ianuario habuisset) non esset negotiaturus: scio, inquam, docere, aliquid plus tunc à mercatore posse sumi, quia complementum venditionis (ait Cajetanus) fit mense Maij. Sed non est ullo modo audiendus, quia venditio, quoad substantiam, facta fuit mense Ianuarij, & illud complementum non est aliud, nisi solutio pretij dilata, quæ est implicitum mutuum; undè si propter hanc solam dilationem aliquid plus acciperetur, ex mero mutuo acciperetur, atque adeo per usuram. lege Molinam & Lessium o.

n. Molin. d. 355. o. Lessl. c. du. 4. & 6.

11. Inquires, mense Maij varium in varijs diebus esse pretium solet; licebitne ergo huic mercatori, ratione dicti lucri cessantis, vendere mense Ianuarij, supremo pretio vulgari, currendo mense Maij? respondeo, nequaquam licere. Licebit enim vendere pretio, quod majore parte mensis vigebit: ratio est, quia mercator probabiliter eo pretio erat venditurus, quod communiter, eo mense, erat futurum. Hoc igitur pretium illi cessabit, atque adeo hoc solum exigere poterit. Adverte, si futurum esset pretium legitimum, hoc solum exigere posse, non vulgare, quia in eo casu hoc solum illi cessaret.

Quid, si tanta fuit eo anno mense Maij varietas pretij, ut non fuerit pretium ullum, quod dici posset curren-

riffe

riffe per maiorem partem mensis? respondeo, sumatur tunc pretium medium; ratio est, quia supremum non est fas recipere, cum non sit certus mercator, fore se illo pretio venditurum, nec congruit recipere solum infimum, quia potuisset fortasse vendere majori pretio; sumat igitur medium, quo & suam & ementis rationem commodè satis habebit. Non inficior, posse mense Ianuarij communi consensu determinari pretium, quod curret tali die Maij, immo & tali hora, & quidem iuste, si verè tali die, & hora certo venditurus mercator esset. Sed quando id?

Pactum illud non improbo. Posito enim, quod mercator verè frumentum venditurus sit mense Maij, cum nesciat, quantum augendum tunc sit pretium, poterit convenire venditor cum emente, de aliquo certo pretio, quod prudenti iudicio tunc fortè currendo nunc determinetur; nam sic illud semper (sive deinde mense Maij crescat, sive decrescat pretium) accipere mercator poterit. Certè si sine fraude id fiat, cum sit par vendentis ementisq; periculum, non video, unde condemnare id ullus possit.

Frumentum venditum à pagare & consignare.

12. Hoc contractu utantur sæpè Siculi, quem quia sufficienter explicat, probatque Diana pp, hic eius locum demonstrasse iufficiat.

pp Diana p. 1. tr. 7. ref. 65.

An venditor non soluto pretio ab emptore, possit percipere fructus rei à se credito vendita, quamvis ementi tradita.

13. Cajus vendit Titio fundum, vel domum aureis mille, quos Titius promittit solvere hinc ad sex, v. g. annos (interdum non designantur anni, sed donec emptor solvet pretium) interim vero tradit possessionem fundi ipsi Titio, ea lege, ut idem Titius reddat Cajo venditori annuam pensionem, v. g. quinquaginta aureorum, nempe juxta fructus, quos Cajus percipere à fundo potuisset; qui quinquaginta aurei non computantur in sortem: nam semper remanent illi mille aurei, tempore designato solvendi: idne iuste fit?

14. Si eiusmodi contractus per modum absolutæ venditionis non celebretur, sed per modum locationis, licitus sine dubio est. Modus autem locationis hic esset: *Vendo tibi fundum mille aureis à te olim solvendis, illudque possidendum trado, nunc quidem, pro locato (unde mihi peribit, quia ego sum dominus rei tibi locata) ac propterea pensionem, juxta fructus, quos deductis expensis percepissem, solvas: cum autem solveris totum fundi pretium, habeas pro vendito (unde postea tibi emptori peribit fundus, si peribit: quia postea illius eris tu dominus.)* Hic, inquam, contractus licitus est, quia est ipsamet prædij locatio; pactum enim illud, ut omnino simul mille aurei solvantur, iniquum esse non videtur: nam sicut venditor dare promittit simul totum prædium, ita & emptor

Ecc 3

totum

totum pretium; quod si pactum fuerit de solvendo pretio prædij per partes, quod justum etiam erit, propter similem rationem, tunc sanè si deinde solvatur aliqua pars pretij fundi, debet quantum est ex hoc capite, & pars pensionis cessare, quia tunc pro vendita habetur pars prædij: quò casu fundus pro indiviso erit utriusque, sicuti contingit in contractu societatis, vel in hæreditate relicta pluribus.

15. At vero si ejusmodi contractus fiat per modum: *Vendo tibi omnino fundum, dilata solutione, interim vero solvas pensionem &c.* illicitè fieri & injustè, docent p aliqui: tunc enim fundus fit absolutè emptoris, unde ei periret, si periret: ergo ad illum pertinent & fructus: quare convinceretur tunc pensio exigi propter dilationè solutionis pretij, quæ est mera usura. Aliqui sentiunt, justè fieri. Ratio est (inquit Molina q) quia cum venditor fundum liberè tibi tradat, cum tradere non obligetur, nisi quando tu solveris pretium, justum est, ut emptor hoc beneficium, quod valde est æstimabile, pretio recompenset, dando venditori fructus, quos ipse percepisset. Ratio est (inquit Delugo r, cui præcedens non arridet) quia venditor, utpote cui nondum solvitur rei suæ pretium, potest nolle, dare emptori totum absolutumque rei dominium, atque adeo potest nolle dare jus percipiendi fructus, seu dominium utile, quin det rei proprietatem: si ergo fructus sibi reservat, eos, pro ut multi vel pauci producentur, tamquam suos jure suo accipiet, non vero tamquam rem emptoris, nec in compensationem beneficij facti, vel præ-

tij nondum soluti. Hos deinde fructus posset dominus eidem emptori locare, pro tanta pensione annua, quam solvet deinceps emptor, & quia aliquo anno uberiorès solent esse fructus, aliquo steriliores, posset judicio prudentis determinari medium quoddam pretium annuatim certo solvendum, quod pactum justum erit, quia est par periculum pro venditore & pro emptore; annus enim sterilis favebit venditori, annus ferax emptori, &c. Confirmo, nam sicut per censum bullarem in Sicilia emimus fructus prædij alicujus, unde super illud pretium deinceps mihi pensio solvitur, sic nunc fructus mihi reservo, non tibi vendo &c. Probabilis est ergo hæc secunda sententia, sive ex ratione adducta à Molina, sive ex ea, quam Delugo produxit.

p Multi apud Io: Baptistam Antonacium Eugubinum, in *Cathechesi Neap. l. 5. à c. 21. ubi de hoc casu fuse. vide etiam Dian. p. 1. tr. 8. ref. 29. q. Mol. 2. tom. d. 364. §. in eodem Corollario, cui assentitur Sanch. l. 1. conf. c. 7. d. 21. alijque, quos sequitur citatque Diana p. 4. tr. 4. miscel. ref. 139. quibus adde Sperellum p. 2. d. 118. r. Delugo t. 2. de just. d. 25. sec. 8. nu. 140. s. ut videmus sup. §. 4. à nu. 32.*

Contractus (à godere.)

16. Non erit inutile per hanc occasionem, & illum similem contractum breviter excutere.

Antonius dat tibi aureos v. g. mille, tu illi prædium, vel domum æquivalentem, non lentia; fruitur quisque datis, donec alter reddat acceptum; nam tunc & alter, quod accepit, reddere obligabitur.

tur. Ratio, cur hic contractus (qui ideo appellatur *agoderē*) quia alter re alterius gaudet, sine translatione dominij in accipientem, unde danti fundus periret, si periret.) Ratio, inquam, cur videatur injustus, est, quia pecunia est infructifera, prædium ex se fructiferum, ergo qui gaudet prædio, fruitur in super & fructibus, quibus non gaudet, qui solam habet pecuniam, quæ ex se sterilis est: si Antonius tibi daret fruendam domum locabilem, tu vero illi prædium æqualium fructuum, non esset dubium de Iustitia: fructus enim compensarentur cum fructibus: nunc vero, cum quod tu accipis sit fructiferum, quod vero tradis, fructus non afferat, clara videtur injustitia.

17. Nihilominus inde puto posse te excusari ab usura, quia fructus illos accipis, ratione lucri cessantis; nam illos aureos mille tu poteris negotijs exponere, atque adeo illis aliquid modo magnum, modo parvum lucrari: Potest igitur in ejus compensationem accipere fructus prædij, lucro illi incerto ad prudentis arbitrium æquales: nisi ex hoc capite justifies hunc contractum, prædicto modo explicatum, fur eris, vel usurarius: non enim video, qua alia ratione (quidquid alij dicant) defendi ab injustitia possis.

t. Azor. 3. p. li. 9. c. 20. lege etiam Bonac. d. 3. de contract. q. 2. p. 7. §. 1. n. 7. Fillic. t. 36. c. 5. nu. 90. u. Delug. t. 2. de just. d. 25. sec. 8. n. 136.

18. Dixi (prædicto modo explicatum) nam si Antonius à te illa pecunia prædium emat, cum pacto, ut retro vendere illud tibi teneatur, quando tu reddes pecuniam (quomodo ipsi ac-

ipienti prædium periret, si periret, non tibi) justus, sed alius à prædicto erit, de quo & de ejus conditionibus inferius dicam x pluribus.

§. VII.

De emptione anticipata.

VT certum præmitto, minoris rem emere te non posse *a*, ex eo capite, quod anticipato rem emis, nunc dans pretium, vel partem pretij, recepturus postea rem ipsam emptam. Ratio est, quia justum pretium rerum est illud, quo res valent tempore traditionis, ut supra *b* in simili dictum est. Est item hæc species tacitæ usuræ; si enim nunc das centum pro equo, tibi consignando hinc ad annum, quando valebit centum & decem, est perinde, ac si nunc dares centum, recepturus post annum centum & decem; quæ est clara usura.

a Mol. t. 2. d. 358. Less. l. 2. c. 22. d. 7.

b supra, ubi de venditione frumenti ad pretium Mon.

Dixi (per se) nam si interveniat lucrum cessans, damnum emergens, periculum non habendi rem emptam, vel non habendi sinceram, vel quid simile, servatis, quæ in simili superius *c* diximus, poterit aliquid proportionatum ultra accipi.

c sup. num.

2. Dubium ergo est, quo modo, abstrahendo à lucro cessante, damno emergente, & dictis periculis, constituendum sit justum pretium in mercibus, quæ anticipato emuntur. Respondeo tribus modis. Primò, ut nunc determi-

determinetur certum illud pretium, quo probabile creditur, esse res tempore consignationis valitura, & in hoc casu, etiam si consignationis tempore multo pluris valeat, vel multo minoris, in pretio illo determinato omnino standum est, quia par fortuna, & par fuit in conventionem periculum. Quando autem ejusmodi probabilitas futuri pretij haberi non potest, poterit etiam constitui certum pretium, prudentis arbitrio, & non ad meram vendentis voluntatem: nam simili modo erit par periculum, & veluti ludus fortunæ.

d. Mol. d. 35. c. citat ex Silvest. Salas. dub. 59. alijque: quibus adde Barth. à S. Fausto speculo d. 6. qu. 41.

3. Secundò potest rejici constitutio pretij ad tempus, quo merx est consignanda: potest enim fieri conventio, ut pretium illud detur, quod curret frequentius eo tempore, quo consignabitur, vel si ea frequentia ejusdem pretij tunc non fuerit, ut detur pretium mesium, ut in simili paulo superius est dictum e.

4. Tertio potest conveniri, ut illud pretium detur, quod Magistratus, tempore consignationis, vel paulo post taxabit, quando id solet à Magistratu in aliquibus loci fieri, ut in Sicilia fieri, mox à num. 9. dicemus. Et sanè hac determinatio cum fiat ab expertis, & ab ijs, quibus bono Reip. providere incumbit, justa esse, nisi luce clarius contrarium constet, semper est præsumenda.

e sup num. 12.

Iuxta prædicta debet intelligi, quod his verbis docet Caramuel f: hic con-

tractus emptorius licitus est: do tibi mille aureos solvendo, messis tempore, in tritico; vel, primò, tali pretio; vel, secundò, pretio currenti modo, tunc; vel, tertio, pretio currenti modo. Hæc ille. Sanè, in primò debet fervari, quod modo dixi nu. 2. in secundò, quod dixi num. 3. & 4. & in tertio debet adesse lucrum cessans, vel damnum emergens; secus, est usura, si ex hoc capite anticipata emptio, minori pretio triticum emas, ut dixi nu. 1.

f Caram. l. 2. theol. moral. d. 24. num. 745.

5. Quid, si contractus non sit emptorius, sed merum mutuum, licitusne erit? id enim hac occasione scire, operæ pretium est. Mutuum autem foret, si his duobus modis iniretur contractus: *Do tibi mutuo centum, solvendo tempore messis in pecunia, vel si mavis, in tritico, justo aliquo pretio, ex dictis num. 2. 3. & 4.* Vel, *do tibi centum mutuos, solvendo tempore messis, omnino in tritico, pretio aliquo justo, ex ibidem dictis.*

Respondeo primo, priorem contractum absolute esse licitum. Mutuario enim fit duplex favor, & conceditur pecunia fruenda usque ad tempus messis, & eo tempore statim inveniet emptorem sui frumenti ipsum mutuantem. Respondeo rursus, posteriorem contractum esse etiam absolute licitum: quia si mutuarius habet gravamen dandi frumentum omnino, mutuas subit gravamen non valendi petere suam pecuniam, usque ad messis tempus, quod esse pretio aestimabile, dicitur inferius. Adde, tum periculum, tum difficultatem exigendi, & similia dicta

dicta §. 6. num. 3. quæ sunt gravamina mutantis.

Quidam vendidit suas merces, dilata solutione, hoc inito pacto: *Do tibi has merces nunc hyeme, sed solvendas pretio currenti tempore æstatis, si tunc plures valebunt, quam nunc; nam si valebunt minoris; solvere debebis pretio nunc currenti.* Quis autem injustitiam hujus pacti non videt, cum in illo venditoris & emptoris non sit æqua conditio?

Lana, & similia anticipatè empta.

6. Ex dictis solves quæstionem vulgarem de lanis in Hispania, de frumento, vino, caseo, leguminibus, ferico, frondibus arboris mori, ad alendos bombices necessarijs, & alijs similibus in Sicilia; & denique de alijs mercibus in locis alijs. Alicubi enim est consuetudo, ut hæc anticipatè emantur, multo minori pretio, quam valeant tempore traditionis; v. g. frumenti mensura, valet mense Augusti quatuor aureis, & tamen emitur aliquando, antea, v. g. mense ejusdem anni Januarij, tribus vel duobus aureis. Pari modo, quando post sex menses v. g. in Hispaniam advenient onerariæ lanis plenæ, valebunt eæ in portu quatuor nunc tamen emuntur tribus aut duobus aureis &c. Quaritur ergo, an hæc emptio ut injusta reprobanda, an approbanda sit, ut justa? statuamus de lanis, mox de cæteris.

Aliqui approbant *h*, aliqui reprobant *i*, utriusque probabiliter. Reprobant enim *hi*, quia in emptionibus hujus generis non agnoscunt titulum, quo lanæ illæ, quæ erunt magni valo-

ris hinc ad sex menses, quando consignabuntur, emi nunc possint minoris. Approbant illi, quia inveniunt justum titulum.

h. Mol. t. 2. d. 360. Less. l. c. d. 7. n. 61. Fag. l. 5. de contr. c. 33. Sanch. mox citand. alijque. i. Navarr. Med. alijq. apud citat. alijque apud Sanch. l. 1. conf. c. 2. dis. 15. & 16.

Sed amabo te, quis nam hic tandem est? respondent primò, quia si non emerentur tunc anticipatè hæc lanæ, venditores non venderent easdem hinc ad sex menses plures, quam nunc: si enim nihil, vel parum ex dictis mercibus antea fuisset venditum, certè postea tempore traditionis, tanta esset copia lanarum vendendarum, ut decresceret pretium. Si ergo tunc parvo valitura sint merces, iniquum nunc non erit, eodem parvo pretio emere; hæc ratio mihi nequaquam sedet, quia res non valet, quanti æstimaretur, sed quanti de facto absolutè æstimatur; & certè omnes supponimus de facto, postea rem plures æstimandam, & plures valituram, ut modo in propositione quæstionis dictum est.

Secundò ergo respondent, quia venditores nunc passim eas offerunt vendendas, ut sic habeant nunc pretium, vel partem eius ad sua debita solvenda; atque ad emendas parandasque res sibi necessarias;

7. Hæc ratio, si bene explicetur, mihi arridet non parum: etenim propter commoda, quæ ex his dilatis consignationibus venditori proveniunt, libentius vendunt homines, quam cum consignatione necessariò presentis; vnde multiplicantur venditores, &

Bff

mercis

mercis valor consequenter diminuitur. Non ergo emit quis anticipato merces viliori pretio, ob dilationem rei tradendæ; sic enim per se esset usura implicita, ut modo §. 7. num. 1. dictum est, nec ob commoditatem venditoris, sed propter utilitatem mercis, quæ utilitas nascitur occasionaliter ex commoditate, quam affert, præsens pecunia cum mercium dilata consignatione, frequentes venditores afferendo. Ex hac eadem ratione fit, ut venditores rogent, propter prædictas suas necessitates, emptores, ut emant anticipato; at merces vltro neque vilescunt; adde difficultates & pericula, quæ non raro adsunt, & merito timentur, nè suo tempore consignetur, vel nè sincera; quæ omnia diminuere pretium, nemo negat.

Illud adverte, ut non ad meramentis voluntatem, sed omnibus expensis prudentis arbitrio, juxta dicta pretium decernatur; secus, erit merum furtum.

Hæc, quoad lanas; quoad cæteras merces, idem dicendum est, quia eadem in illis rationes militant. Solum nonnulli contendunt, easdem quidem rationes inveniri; quare putant, injustè minoris anticipato illud vendi, sed immerito; nam etiam in venditione anticipata frumenti adsunt plures venditores, vltro neque merces, pericula & difficultates &c. In Sicilia adesse quendam legem municipalem, quoad aliquas ejusmodi anticipatas venditiones, fatemur, sed de illa mox fusè à numero 16.

1. *Delug. t. 2. de just. d. 26. sec. 8. n. 127.*

8. Adverte denique, siue multum temporis, siue parum intercedat, inter contractum dictæ emptionis, & inter consignationem faciendam, semper debere esse constans idem pretium, prudentis arbitrio, ut diximus, constitutum; nec potest, quando intercedit multum temporis, aliquid plus accipi. Ratio est, quia tunc clarè illud plus acciperetur ob solam dilationem temporis, quæ est ipsamet usura. Exemplo rem clarius intelliges: Antonius emit mensè Januarij lanam, vel frumentum, consignandum mensè Augusti; at Cæsar emit mensè Maij ejusdem anni eandem lanam, vel frumentum, consignandum eodem mensè Augusti. Dico, idem debere esse pretium pro vtraque emptione; ratio est jam dicta, quia si Antonius acciperet plus, est usurarium, cum alium titulum non adesse supponamus; & ex alia parte eadem merx eodem pretio valet, eodem illo tempore Augusti.

m Idem ib. n. 122.

De contractu emptionis frumenti celebrato inter Massarium & mercatorem, anticipato pretio, in Sicilia & Apulia passim usurpato.

9. Massarium appellamus eum, qui à suis segetibus frumentum expectat, & ad huius similitudinem, etiam eos omnes, qui vinum, legumina, lina, sericum, & similes fructus collecturi sunt. Quoniam autem hi tempore hyemis pecunia ad colendos agros indigent,

digent, eas à mercatoribus, vel alijs accipiunt, vendendo iisdem res prædictas, suo tempore colligendas, eodemque tempore consignandas, & quidem ante multos annos ipsi contrahentes conveniebant de pretio, juxta ea, quæ paulo ante dicta sunt: sed quoniam plures hinc exoriebantur fraudes, lata fuit lex, quæ cauit, ne arbitratu contrahentium ejusmodi pretium decerneretur, sed emptiones ejusmodi fierent eo pretio, seu taxa (quam metam appellamus) quæ post fructuum collectionem à publico magistratu statueretur; esto, possent ementes numerare massarijs anticipato pecuniam in computum. Hæc meta solet statui aliquanto minor, quam sit pretium currens, tempore mensis, vel certe statuitur juxta pretium infimum, quod currit eo tempore: Id, quod fit in favorem eorum, qui anticipato pecuniam, vel alias res dederunt in computum massario: nam propterea, qui hac negotiatione vitur, dicitur acquirere lucrum metæ. Non nego, in favorem aliquando massariorum, ne ij propter multas eo anno expensas, in colligendis frumentis factas, vel propter quid simile, plus nimio aggraventur, metam non adeo minorem, ut dictum est constitui, cum mercatoribus tunc satis provisum judicetur, si illo lucro potiantur, quod dicam mox n. 12. fine.

n paulo ante à n. 2.

10. Pragmatica in latinum translata hoc fere modo se habet. Cum plerique suæ conscientiæ rationem, nequaquam habentes, emant certo pretio, vel pretio, quod curret qui-

busdam mensibus, seu diebus, inter ipsos emptores venditoresque constitutis, frumentum, legumina, vinum, caseum, sericum &c. dantes ante tempus, hoc est, antequam dicti fructus ad maturitatem pervenerint, pecuniam massarijs, qui cum magno detrimento se obligant, tor detrimatas earum rerum mensuras suo tempore duros: secus, promittunt, se soluturos pretium maius eandem rerum, quod illo anno exiget; ideo præcipimus, ne quis vendere & emere prædicta sub quovis prætextu, præsumat anticipato pretio, nisi per contractum massarij ad mercatorem; hoc scilicet modo, ut constituatur à qualibet Communitate post fructuum collectionem, meta, & juxta hanc metam, & non alio modo emptores, venditoresque expediant contractus de ejusmodi distractione fructuum celebratos &c. Prosequitur deinde pragmatica modum statuendi prædictam metam, quam hic rescribere necesse non est. Recolenda item hic pragmatica prædicta, quæ propter nonnulla incommoda, quæ sequebantur, excepit oleum, ab hoc modo vendendi ad metam, jubetque pretio currenti debere illud omnino vendi, nulla expectata futura taxa, vel futura pretij determinatione.

o Pragmat. Regni Sic. tom. 1. tit. 62. prag. 4. p Prag. n. 6. l. c.

11. Formula autem hujus contractus Massarij ad mercatorem in hunc fere modum vulgo celebrari solet in Sicilia. Titius nunc mense v. g. Ianuario vendit Caio mensuras sexaginta frumenti, vel vini ordei &c.

Eff 2

antea

„Iquas idem Titius se obligat consignaturum eidem Caio tali determinato die (pone exempli gratia 15. Augusti) non consignet, sed obligat ad refarcienda omnia, & singula damna, expensasque ad maius pretium, hoc est, se obligat soluturum, quanti dicta frumenta valebunt, à tempore morae, in antea in toto anno sequenti: atque id pro pretio, quod erit, juxta metam frumentis per Officiales solitos statuendam. Prædictus autem Titius fatetur, de prædicto pretio, se habuisse à Caio uncias nonaginta, hac communi conventionem, ut promulgata meta, consignatisque suo die frumentis, qui supplere debebit, suppleat alteri in frumento, vel in pecunia (intellige, respectivè, hoc est, Massarius in frumento, emptor in pecunia): hactenus formula. Aliquando ponitur in Massarii favorem, ut ipse supplere quod debet, possit, vel in frumento, vel in pecunia.

12. His explicatis, certum fit, ejusmodi contractum absolute, nisi aliqua inficiatur circumstantia extrinseca, licitum esse q. Ratio est, tum quia non est præsumendum, prædictam pragmaticam maturo latam consilio, esse injustam, tum quia, cum hic non fit nisi contractus venditionis, & emptionis sub legitimo pretio, deque rebus vulgo venalibus, non apparet, unde injustus ex se censendus sit. Nam quamvis mercator soleat aliquid per hujusmodi emptionem lucrari, lucratur tamen justè, quia emit frumentum illo determinato pretio metæ, quod communiter est minus, quàm sit illud, quo mercator in sequenti hyeme deinde reven-

det: emere autem minoris, ut cariore pretio vendas, illicitum non est.

q. *Diana p. 1. tr. 3. ref. 16.*

13. Illud hic video inquiri posse, an adhuc liceat Siculo, more aliorum, hunc contractum celebrare, independentè à meta, hoc est, determinato pretio, quod erit communiter tempore consignationis, vel alio modo ex dictis §. 7. à n. 2. ? cui quaesito respondeo, præcis omnibus fraudibus, in conscientia licere; nam quamvis obstat prædicta lex, in qua vocantur etiam rei Notarii suam operam locantes contractibus aliter, quàm ex dicta pragmatica, tamen quia lex tota fundatur in præsumptione fraudum & usurarum, videtur illa solum esse pro foro externo; id enim ostendunt ea verba pragmaticæ (sux conscientia rationem non habentes) & illa (nullo prætextu præsumant) &c.

r. *Dian. p. 3. tr. 5. ref. 115.*

An Massarius possit cogi ad dandum frumentum?

14. Iam vero multæ sunt circa prædicta practicæ difficultates enodandæ. Prima difficultas: si consignare frumentum (idem hic, & in consequentibus difficultatibus intellige de cæteris fructibus) possit suo die Massarius, sed eius pretium dare velle, possetne mercator hoc recusare, & illum cogere ad frumentum promissum consignandum? respondeo, posse, quia Massarius frumentum vendidit, immo tamen in contractu illa fuisset adscripta clausula (Massarius solvet in frumento, vel pecunia) adhuc is obligabitur primo

primo loco ad frumentum; posito enim, quod hic contractus sit mera frumenti venditio, (secus, esset purum mutuum, vnde illicitum lucrum meta extorqueretur) sensus illius clausula est, ut solvatur pretium in eo casu, quo frumentum omnino desit.

15. Quando autem Massarius pretium frumenti dat (id, quod consentiente mercatore fieri persæpe solet, non vero cogente, quia mercator non habet jus, nisi ad rem sibi venditam, hoc est, ad frumentum) quando, inquam, dabit pretium, dabitne illud, quod vulgariter currit tempore collectionis, quo tempore frumentum erat consignandum, an aliud, quod erit per metam? respondeo, debere dari vulgariter currens in maiori parte temporis collectionis, quam vis aliquanto carius solet esse, quam quod ponitur per metam. Ratio est, quia si mercator habuisset frumentum sibi promissum, illud tali pretio vulgari vendere potuisset; poterit ergo ille à Massario exigere, quantum sibi frumentum valuisset eo tempore, quo culpa sua Massarius non consignauit; hoc enim vocatur & est lucrum præcipuum metae, quod lucrari potissimum intendunt mercatores; cum ergo sibi valuisset pretium currens tempore collectionis, hoc sine iniustitia exigere poterit.

An rescindi possit hic contractus?

16. Secunda difficultas. Inito prædicto contractu inter Massarium, & mercatorem, multo ante collectionem frumenti, v. g. mense Ianuarij, data aliqua pretij parte, potestne in inter-

medio tempore ante dictam collectionem, v. g. mense Maij, mercator recipere suam pecuniam à Massario, & rescindere contractum, atque ob ejus rescissionem aliquid lucri ab eodem Massario exigere? respondeo, id debet resolui juxta aliorum contractuum rescissiones, ut nimirum ille aliquid soluat, in: *s* cuius gratiam suo juri cedit alter; quare si in casu nostro rescissio fiat, mercatore petente, & in eius gratiam, nihil poterit mercator exigere, immo debet Massario aliquid prudentis arbitrio tradere, juxta id, quod valet eius cessio. Quod si fiat, petente Massario, & in ejusdem gratiam, poterit mercator aliquid sumere, immo & damnum vel lucrum exigere, si quod illi, juxta regulas generales traditas, emergit, vel cessat, quia tanti valet ipsi sui juris cessio; si denique fiat in utriusque gratiam, nihil poterit lucri ab alterutro exigi, quia utrinque beneficium compensatur.

s contra, sed immerito videtur esse in simili Azor p. 3. li. 10. c. 11. de cambijs q. 3.

Augmentum frumenti cujus est?

17. Tertia difficultas: augmentum quod solet facere frumentum in horreo, cujus est, Massarij, an mercatoris? respondeo, ejusmodi augmentum à die collectionis eius, vsque ad diem præfixum in contractu, est Massarij, postea erit mercatoris; ratio est, quia illo die præfixo, quo debet fieri, seu sit consignatio, frumentum transit in dominium mercatoris, (esto, meta & rationum computatio facienda sit postea)

Fff 3

antea

antea vero est in dominio Massarij. Cum ergo res pro Domino crescat, ante illum diem frumentum crescat pro massario; post illum pro mercatore. Quod si mercator, quando rationabiliter timet, ne massarius distrahat alio frumentum, sibi illud, etiam auctoritate Iudicis sumit (quod ei ob securitatem suam tunc licite conceditur) servare debet pro massario augmentum, quod, iudicio prudentis, deductis expensis, aestimatur esse à die, quo illud sumit, usque ad diem præfixum in contractu, quia hoc massarij est, ut diximus, non mercatoris.

An possit statui certa quantitas frumenti?

18. Quarta difficultas: licitè celebratur hic contractus, determinando mensuras fructuum consignandas? id enim videtur reprehendere lex allatam num. 10. Respondeo, illicitè celebrari putant nonnulli propter prædictam legem; adde, quia possent determinari v. gr. mille mensuræ & solum anticipato dari decem, vel viginti aurei, prætextu pacti, quo, qui deinde debet supplere, supplebit; quod profecto verteretur in massarij damnum, qui non raro cogitur, in anno præfertim sterili, frumentum quarere tempore præfixo, ut promissas mensuras adæquet. Verum quamvis eas non determinare, tutius sit, tamen si sine fraude determinantur tot mensuræ, quot prudenti iudicio videbantur adæquare pretium massario numeratum, non video, unde iniustitia committatur. Quod si massario numeretur pauca

aliqua pecuniæ quantitas, solum in arrham futuri pretij, quid erit iniustitia, si ipse consentiat ad pretij dilationem? esto, aliquando mercator peccet contra charitatem, si inde valde massarius depauperandus sit; ad legem responderi posset, eam fundari in præsumptione fraudum: si igitur fiat sine fallacijs, coram Deo non peccabitur.

An mercatori liceat pignus accipere?

19. Quinta difficultas: liceatne mercatori in suam securitatem pignus item, præter contractum, à massarijs exposcere? respondeo licere; quilibet enim jus habet negotiandi circa rem suam, maiore cautione, qua potest. t. l. Azor t. 3. l. 10. de cambijs c. 11. q. 11.

An qui massarius non est, uti hoc contractu queat?

20. Sexta difficultas: is, qui massarius non est, potestne sine culpa similem contractum venditionis inire cum mercatore, vel etiam cum eo, qui mercator non est? respondeo tribus dictis.

21. Dictum primum: qui pecuniam accipit à mercatore, vel alio, carens intentione vendendi frumentum, cum segetes non habeat, nec alia via, v. g. emptione, frumentum habere sperat, celebrat contractum illicitum & periurum. Ratio est, quia simulat vendere, cum re ipsa nil vendat.

22. Inquires: mercator in hoc casu accipiendo suo tempore lucrum metæ,

metæ, peccabitne contra justiciam, an solum contra charitatem, atque adeo sine obligatione restitutionis? respondeo, solum peccaturum contra charitatem, senserunt (si vera sunt, quæ à Patribus me antiquioribus accepi) omnes fere Siculi Theologi Societatis nostræ de hoc interrogati, & consulti à P. Ludovico Maselli ea tempestate Provinciali, attuleruntque rationem, quia qui vendit frumentum, cogitans & sperans illud non dare, licet periurus sit, tamen ex vi ejusmodi venditionis habet libertatem, ut si frumentum dare velit, possit, non ergo, quando massarius accipit pecuniam à mercatore, mutuo illam accipit, & consequenter mercator acquirens lucrum metæ, non acquirit pro puro mutuo.

23. Verum animus nulla ratione huic sententiæ acquiescit: siquidem esto, vsura non adfit, propter dictam libertatem, aderit furtum contra justiciam, quia sine titulo mercator metæ lucrum acquiret, titulus enim non alius erat, ut hic supponimus, nisi emptio frumenti: cum hic ergo emptio nulla sit, nullus erit & titulus; & sicuti mercator boves emens à rustico, qui eos non habet, & deinde eidem eosdem locans pro certo pretio, ideo damnatur *de furto*, quia nulla ibi intervenit emptio, sed fingitur, ita in casu nostro.

u *Fag. l. 5. de contr. c. 34. n. 9.*

24. Quid, si mercator intendat emere frumentum, venditor autem vendere non intendat? respondeo, cum venditio & emptio communi consensu perficiatur, verus contractus hic non aderit: quare nisi mercator

curet, ut alter mutet animum, velitque frumentum vendere, lucrum metæ habere non potest: Excipe, nisi massarius fingendo venditionem, mercatorem decipiat: tunc enim massarius mercatori lucrum metæ compensare debet: nam, ut alibi diximus *x*, qui in contractibus socium decipit, totum lucrum decepto resarcire debet, multo magis, si mercator ficto illi pecuniâ traditam, alteri non ficto tradidisset.

x sup. lib. 3. a 3. §. 2. qui est, de dolose.

25. Quid contra, si massarius velit vendere frumentum: sed illud emere non intendat mercator? respondeo, tunc lucrum metæ mercator exigere non poterit, quia nulla est tunc emptio, quæ sola, ut hic supponimus, lucri acquirendi titulum afferebat.

26. Dictum secundum. Si is, qui massarius non est, licet segete careat, tamen vel sperat, vel saltem potest, per emptionem v. g. frumentum habere, vnde contrahat, cum vero animo illud vendendi, licitè & justè se gerit. Ratio est, quia cuilibet jus est vendendi id, quod certo sperat se habiturum, lege Molinam *4*.

z Diana p. 1. tr. 8. ref. 18. a Mol. s. 2. d. 359. si Arag. q. 77. ar. 4.

27. Dictum tertium. Qui massarius non est, quique non est mercator, si ita contrahant, ut ad nihil attendant, an scilicet possit, an non possit haberi frumentum suo termino consignandum, contrahunt nihilominus animo faciendi, quod alios communiter facere vident, cum suo lucro, de injustitia non sunt *b* reprehendendi. Ratio est, quia hi bona fide, & tacitè, in animo habent

habent implicitam intentionem vendendi & emendi frumentum; id enim est velle facere, quod alij communiter faciunt.

b *Dian. p. 1. tr. 8. ref. 16. cit. aliquas Theol. Soc. Iesu ab ipso consultos.*

Quid debeat Massarius morosus?

28. Septima difficultas: si statuta die venditor frumentum consignare, vel pretium reddere negligat, ad quid ultra tenetur, præter ipsum frumentum, vel eius vulgare pretium? videtur enim teneri ad solvendum mercatori pretium summum, quod forte curret in toto anno sequenti, quia ita in contractu, ut vidimus n. 11. conventum est. Respondeo, ad id non teneri: nam solum tenetur, juxta pretium tunc vulgare currens, ut ex dictis n. 15. constat. Ratio est, quia ex nullo justo titulo potest dictum pretium summum exposci. Discurre per quatuor titulos, qui solent assignari: primus est ipse contractus venditionis & emptionis: at hic perfectus fuit sub pretio, seu, ut loquimur, sub lucro meta, quo modo ergo ratione illius contractus, extorqueri potest pretium summum, quod forte futurum erit? secundus est ipsum mercatoris officium; at supra vidimus, huius rationem jam habitam fuisse in imponendo pretio, seu meta; tertius ratione damni emergentis, vel lucri cessantis: at licet concedam ibi deberi, posito, quod mercator frumentum servasset, & verè summo pretio vendidisset, juxta conditiones supradictas, & dicendas inferius, cum de usura; tamen *bb* incer-

tum est, eum summo pretio venditorum; præterea, ratissimè sic vendet, & nos hic loquimur vniuersaliter, & ex vi contractus, an debeat illud summum pretium, non vero ex extrinseco damno alicuius particularis mercatoris: quartus denique titulus esse potest ipsum pactum, seu pœna conventionalis in contractu apposita, ut vidimus num. 11. atque hic est titulus, quem magis apparenter hic adesse, non nemo contendit. Adhuc tamen facile respondeo: nam hæc pœna conventionales in hoc regno prohibentur, exceptis quibusdam, quas vide apud Mutam c. Adde primo, irrationabilem esse pœnam adeo indeterminatam (puta ad maius pretium, quod esse poterit.) posse enim esse admodum improporcionata ad delictum, ergo est omnino injusta. Adde secundo, esse valde probabile, ante Iudicis sententiam non teneri quampiam ad hæc pœnas conventionales solvendas, ut habet idem Muta d, Sanchez e, Vasquez f, nisi si quis soluturum ante sententiam expressis verbis se obligauerit, ut notavit Castropalaus g, ergo saltem ante sententiam Iudicis liber erit Massarius.

bb quando adest hæc incertitudo, non posse certum pretium summum à mercatore exigere, docent in simili Less. Azor Molin. Salon. Bona. alijq. cit. à Dian. l. c. Ref. 17. esto, posse, videatur concedi à Vasq. apud eund. Dian. ibid. c. Marius Muta in comment. secunda consuetud. Sen. Panor. c. 18. d. Muta ib. §. ult. e. Sanch. l. 1. de matr. d. 37. n. 4. f. Vasq. p. 3. t. 1. d. 173. c. 1. vid. Dian. t. 1. tr. 8. ref. 29. g. Castrop. t. 1. tr. 3. d. 2. p. 3. legatur Dic. l. 2. de iust. tr. 10. d. 2. du. 12. n. 275.

29. Virges;

29. Vrges: cur ergo permittuntur ex pœnæ poni de pacto in hoc contractu? respondeo, quia ejusmodi pactum sensum habere potest bonum, ut scilicet intelligatur, nunc deberi à massario maiorem valorem, quando, quia mercator seruasset atque vendidisset alio tempore, tantum damni (deductus expensis) ex dicti massarij mora, dictus mercator passus est.

30. Quod si quæras, cur hæ pœnæ absolutè prohibentur in Sicilia? respondeo, propter præsumptionem multarum fraudum, & ne per immoderatas pœnas vexentur plus nimio contrahentes; nam ceterum pœnæ conventionales, quando sub legitimis conditionibus fiunt, ad securitatem mutui, vel rei emptæ, damnandæ ex se non sunt, ut nobiles authores *h* docent. Conditiones autem sunt hæ; prima, ut pœna non imponatur in fraudem vsuræ, sed ut creditor suum tuto habere queat, esto, desideret moram debitoris, ut per accidens ipse creditor lucrum inde ferat: secunda, ut sit moderata, habita ratione rei restituendæ, & culpe debitoris: tertia, ut debitor fuerit in notabili mora culpabiliter; sine culpa enim nemo est in conscientia ad pœnam vllam condemnandus. Differre solutionem per 20. dies, communiter non esse notabilem moram, notant merito nonnulli: quarta, ut si partialiter sit satisfactum remittatur & pœnæ pars: quinta, ut nisi aliud exprimat, non vrgeat obligatio in conscientia, nisi post sententiam iudicis, ut ex probabili sententia modò notauimus.

h Mol. d. 317. *Leff.* l. 2. c. 20. d. 15. *Med.*

q. 3. Dicast. l. 2. tr. 10. d. 2. num. 258. Castropal. de just. com. 131.

An renovari idem contractus possit?

31. Difficultas octaua. Si massarius, seu frumenti venditor tempore præfixo ad solutionem, neque frumentum habeat, neque pretium, quo mercatori valeat satisfacere, poteritne iterum contrahere cum eodem mercatore, & eidem vendere frumentum, consignandum in sequentis anni collectione, eundemque contractum toties renovare, quoties ipse massarius solvendo non est? poteritne pro frumento, quod nunc in secundo contractu emo, assignare pro pretio totam illam pecuniam, quam mihi debet massarius, ex vi prioris contractus, in quo includitur lucrum metæ? respondeo, vtrumque licitè posse. Ratio prioris est, quia si primus contractus fuit justus, erit & secundus, & tertius, & ceteri. Ratio posterioris est, quia sicuti debitor debet mihi sortem, sic & debet lucrum metæ; ergo sicuti cum sorte possum mihi emere frumentum, sic & potero cum lucro metæ; lucrum metæ dico, non vero pecuniam debitam ex pœna, nec ex ejusdem pœnæ interesse, quia pœna non debetur, nisi accedente iudicis sententia, ut dictum est *i*.

i l. Mol. *fes. in summat. 2. tr. 12. c. 23. n. 37.*

§. VIII.

*De quibusdam modis contractus
emptionis, & venditionis.*

Ggg

An cre-

An creditum, seu chirographum, possit minoris emi, numerata, seu anticipata pecunia.

SI ejusmodi creditum], siue maturum, siue immaturum sit difficile, periculosum, litigiosum, vel cum expensis exigendum, licite posse minoris emi, certum est, *a* juxta proportionem talium difficultatum; immo etiam juxta temporis longitudinem, quia quo hac productior est, eo plura pericula timentur, & eo magis rogaris; ratio ulterius est, quia predicta minuunt, secundum communem estimationem, rerum pretia; quare si Princeps, v. g. Petro debeat mille, quæ Petrus difficulter posset exigere, tu vero, propter amicitiam, vel industriam facillimè potes, licite emis minoris, etiam si ea recuperaturus sis magno tuo commodo, quia vere emis, quantum tanta difficultate creditum illud ex communi estimatione tunc valet, nec tua amicitia cum Regijs tibi nocere debet, ut certe noceret, si alij possent, tu nequires tantidem emere.

a Mol. d. 263. Less. l. 2. c. 27. d. 8. Salas de empr. & vend. d. 30. & tr. de usuris dub. 27. legatur Dicast. lib. 2. de just. tr. 10. dist. 2. d. 20.

Quod si tuum creditum est apud eum, qui solvendo non est, vendere illud non potes *b*, quia id moraliter non est vendibile, cum nullam habet estimationem intrinsecè.

b Bart. à S. Fausto in spec. conf. d. 6. q. 34. 2. Quando nulla est difficultas, nec periculum &c. in exigendo, ut solet ac-

cidere in certis tutisque chirographis, seu apodixis, licet tutius sit, minoris nō emere; probabile tamen contra Molinam *c*, sed cum Fagund. *d* est, licite itē posse. Ratio est, quia jura, seu credita communi estimatione minus estimantur, quàm æstimetur ipsa pecunia numerata; & merito: nam illa toto tempore, quo non solvuntur, sunt intrinsece inutilia. Adde, merces vltroneas vilescere, saltem pro tertia parte: at communiter homines rogantur emere ejusmodi credita; neque hic est periculum vsuræ, ex virtuali mutuo, quia hæc est vera venditio & emptio illius aliquantum inutilis juris. Potius est timendum, ne adsit periculum furti, quod certè erit cavendum, ut si valde minori pretio, sine titulo, emas. Si enim creditum mille aureorum v. g. sit tam facile & tutum, ut post unam vel alterum diem exigas, vix poterit tribus vel quatuor Julijs minus emere: & aliquando nihil minus poteris, ut si post unam, vel alteram horam facile creditum exacturus sine difficultate sis, At si post unum, quinque, decem annos, poteris multo minoris emere, propter pericula & difficultates, & expensas, quæ licet nunc in casu, de quo agimus, nullæ prorsus prævideantur, semper tamen maiora ex longiori temporis lapsu occurrere posse, rationabiliter timentur. Vnde vides, id non esse, lucrari ex mera dilatione temporis, quod est vsurarium, sed ex alijs justis titulis, ut dictum est.

c Mol. d. 363. cit. Less. l. c. n. 71. d. Fag. l. 5. de contr. c. 26. n. 24. dicens, id esse probabile. Laym. l. 3. sec. 4. tr. 4. alijque, quibus addatur ipse Less. num.

3. Hæc

65. qui ibidem fatetur, hanc esse probabilem, eamque docuisse Bellarminum Lovanij, & Dicast. l. 2. de just. tr. 10. d. 2. num. 414. eamdem probabilem asserens.

3. Hæc sunt facilia; illud magis controversum, an creditum immaturum certissimum, licet sit exactu facillimū, emi possit minori, non solum à persona tertia, de qua hæctenus dictum est, sed etiam possit minoris emi, seu extingui ab ipso debitore?

Equidem concedo, cum Fagundez; esto, Molina, f. dicat, id esse omnino improbabile. Ratio est eadem, quæ in casu præcedente, quia minus valet jus rei, quàm res; & præterea, quia si fiat sine fraude, & fuit proportionata pretio, non apparet, cur ipse debitor sit excludendus ab eo, quod potest tertius.

e Fag. l. c. n. 17. f. Mol. l. c.

4. Nota tamen per diligentem primò, in eo casu, quo eiusmodi venditio fieret, principaliter propter difficultates exigendi, si ipse debitor earum difficultatum esset causa, nulla ratione ipsi debitori licere, minoris vendere, quia sic venderet id, ad quod removendum ipse tenetur: ipse enim tenetur difficultates solvendi remove, & sine impedimento solvere. Ideo etiam dictum est (immaturum) nam maturum debitum nequit minoris emi ab eodem, qui illud debet; is enim pari modo ex justitia tenetur statim solvere.

5. Nota secundo, quod dico de eodem debitore, dici debere de ejusdem ministro; unde illicitè & iniquè ministri Regi, quorum officium sit, pecunias

regias exigere, & easdem solvere creditoribus Regis, iniquè, inquam, propter hoc caput, ductum ex difficultate exigendi, minoris emunt ab iisdem Regijs creditoribus debita Regis; nam ministri hi personam Regis gerunt, atque adeo omnes difficultates superare ex justitia debent, quo creditores integrè satisfiant.

6. Ex qua posteriore ratione evolue quæstionem sequentem: Petrus emit vel conducit aliquid à Rege, unde eidem Regi debeat v. g. mille; Rex autem ex aliqua causa debet hospitali v. g. itidem mille; quid ad lucrandum excogitat Petrus? Regem orat, ut mille, quæ ipse Petrus Regi debet, soluat eidem Petrus hospitali, & sic liber fit Rex à debito, quod hospitali debet. Hac facultate impetrata, seu cum spe eam impetrandi, emit Petrus multo minoris, v. g. aureis quinquaginta creditū illud hospitalis, & sic loco mille aureorū, quos ipse Regi debebat, solū soluit hospitali quinquaginta, licitè hæc industria vitur Petrus? illicitè, sentit Molina g, quia sicuti Rex non poterat minori pretio extinguere illa mille, ita nec Petrus, qui à Rege illam commutationē impetravit; licitè putat Delugo h, quia nō est minister Regis, nec dum illam facultatem impetrat, se regis ministrum constituit, vel se obligat ad integrè solvendum.

g Mol. & Salas apud Delugo mox citandum. h Delugo v. 2. de just. d. 26. sect. 7. §. 1. n. 103.

7. Verum, nisi hic distinguas, errabis facile. Nam si illam facultatē satisfaciendi hospitali cum ijs mille aureis debitis à te Regi impetrasti, postquam

Ggg 2

quam

quam minori pretio emisti ab hospitali creditum, licetè prædictam induitiam excogitasti, neque inique illam vsurpas. Ratio est, quia, sic nullo modo es minister Regius, quoad solvendum hospitali: jam enim nihil Rex hospitali debet, sed tibi, quia jus hospitalis æquo pretio, ut supponimus, emisti, & ex alia parte, quando illud emisti, tuum futurum artificium amicitiaque Regis tibi nocere non debuit; at vero si eam facultatem impetrasti, antequam emeris creditum ab hospitali, illicitè & inique te geris, si post impetratam facultatem minoris emas, seu extinguas ejusmodi hospitalis creditum. Ratio est, quia quando Rex tibi licentiam illam, seu commutationem concessit, transtulit in te onus solvendi hospitali aureos illos mille; onus autem hoc involvit etiam obligationem solvendi sine difficultate; cum ergo tu debeas ex justitia sine difficultate solvere, contra justitiam ageres, si ex hoc capite aliquid exigeres; quod onus contra te certe non est, in priore casu.

8. Nota denique tertio; an debitor possit sic de debito immaturo convenire cum creditore? *Debeo tibi centum aureos post annum, do tibi nunc 50. & alia 50. dabo non post annum, sed post duos, vel tres.* Respondeo, duplici modo id fieri posse: primo, per extinctionem prioris contractus, & celebrationem novi. sic v. g. dicente creditore: *accipio 50. & rescindo contractum, quo tibi mutuaveram centum; & novum celebros, quo mutuo 50. per biennium: atque hunc modum esse licitum per se patet; vel secundo, nihil immu-*

tando, sed relinquendo idem mutuum, quoad partem redditam, cum extensione tamen ad biennium, & quamvis vsurarium sic esse non nemo doceat, videtur tamen non esse vsurarius, sed licitus, quia debitor tulit gravamen ante tempus, nimirum nunc illa 50. & creditor subijt gravamen expectandi per biennium pro alijs 50. ergo sunt sub pari gravamine; confirmo, quia hic non est contractus mutui, sed innominatus, Do gravamen meum, ut tu des gravamen tuum &c.

hh *Navarr. apud Cara. mox cit. i Caram. l. 2. Theol. mor. d. 14. num. 748. cuius verba describit & approbat Diana p. 9. tr. 6. ref. 24.*

An liceat carius vendere credito, ut statim vilius numerato idem ematur? quod alicubi dicitur Porro, alicubi Pilliça, alicubi Baratto,

9. Indigens Petrus præfenti pecunia, emit à mercatore v. g. pannum credito, sub rigoroso pretio v. g. centum aureorum, mox mercator idem emit eundem pannum ab eodem Petro, pretio infimo numerato v. g. octuaginta, & Petrus remanet debitor in rigoroso illo pretio aureorum centum, licetene id fit?

Respondeo in conscientia, & ex se, fieri licitè, modo vere prædicti vendant emantque, nec palliare velint mutuum & ejus vsuram; ratio est, tum quia & prior & posterior venditio justa est, quippe justo pretio sine fraude expedita, tum quia tertius qui-

libet

libet mercator posset eum pannum infimo pretio emere, ut omnes concedunt, cur ergo non potest ille idem? immo is liberat Petrum labore quaerendi alium emptorem; tum denique, quia merces vltro neque vilescunt; mercator enim ut redimat praedictam mercem, saepissime rogari ab indigente illo solet: immo in hoc casu, quo rogatur, non solum infimo, sed adhuc viliori pretio redimere posset, ut supra vidimus b.

a *Fag. l. c. c. 34. Less. l. c. d. 16. b. Sup. §. 4. n. 6.*

10. Atque haec vera sunt, etiam si mercator nullo alio animo vendat credito, nisi ut mox vilius emat numerato, & etiam si Petrus manifestet mercatori, se emere carius ut eidem vendat vilius: modo enim haec in pactum, nec explicitum, nec implicitum deducantur, contra iustitiam non sunt.

11. Dixi primò, (in conscientia) nam alicubi, ut Castellæ, id prohibetur poena exilij in Africam per biennium, & ut debitum non exigatur; & fiat: verum ego Messanæ semel de certè Covarruvias e hunc modum contrahendi vocat genus latrocinij maxime execrandum, & iustis poenis vindicandum.

c *Covarr. l. 2. var. c. 8. n. 6.*

12. Dixi (ex se) nam ex adjunctis potest non raro sublatere iniustitia, ut si ementem mercator obliget ad sibi revendendum; tunc enim supra pretium rigorosum imponeret onus pretio aestimabile, hoc est, obligationem revendendi; non nemo ex timoratis mercatoribus solet mittere ejusmodi emptorem ad forum, ut si ibi inveniat, qui velit emere, vendat; si vero non

inveniat, redeat; nam sic securius idem mercator infimo redimit pretio.

13. Quid contra? indigens pecunia Antonius vendit mercatori pretio infimo libram serici: inde post mensem v. g. immo post horam redit Antonius ad eundem mercatorem, emitque illam eandem serici libram pretio summo, licitè & justè?

Respondeo, si non fiat ad palliandū mutuum, quia sic esset usura, sed vera sit emptio & venditio, justè fieri, eodem modo, quo haecenus numeris praecedentibus dictum est, eadem rationes persuadent. Addit Molina d, id posse etiam fieri in pacto retrovendendi; hoc enim nunc in favorem retrovenditoris cedit, quia jam retrovendet majori pretio; quare nunc pactum retrovendendi non est onus, sed ipsius beneficium.

p *Molin. d. 376. apud Delugo t. 2. de just. d. 26. sec. 13. §. 1. n. 195. favet. Caramuel. l. 2. in mor. n. 856.*

14. Et ita quidem, si id sine fraude hoc interrogatus, usura reum mercatorem feci, & fraudem inspexi in eo verbo (eamdem serici libram) nam Antonius, cujus illa serici libra non erat, sed accepta à Domino, ut eam in opus intexeret, quia nummis indigebat, mercatori vendidit, seu potius tradidit, cum pacto, ut nullo modo alteri venderetur sed sibi post mensem reversuro. Profecto si sericum vendentis non erat, si mercator dominium perfectum non acquisivit in re mobili, quæ non facit fructus, cū non posset de illo serico disponere, qua ratione dicenda non sit hæc mera usura ex mutuo, sub illo ficto

fito venditionis contractu palliata?

An liceat vendere vel emere cum pacto retrovenditionis?

15. Vendo tibi. vel à te emo fundum v. g. ea lege, ut quando ego voluero. vel quando inter nos conventum fuerit. puta, intra duos, quinque, decem annos, ego tuum tibi reddam; te mihi reddente meum. Quæro, an licita sit atque æqua conventio?

Et quidem hunc vendendi modum aliqui vocant, dare in pignus; sed loquuntur improprie; pignus enim non transit in dominium eius, qui illud accipit; at in casu nostro fundus fit emptoris (unde si perit, ipsi perit) atque ipsius fundi fructus, non verò venditoris, supponimus enim, esse veram validamque emptionem; si enim ex aliquo capite in valida esset, certè fructus essent venditoris; res enim semper pro Domino fructificat; lege Molinam e, qui notat, quando ejusmodi pactum est pro tempore determinato v. g. intra decem annos, ijs annis exactis remanere absolutam venditionem, & tunc emptorem posse deinde rem, utpote absolutè suam, alijs distrahere, quod antea, propter pactum, facere non potuisset. Nota insuper, quo modo venditor, vel ejus hæres possit agere contra tertium possessorem, in quo casu contra pactum ante tempus rem emptor distraxerit.

e Molin. d. 374.

16. Porro advertite, pactum hoc retrovenditionis posse apponi tribus modis: primò, ut sit in favorem venditoris; secundò, in favorem emptoris; tertio, in

favorem utriusque. Primum est, si quis tibi vendat fundum ea lege, ut eo volente restituere pretium, tu debeas reddere fundum. Secundum est, si quis vendat tibi prædium ea lege, ut volente te restituere prædium, ille debeat restituere pretium: tertium est, ut volente eo reddere pretium, tu reddas prædium, & volente te reddere prædium, ille reddat pretium. His positus,

17. Affero, omnibus his tribus modis, siue pro tempore determinato, seu ad alterutrum libitum, licitam esse prædictam conventionem. Ratio est, quia potest servari æqualitas in hoc contractu, cum nulla injuria vendentis ementisve: & sicuti census fere semper venduntur, seu constituntur cum pacto explicito, vel saltem implicito retrovenditionis, ut approbarunt summi Pontifices & ipsa communis praxis, ita hic, f. Molin. d. 375. Less. l. 1. c. 21. d. 24. Delugo l. c. §. a. à num. 185. Fag. de contract. l. 5. c. 43.

18. Illud tamen præ oculis accuratè semper habendum est, ut, quia pactum hoc est onus quoddam pretio aestimabile, is, qui illud subit, debeat id deducere de pretio, seu de valore rei; nam si res valet decem v. g. quando venditur absolutè, certè minus valeat necesse est, si non absolutè vendatur, sed cum onere illam relinquendi. Ut autem hæc & alia huc pertinentia explicatius habeantur, sic distinctè procedamus,

Pactum de retrovendendo in favorem venditoris.

19i Res vendenda, cum hoc pacto quanti minoris valet? respondeo, quando

quando adest lex taxans (ut in aliquibus locis esse audio) illam esse seruandam, non est dubitandi locus. Quando ergo lex deest, diminui docent aliqui pretium debere per tertiam partem g, ut si res valebat absolute triginta, cum pacto valeat viginti. Aliqui h vero docent, diminui per quartam. Sed melius i alij id statuunt esse decernendum prudentis arbitrio, expensis longitudine & breuitate temporis, periculis recuperandi rem, vel recuperandi forte deterioratam &c.

g *innominati apud Delug. l. c. n. 189.*
h *Bonac. de contr. d. 3. q. 2. p. 3. n. 2. qui testatur, ita esse praxim Mediol. i Reginald. Mol. Menoc. alijque cit. la Ben. l. c.*

20. Res iam vendita cum hoc pacto, quando deinde debet redimi, pretione, quo res fuit empta, an quo valeat tempore redemptionis? respondeo, si præcessit pactum in contractu, ut emptor teneatur eodem pretio revendere (quod pactum esse licitum, docet Lefsius l., cum id sit pactum de rescindendo priore illo contractu, & non sit novus, qui requirit pretium currens tempore contractus, ut patet etiam in censibus, in quibus statutum est à Martino V. Nicolao V. Pio V. ut eodem pretio redimantur; supponere autem semper debet Lefsius, rem non inueniri, saltem notabiliter deterioratam) si præcessit, inquam, hoc pactum, eodem pretio redimi oportet. Quod si præcessit pactum de retrovendendo, eo pretio, quo valebit tempore revenditionis (quod etiam esse licitum, idem Lefsius notat, qui a tunc promittitur fieri novus contractus) sub hoc pretio

erit redemptio celebranda: novus enim contractus requirit pretium currens.

l *Lef. l. c. n. 115.*

21. Difficilius est statuere, si nullum præcessit pactum, sed dictum dumtaxat fuit: *Vendo tibi hoc prædium cum pacto retrovenditionis*: in quo casu puto, debere afferri pretium currens tempore, quo res retrovenditur; ratio est, quia tunc fit novus contractus, nec retrovenditur (nisi præcesserit pactum) obligatur solum rescindere contractum præcedentem: novus autem contractus venditionis debet esse sub pretio, quod currit tempore, quo fit venditio, ut dictum est.

22. Denique, quid si fiat pactum, ut prædium retrovendatur pretio minori, quam sit infimum, quo res valet? dico, pactum hoc esse iniquum, & non seruandum, quia in hoc casu retrovenditor retrovendit sine ullo onere, ut supponimus; vnde ergo minoris, quam res valeat, redimi sine iniustitia potest?

23. Quod dictum est de re mobili, dictum etiam sit de mobili; licite enim potes vendere v. g. equum, bovem, vestem, cum pacto, ut emptor teneatur revendere; diminuere tamen aliquid de pretio debes, propter hoc onus superadditum, ut constat ex dictis.

24. Petes, rem stabilem v. g. fundum, sic à me tibi ve ptum, possesne tu statim deinde locare, constituta justa pensione à me solvenda? respondeo, non solum rem stabilem, sed etiam rem mobilem, v. g. vestem, bovem, equum &c. Ratio est, quia si res jam est tua, de

tua, de illa disponere, ut libet, potes; solū caue à palliata vsura, ut si non intendas, verè vendere & locare, sed solum lucrum habere &c. quæ certè palliatio facilior est in rebus mobilibus, quàm in stabilibus. Vide simile quid paulo superius num. 13.

Pactum de retrovendendo in favorem emptoris.

25. Ego v. g. à te fundum ea lege, ut quoties voluero, possim à te recuperare pretium, restituito tibi fundo, In hac ergo venditione quòdnam erit pretium justum? respondeo, erit aliquanto maius, ad arbitrium prudentis; ratio est, quia venditor suscipit in se obligationem onerosam, ut reddat pretium, resumaturque rem venditam; non dabit, quantum accepit, sed quanti valet res eo tempore, quo rem resumit: nam in manu emptoris res fuit deteriorata; æquum non est, ut redimatur eodem pretio, quo valuit sine illa deterioratione. Quod si pactum aliquod in contrarium præcesserit, dic illud proportionaliter, quòd modo n. 13, attulimus.

Pactum de retrovendendo in favorem utriusque.

25. Si pactum sit, ut tum venditor tum emptor possint rem redimere, vel revendere, eo tempore, quo eis libuerit, pretium debet esse, & aliquanto maius, quàm si venderetur solum cū pacto in gratiam venditoris, & aliquanto minus, quàm si venderetur so-

lum cum pacto in gratiam emptoris. Quare ita calculat Lessius *m*, ut si res valeret aureis centum, in hoc casu posset vendi, seu emi aureis 88. vel 90, ad arbitrium prudentis; ratio est, quia sicuti pactum est in vtriusque gratiam, sic pro vtroque in aliquo pretium diminui congruum est. At quando deinde revenditur, justum pretium erit, quanti valet tempore, quo fit retrovenditio, modo, quo dictum est num. precedente.

m Less. l. c. n. 120.

27. Petes, in prædictis tribus modis fructus immaturi ad quem pertinent, ad venditorem, an ad emptorem? respondeo, hæc & similia, cum non sint admodum frequentia, & multum ad Iurisperitos pertinentia, lege apud DD. *n*

n Delugo t. 2. de just. à. 26. sect. 14. & pro praxi Bonacin. d. 3. de contr. q. 2. p. 7.

§. IX.

De venditionibus & emptiõibus, nomine alterius factis.

Venditio alieno nomine.

1. **S**I tibi famulo, vel mercede conducto res tanti v. g. decem aureis vendenda tradatur à Domino, multo magis, si dicat: *Vende justo pretio*, tu autem vendas sexdecim, vel summo justo pretio, nec illum aureum, nec aliquid tibi potes attribuere, quia res vendenda tota fit, ut ita dicam, fructifera Domino. Dices, at Dominus in priore casu determinavit pretium; respondeo, censetur à determinasse, ne mino-

ne minoris venderes, non quod tibi cesserit reliquum (nisi exprimat, saltem tacite, ut mox) nemo enim censetur prodigere rem suam.

a *Molin. d. 363. Less. d. 18. Fag. l. 5. c. 26. Salas d. 45.*

Dixi (tu vendas summo justo pretio) si enim vendidisti supra summum, nec tibi ille excessus, nec domino rei cedit, sed emptori, utpote decepto reddi debet. Huc faciunt, quæ dicam num. 11.

2. Quando autem dominus indeterminate dixit, ut justo pretio venderes, moralis diligentia, hoc est, ea, quam venditores rerum suarum communiter apponere consueverunt, est à te adhibenda, ad inveniendum, etiam summum pretium, pro domino; quia posito, quod ex stipendio susceperis officium vendendi, eam diligentiam tacite promisisti.

3. In eo casu, quo dominus determinavit pretium, illa arte uti potes, ut scilicet statim pro te rem emas, determinato pretio à domino: nam deinde licite vendere poteris plus, seu summo justo pretio, in tui utilitatem, quia vendis rem jam factam tuam.

4. Verum erit naviter cavendum, ne velis fictè emere ad palliandum furtum. Accipe signum veri vel ficti animi satis evidens. In casu, quo deinde forte minoris rem venderes, si tuo damno velis vendere, & rem tibi perire velis, si forte periret, enim vero fincerum animum habes emendi; secus, usuram palliare te voluisse convinceris. Quid, si ad hunc animum nihil advertens, pro te emisisti, & deinde plus vendidisti? respondeo, inspice diligen-

ter, quid sensisses, si ea pericula advertisses? nam inde conijcies, quemnam animum habueris. Profecò vix credo, ejusmodi famulos animum habuisse subeundi illa pericula; volunt enim ipsi certo lucrari; quare ex communiter contingentibus valde vereor, ne fictus sit animus emendi.

5. Quando denique dominus determinat pretium pro se, atque illud plus, quo vendi potest, remittit expressè famulo, justè famulum illud accipere, nimis est clarum: dico, expressè: nam quando famulus, vel pretio conductus ad vendendum, servit mercede, non præsumitur dominus, aliam mercedem, hoc est, excessum illum, quo res plus venditur, velle etiam concedere, ut dixi num. 1. ; id, quod facilius præsumitur, quando gratis & sine pretio quis servit: cujus explicationem jam subdo.

6. De famulo enim hætenus dictum est, seu de eo, qui mercede conductus est: verum si gratis rem alterius suscepisti vendendam, justè vales aliquid tuo labori proportionatum corradere? Justè, docet Fagundez *b*, etiam si expressè dixeris, te gratis venditurum, quia sic mendax fuisses, non injustus; nemo enim tenetur, gratis servire. Molina omnino id negat, quia, inquit, domino putante te gratis suscepisse vendendi laborem, remanet erga te gratitudinis obligatio. Verum Fagundez *d* respondet, hanc fore obligationem animi grati & incertam, quæ interdicere hunc servientem non potest, ne certum suum laborem compenset.

b Fag. l. cit. c Molin. ibid. d Fagund. ibid.

H h h

Fagund-

Fagundez sententia mihi arrideret, nisi unum regulariter obstaret; si enim dominus scivisset, te gratis non servituum, certè elegisset famulum ordinarium, vel amicum, qui sine pretio laborem suscepisset, & quidem illum facile in tanta amicorum frequentia invenisset. Quoniam ergo tu dominum, simulando gratis servire, decepisti, illum indemnem reddere debes, nihil corradendo, ut alibi per aliam occasionem fusius dixi e. Solum igitur aliquid labori impenso proportionatum sumere posses, quando alius fortè invenendus non fuisset à domino, qui gratis servivisset, vel quando dominus facile advertere poterat, te servientem non gratis servire, ut si esses multum pauper, & non vulgarem laborem suscepisses, vel hoc officio vendendi te sustentare soleas; tunc enim præsumitur dominus mercedem servienti nolle denegare: & quidem quando pretium dominus determinat, & nihil se explicans, dat rem vendendam proxenetis ex officio, nec mercedem pro ipsorum labore solvit, semper intelligitur excessum supra determinatum pretium ipsis pro sua mercede relinquere. Sed hi similesque caveant, ne volendo carius vendere, damnum faciant domino rei, nimis debito venditionem differendo.

e lib. 3. de sacrif. Missæ lib. 3. c. 1. § 3. à num. 57.

7. Ex his ultimo dictis colligi potest, quando famulus se vili pretio addidit servitio alicujus, non posse regulariter petere amplius, adeoque nec se occultè compensare, ut ex ibidem f à me dictis satis colligi potest.

f ibid. nu. 59. quib. adde, quæ docet D. cast. li. 2. de just. tr. 2. d. 9. du. 6. & 7.

Emptio alieno nomine.

8. Si te rogavi, ut aliquid mihi emereres, quod cum emere potuisses v. g. decem, emisti octo, non potes illa duo tibi seponere; ratio est, quia eo ipso, quod annuisti emere, acceptasti, utiliter per moralem diligentiam rem meam gerere, & quanti minoris potes, ac si famulus esses, vel mercede conductus. Non igitur approbo g industriam cujusdam famuli, qui emit rem pro se vili pretio, & deinde facta morali, ut agebat, diligentia, & non invento amplius venditore, pro illo vili pretio, ipse famulus vendidit rem domino pro majore currente pretio; non, inquam, approbo, quia erat obligatus, primam eam emptionem pro domino facere; hæc enim est diligentia moralis, ut non prætermittatur occasio emendi vili pretio pro domino, ex industria volendi lucrari pro se; in eo tamen casu id non reprobarem, quo sine fraude famulus putavit, eodem vili pretio facile empturum pro domino, quia tunc per illud (facile &c.) non omisit diligentiam moralem pro domino; & nunc non est sine culpa obligandus, ad distrahendam vili pretio rem jam factam suam, g *Vt videtur approbare Delugo t. 2. de just. d. 26. sec. 9. n. 151.*

9. Quod si hic non possis emere, nisi decem, tu vero in aliam civitatem, seu alium locum à solitis mercatibus extraordinarium te transferas, ut minoris, v. g. octo emas, potes illa duo tibi attribuire, etiam si sis famulus (modo in

do in seruitijs debitis domino, non de-
fis, nec differas emere, cum ipsius dam-
no.) Ratio est, quia non teneris, nisi or-
dinarias diligentias adhibere: hæc au-
tem est extraordinaria; & ex alia parte,
qui utitur eiusmodi industrijs, non in-
tendit domino, sed sibi negotiari.

10. Quid pro ipso mero labore e-
mendi? si quis enim non est mercede
conductus, potestne in aliquo occultè
suum laborem compensare? respondeo,
idem hic dicendum, quod modo de la-
bore vendendi est dictum num. 6.

*Venditio in loco distante, an faveat ven-
denti alieno nomine?*

Vna superest molesta mihi dubita-
tio, an si potes in utilitatem tuam sub-
trahere id, quod lucraris, quando in
aliam v. g. civitatem per extraordina-
riam diligentiam pergendo, rem pro
domino minoris emis, ut diximus n. 9.
ita possis tibi seponere excessum. quan-
do per parem diligentiam in aliam ci-
uitatem pergendo, rem domini majori
pretio vendis? videris certè non posse,
quia, ut dixi num. 1. res pro domino
venditur, & quocumque portetur, do-
mini est, dominoque fructificat; quare
videris solum posse tibi sumere expen-
sas, laborisque portandi æstimationem,
cætera vero debere domino restituere.
Ex alia parte dominus cum rem tibi
vendendam tradit, censetur solum à te
velle pretium vulgare in sua civitate
per diligentiam moralem conquistū,
cætera tibi remittere, nec multum cu-
rare videtur. Quare, quando hic ani-
mus domini probabiliter præsumitur,
qui regulariter videtur posse præsumi

in rebus minutioribus, non apparet ra-
tio convincens, cur tam diligens ven-
ditor eo extraordinario lucro sit defrau-
dandus.

§. X.

*An mercatoris remissio faveat ementi
alieno nomine?*

EX dictis statue, quid sentien-
dum, si famulo vel culibet
mediatori, v. g. sartori ementi
pannum pro domino, dicat mercator,
se remittere aliquid de pretio consueto,
quod est, v. g. decem aureorum, & se
dare pro octo, idque sive propter ami-
citiã cum ipso mediatore, sive ut ip-
sum alliciat ad frequentandam suam
officinam; quid, inquam, sentiendum
est, poteritne justè mediator, sibi eos
duos aureos reservare? statue, in-
quam, posse, quia hoc modo mercator
de suo duo illa mediatori remittit. Ca-
ve autem, ne sic furtum pallies, quod
certè cavebis, quando duo illi aurei ve-
rè sunt de pretio justo rei, & verè mer-
cator sine fallacia, non nisi pretio hoc,
id est, aureis decem, rem illam vendere
est consuetus: secus, non de suo merca-
tor dabit, sed de alieno, & rursus cave-
bis, ut moralem diligentiam ad emen-
dam rem ab hoc vel alio mercatore,
quanti potes, minoris, non omittas: si
enim hanc non apponas, dolum contra
dominum sine dubio committes.

a *l. Molin. d. 302.*

§. XI.

*De deceptionibus occurrentibus in ven-
ditione & emptione.*

Hhh 2 1. Cum

Cum de deceptionibus ejusmodi, quando fiunt ex errore & dolo, superius a aliqua tetigerim, hic in proprio loco ea, quæ nondum sunt explicata, breviter erunt proponenda.

a lib. 3. cum de jur. c. 3. §. u. 21.

De deceptione in pretio.

Quando quis recipit (præscindendo à liberali remissione, quæ, quando præsumitur intercedere, dixi per aliam occasionem superius b) pro sua re minus pretium, quàm valeat, vel magis quàm valeat, emit, ipsi in foro externo non datur actio, si non sit defectus, vel excessus ultra, vel infra dimidium (quis hic sit, lege num. 14i & habes apud Lessium b & Fagundez c:) quia leges civiles voluerunt refecare lites: unde & apud illas invenies, licere ementibus & vendentibus se invicem decipere, usque ad dimidiam partem justii pretij: at omnes Theologi e e communiter docent, debere restitui totum id, cum ejus fructibus fortè perceptis, quod in venditione accipitur ultra justum pretium, seu ultra justum rei valorem, vel quod in emptione de justo non datur Ratio est manifesta, quia nemini licet in conscientia, proximum, ne in obolo quidem decipere.

b *supr. tr. 2. t. 9. §. 1. n. 35. vide etiam inf. c. 8. §. 2. n. 16.* b *Less. lib. 2. c. 21. d. 4. n. 20.* c *Fag. lib. 5. de contract. c. 40. nu. 3. quibus adde Castrop. de just. com. d. 3. p. 17. §. 1. n. 3. passim Jurista. cc l. Less. l. 2. c. 2. dub. 4. num. 21. Delugot. 2. de just. d. 26. sec. 6. & S. Th. Navarr. Mol. Salas, aliosque*

ab eisdem citat. quibus adde Castrop. de just. com. d. 3. p. 17. §. 2. num. 3.

Notarium tamen facientem scripturam de venditione, cum læsione infra dimidium, excuso d à peccato, si non fingit aliam venditionem, sed illam, prout est, publicè scribit, quia ipsum excusat officium suum in re permissa à publicis legibus.

d *Sà & Sal. quos citat. sequiturque Castrop. l. c. n. 5.*

De venditione facta duobus.

2. Si res nondum fuit tradita secundo emptori, tenetur venditor eam priori tradere: *Qui prior est tempore, prior est in jure*; si autem res tradita sit secundo emptori, hic antefertur priori, quia traditio dominium transfert, atque adeo secundus habebit jus in re, quod est fortius, quam jus ad rem, quod solum habebat prior. In hoc tamen casu venditor punietur pœna falsi; erit perjurus, si juramentum adhibuerit, tenebiturque omnia damna solvere priori; qui prior emptor contra venditorem habebit solum actionem personalem, non autem realem in ipsam rem venditam. Quæ dicta sunt, habent locum in locatione, & donatione, si quando duobus eadem res locetur, doneturve.

3. Sunt nihilominus aliquot casus, in quibus preferendus est prior emens, licet res sit posteriori tradita. Primo, quando prior jam solvit pretium. Secundo, quando est adhibitum pactum de non vendenda re alteri, vel ipsa res est data in pignus ipsi primo emptori.

Tertio

Tertiò, quando in prima emptione est appofita claufula instituti, hoc est, quando venditor constituit, se nomine emptoris rem illam possidere. Quartò quando prior emptor est Ecclesia, vel locus pius. Quinto, quando secundus emptor emit mala fide, hoc est, sciens esse alteri venditam; quæ omnia vide apud doctores & latius, apud quos etiam habes, quisnam sit præferendus, quando quis aliquid alicui vendit, & deinde alteri donat, vel contra.

e *Molin. d. 532. & d. 569. Fagund. l. c. c. 36. Less. du. 10 & passim.*

Prætextu minoris pretij venditam rem diminuere.

4. Injustitiæ reus est, qui rem vendit infimo pretio, & partem mercis tradit: si ulna, v. g. panni rigorosè valeat quinque, infime quatuor, non potest mercator *f* vendere ulnam pro quatuor, & non tradere integram panni ulnam, eo colore, ut sibi ejusmodi partem reservet, pro eo, quod deest ad pretium rigorosum. Ratio est, quia sic mercator non staret contractui, & pacto inito cum emptore de vendenda illi integra panni ulna, & sic illum deciperet. Ut interim taceam incommodum non raro sequens; nam emptori non sufficet v. g. pannus ad vestem sibi comparandam &c. nec sufficet huic ægroto, cui necessaria est uncia electuarij, si tu occultè semiunciam tradas.

f Mol. latè d. 357.

5. Neminem puto refragaturum allatæ doctrinæ. Aliud enim est, quod g plures probabiliter docent, defraudantem in pondere, vel mensura, non te-

neri ad restitutionem; quando ita defraudat, ut sibi quid justè compenset: aliud est, quod nos hæcenus docuimus. Nam si lex de pretio alicuius rei esset injusta, vel ementes ex malitia convenirent solvere minus, quàm verè res valeat, posset tunc ad se indemnem servandum, mercator, quando propter coactionem non potest se à vendendo retrahere, aliquid diminuere de pondere, vel mensura.

g Tol. Val. Sorus, Reb. alijque, quos citat sequiturque Salas, du. 35. n. 4.

Ulna v. g. panni valet justè quinque aureis; verum sive ob legem injustam, sive ob potentiam, sive ob malitiam emptorum, ipsi solvunt quatuor; justè mercator dabit minus de ulna panni, quantum scilicet satis est, ad suum justum pretium supplendum: & ratio est, quia pretium, quod solvitur, supponitur esse minus infimo, atque adeo injustum; quare mercator sic diminuendo de merce, inducit æqualitatem, & ex alia parte emptori injusto imputabitur damnum, quod ipsi eidem fortè sequetur, (nisi in aliquo casu magni damni, aliud dicet charitas &c.) At in casu numeri præcedentis, non ita, quia tibi pretium, quod emens solvit, licet infimum, justum tamen est. Et nihilominus puto, si mercator omnino pretio summo volebat vendere, ad quod certè jus habet, & emens compelleret injuste ad vendendum infimo, posse tunc mercatorem sibi pretium sumum, diminuendo de mensura, compensare, quia tunc redit ratio suæ indemnitate, & damnum emptori fortè obveniens, ipsimet merito imputabitur, ut dictum est.

Huc pertinet, quando praxtextu, quod vili pretio vendis, rem de industria deterio-rem reddis: misces v.g. aquam vino, & vendis eo vili pretio, quo re vera illud vinum ea dilutū aqua valet. In quo casu duæ expendi debent difficultates: altera, an tunc pecces contra ementes? & hujus dissolutio colligetur ex mox dicendis à nu. 11, & præsertim n. 27. Altera, an pecces contra alios mercatores, ad quos non accedent emptores, quia allecti à vili pretio, quo tu vendis, ad te confluent? atque ad hanc breviter respondeo, te peccare, cum obligatione restituendi mercatoribus quanti ex morali judicio, eorum interest hoc tuum stratagemata. Ratio est, quia quilibet habet jus iustitiæ, ne vi vel fraude à suo lucro deturbetur: tu vero in hoc casu per tuam fraudem divellis mercatores ab ipsorum iuste parato lucro. Quod certe peccatum restitutionisque onus tu non contraheres, si solum decresceres in pretio tui puri vini: nam tunc sine fraude, & quidem bonis artibus ad te emptores alliceres, & per accidens ab alijs mercatoribus averteres. lege Bardi ff id fuscè prosequentem.

ff Bardi lib. 1. Sil. qu. 2. sec. 1. à n. 14. tit. Delugat. 2. de just. d. 26. num. 135. & Dian. p. 1. tr. 8. res. 80.

Venditio rei vilioris mixta cum pretiosiore.

6. Ab argentarijs & similibus licite venditur argentum & aurum, mixtum cum eo metalli genere, quod dicitur, lege, à ferrarijs ferrum mistum aliquidibus granis arenæ; à fabricaldarijs

æs mixtum cum modico ferro; à vini- toribus mustum, ad quod decoquendum, necessario addenda est modica aqua &c. modo servantur tria: primò, ut misceatur solum id, quod est necessarium ex arte: secundò, quod consuetum: tertio, in parva quantitate: ratio est, quia hæc ita communiter æstimantur & venduntur in foro.

h A7or. p. 3. lib. 8. de empto, & vendite. c. 23. q. 3. ex Cordub. in summ. q. 8.

An vino misceri aqua, ac frumento misceri secale, vel quid simile liceat, innui superius.

i supr. §. 5. num. 4.

Vendere quid pro quo.

7. Vitium id pharmacopolarum est familiare, qui aquas ex herbis extractas, ipsas herbas, radiceve, & varia electuaria ab emptoribus expetita, cum in promptu aliquando non habeant, alia non ab similibus virtutis tradunt, ne in ipsorum officinis deesse illa emptores conquerantur, minusque propterea illas frequentent.

8. Profecto, si certum evidenter esset, eas supposititias res ipsam prorsus pollere virtutibus, nullius culpæ hunc vendentem condemnarem: ceterum dum unum pro alio tradis, primò, e mentem decipis, dando aliam substantiam ab expetita; secundò, accipis certum pretium pro incerto medicamento; tertio infirmi salutem non consulis, & utinam illam aliquando non offendas, dum, medico mandante quoddam electuarij genus, tu aliud, quod tibi videtur non dissimile, cum dissimile fortè sit, in vito porrigis.

9. Solum

9. Solum ergo te à gravi culpa excuso, quando, ut dixi, certus es de æqualitate virtutis, seu, ut universalius loquar, quando certus es, fore æque, vel quasi æque utilem rem ementi; tunc enim is non erit probabiliter in vitis graviter in ea re emenda. Rursus si certo prævideas, damnum fore admodum leve, culpa reduceretur ad levitatem, ratione parvitatæ materiæ: Quid enim damni gravis est, v. g. si ad usum comedendi, iusto pretio tradas unum genus piscium, pro alio parum diverso, vinum ebium pro cretico &c.?

1. Tol. Val. Ledesma, Sotus, Salon, alijque, quos citat sequitur q. Salas, de emptione dub. 35. cit. num. 1.

10. Quoad restitutionem, certum est, te debere restituere excessum pretij, si fortè à te acceptus est supra iustum pretium rei, quam tradidisti, (etiam si ejusdem fuerit utilitatæ) vel supra pretium, quo emptor rem eandem a libi fuisset empturus. Certum præterea, re integra, hoc est, existente adhuc re tradita, te in re gravi obligari ad rescindendum contractum, & ad reddendum totum pretium. Certum denique est, te debere refarcire omnia damna fortè ex tua deceptione consecuta; quæ omnia patent ex regulis generalibus de restitutione.

De fraude, & dolo interveniente in ipsa venditione.

11. Celebris est hæc difficultas, ac millies agitata; nam propterea eam omittere decrevissem, nisi indecorum judicasset, aliud amandare lectorem meum in re valde necessaria & frequen-

tissima, & quod caput est, ita implexa, ut testetur Delugo, *m* etiam Sanchez clarissimum aliàs doctorem; hac in re variè & obscure locutum esse.

12. Advertendum ergo est primò, cum aliquis rem vendit pluris, vel emit minoris, quàm ea valeat, duobus id modis facere potest: primò, ignorans iustum rei pretium; & tunc dicitur deceptio in re ipsa intervenire, & non à proposito: secundò, sciens, & deceptio tunc dicitur à proposito. Rursus hæc, quæ est à proposito, interdum fit cum dolo. ut cum aliquis aliquid fingit, vel mentitur, unde alter decipiatur: interdum sine dolo, ut cum quis absolute rem vendit eo pretio, quod sit supra rigorosum, nihil tamen fingit: quo pacto ementem decipit quidem, seu damnicat à proposito, sed sine dolo.

m Delugo t. 2. de just. d. 22. sec. 6. n. 87. sine.

Advertendum secundò; ejusmodi dolus, vel etiam error, potest accidere, vel circa substantiam rei venditæ, veluti si putes, te emere aurum, & emis aurichalcum; vel circa accidentia, veluti si putans emere vinum vetus, vel equum sanum, emas vinum novum, vel equum claudum: quid intelligatur hic nomine substantiæ, & nomine qualitatis, explicabitur mox n. 17. clarius.

13. Advertendum tertio: ipse dolus, seu error substantiæ, vel accidentium dupliciter potest intervenire in contractu: primò, ita, ut dolus vel error det causam contractus: id est, si error, vel dolus non adesset, nulla ratione ini-retur contractus: secundò, ita ut incidat in contractum, id est, patiens illum dolum, vel habens illum errorem, contra-

here-

here quidem, sed non tanto pretio, v. g. emisisset quidem illum equum, etiam si scivisset esse claudum, sed viliori pretio; id quod ex conscientia & verbis seu scriptura patientis dolum, est conjiciendum. Subadverte, dolum posse provenire, vel ab aliquo ex contrahentibus, vel ab aliquo tertio, sciente & consentiente ipso contrahente, vel denique ab aliquo tertio, nihil scientibus ipsis contrahentibus: quando tertius est procurator, tutor, negotiorum gestor alterius, non dicitur verè tertius, sed cum faciat unum cum ipso, dicitur unus ex contrahentibus.

14. Advertendum quartò: quando venditor non recipit dimidium justæ estimationis, ut si res infimo pretio valeat viginti, ipse autem vendat novem, dicitur decipi infra dimidium: at vero quando emptor solvit plusquam dimidiam partem justæ pretij, ut si res valeat rigorosè decem, ipse emat sexdecim, dicitur esse deceptus infra dimidium, ut per occasionem num. 1. item innuimus. His præmissis sint hæc tres regulæ.

Regula prima, quando dolus contrahentis dat causam contractui.

15. Si dolus sive gravis, sive levis, vel error, sive in substantia, sive in qualitate, seu accidentibus, det verè causam venditioni, vel cuicumque contractui bonæ fidei, & dolus proveniat ab altero ex contrahentibus, vel à quocumque tertio, cum contrahentis p. consensu, primo contractus est invalidus q. in utroque foro: excipe semper matrimonium, quod validum est, quando non

est error circa substantiam. Vide n. 24. secundò, datur decepto (non decipienti) electio, vel contractum relinquendi, vel eidem standi, cum compensatione ejus, in quo ipse innocens læsus fuit: tertio, idque etiam si deceptio sit ultra, aut infra dimidium; ratio primi est, quia ubi deficit consensus, deficit contractus; at hic omnino deficit consensus, id enim est, dolum dare causam contractui, ut dictum est n. 13. Ratio secundæ est favor, qui debetur innocenti. Ratio tertij est, quia sic meretur (etiam in foro externo) qui dolosè agit. Immo autoritate propria, etiam ante judicis sententiam, ipsum resilire à contractu posse, si velit, mihi dubium non est, quia ubi nullus fuit ejus consensus, ibi repellere contractum proprio jure potest.

o lege Delugo t. 2. de just. d. 22. sec. 7. num. 142. p. Molin. d. 259. c. 352. Fagund. de contract. lib. 5. c. 42. alios citatos. q. Less. l. 2. c. 17. d. 5. aliosq. apud Delug. t. 2. de just. d. 22. sec. 6. à num. 70. quorum horum aliqui dicunt, esse rescindendum hunc contractum; alii, esse ex jure naturæ validum ex una parte.

Dixi autem (contractui bonæ fidei) contractus enim stricti juris in casu hoc, quando dolus dat causam contractui, validos esse, sed rescindendos, multorum fert opinio; id quod lege apud citatos doctores, & ego innui superius c. 6. §. 2. num.

16. Quid, si error sit in substantia, vel qualitate, dantibus causam contractus, sed nec aliquo ex contrahentibus, nec alio tertio dolum machinante? respondendo, si sit error in substantia, nullus est contractus, quia nullus est consensus, ut

fus, ut patet ex dictis de contractibus in genere; si sit in qualitate, dicam mox in notatione prima.

17. Petes, quid hic intelligatur nomine substantiæ, & nomine qualitatis? respondeo, id permaximè refert cognoscere, ne in multos errores prolabaris. Certum est ergo, non intelligi hæc physicè. Si enim tu velles emere equum ad iter multorum dierum, vel ad prolem gignendam, & loco equi juvenis daretur tibi equus annosus, certè non esset deceptio in substantia physica, & tamen esset error in substantia, in re nostra.

Et quamvis in matrimonio deceptio illud irritans sit ea, quæ affert errorem in persona & substantia physica, vel etiam in qualitatibus, quando hæc refunduntur in errorem personæ; at in alijs contractibus magis latè patet deceptio in substantia, sita nimirum, ut nomine substantiæ intelligatur illud objectum, quod principaliter, & ferè adæquatè movet hominem ad contrahendum; nomine qualitatis, illud, quod minus principaliter. Quare si notabiliter res differat ab objecto à te intento & cogitato, dicetur adesse error in substantia: si differat leviter, dicetur adesse in qualitate. Affert Sanchez in simili duo exempla, & alia nos attulimus, cum de voto t, quem locum relege. Si quis enim voveret religionem, putans in ea carnes solere comedi, si inveniat in ea perpetuam illarum abstinentiam, error erit in substantia voti, quia notabiliter religio inventa variat à religione à se cogitata & intenta, atque adeo irritum erit votum: secus, si inveniret, semel v. g. in hebdomada je-

junari, quia non notabiliter variat &c. Pari modo si quis te decipiens dicat, Romam parum distare, & ideo ejus peregrinationem voveas, deciperis in substantia, si multum distet; at deciperis in qualitate, si non multum distet ab eo, quod dictum tibi est. Advertit tamen idem Sanchez, illud (parum & multum) debere sumi respectivè, non absolute; siquidem respectu nobilis puellæ, multum quid erit distantia pedestris decem miliarium, quæ non erit, respectu rustici; & in magno numero parva deceptio erit illa, quæ magna reputabitur in parvo. Si enim v. g. cogites locum distare per quindecim miliaria, cū distet per triginta, magnus erit error, & substantialis: at si putes, distare per trecenta, & distet triginta, parvus erit & in qualitate. Ex his igitur in casu nostro ille error vel dolus erit in substantia, qui te decipit notabiliter, quoad rem cogitatum, in ordine ad contractum, quem celebras; qui leviter decipit, erit error in qualitate.

x de hoc vide Basilium Pant. lib. 4. de matr. c. 22. & ibid. citantis Thomam Sanch. & Aegidium. s. Sanch. l. 4. summ. c. 2. nu. 11. & supr. l. 3. c. 13.

Regula secunda, quando dolus contrahentis incidit in contractum.

18. Si error, vel dolus non det causam contractui, sed in contractum incidat, quamvis alter contrahentium in illo communicaverit, illumque sciverit, contractus est validus & in utroque foro; tenetur tamen decipiens, reducere contractum ad æqualitatem, atque

omnia damna decepto refarcire. Ratio est, quia hic adest consensus ad rem, seu ad substantiam, & solum deest ad accidentia: hoc enim est, dolum incidere in contractum, ut num. 13. explicuimus, ergo non est, cur non sit validus contractus: debet tamen, ut dictum est, reduci ad æqualitatem, suppleto de pretio, quod deest: unde fit, ut si fit deceptio ultra dimidium, ad huc sit validus contractus, sed supplementum afferre etiam per forum externum compelletur decipiens: nam si deceptio non fuerit ultra dimidium, solum compelletur per forum internum, ut num. 1. vidimus.

a Molin. d. 352. §. quarta conclus. Less. l. 2. c. 17. d. 15. num. 28. Fag. l. c. l. c. dilecti de emptione.

Regula tertia, quando dolus tertij dat, vel non dat causam contractus.

19. Si error est in qualitate (nam si est error in substantia, ut si habeas vitrum pro gemma, jam ex regula generali dicta num. 15. semper contractus est nullus, quia nullus est consensus) si, inquam, error est in qualitate, estque is inductus à tertio, nihil scientibus contrahentibus, siue error vel dolus non dederit, siue dederit causam contractui, contractus est in utroque foro validus: secundo, datur actio decepto, ut possit agere contra tertium decipientem, tum de damno, tum de dolo: tertio, non datur facultas decepto relinquendi contractum, sed solum petendi supplementum pretij, si quod fuit. Ratio primi dicti est, quia, quando in

contractibus onerosis dolus est inductus à tertio, immo etiam quando ipsemet contrahens sua falsa opinione se decipit, adest sufficiens consensus ad contrahendum: omnes enim implicite se intendunt obligare, quoties ipsi contrahentes non participant de dolo; nisi enim sic intendatur, nullus unquam contraheret, essetque continua discordiarum seminatio, cum possent semper homines dicere, se deceptos esse; se, si scivissent, non contracturos fuisse &c. nam propter eandem rationem, quando bona fide duo contraxerunt, nullo dolum machinante, si deceptio sit in pretio, erit validus contractus, sed solum agetur de supplemento &c. Ratio secundi est indemnitas decepti; & adverte, inter cetera damna esse etiam excessum, quo patiens dolum emit rem, quam similem minoris emisset alibi, ut manifestum ex se est. Ratio tertij est, quia si in hoc contractu est sufficiens, licet implicitus consensus, ut diximus, constabit contractus; quare non erit ratio, cur rescindatur.

c Less. Fag. Mol. cit. d. Fag. lib. 5. de contract. c. 42. n. 16.

20. Scio, Lessium e putare, esse rationem, cur rescindatur, atque adeo hunc deceptum posse in conscientia, antequam à iudice cogatur, non stare contractui, quia verè non consensit absolute, juxta l. 77. ff. de contrahenda emptione: non consensit enim, nisi posito dolo illius tertij. Verum hæc lex non obstat nostro dicto, neque hæc ratio: non ratio, quia hæc solum militat, quando in dolo communicavit alter ex contrahentibus, & militat etiam in dotionibus & promissionibus mere gratui-

gratuitis, ut in legatis, institutione hæredis, & similibus, quæ irrita sunt si error contingat circa causam & motivum principale donandi, undecumque provenierit error, non vero militat in emptionibus & venditionibus, propter rationem modo à nobis insinuatam nu. 19. in ratione primi dicti, lege Fagundez f aliosque.

e *Less. lib. 2. c. 16. dub. 5. n. 33. loquendo quando res est integra, quod certe non est improbabile.* f *Fag. l. c. l. item Mol. tr. 1. de just. d. 209. & Sanch. in Decal. l. 4. c. 2. & Delug. t. 2. de just. d. 22. sec. 2. num. 69. & 89.*

Notationes quatuor circa prædicta.

21. Notatio prima: si emens dicat expressè in hunc modum; *Si vinum non est vetus, nolo illud à te emere* (idem putò, quia æquivalens est, si dicat, *vende mihi vinum vetus, vel illius loci*) contractus g nullus erit, in casu, quo deprehendatur vinum non esse vetus, nec illius loci, etiam nullo præcedente dolo venditoris, vel alterius, quamvis sit error in sola qualitate. Ratio est, quia in hoc casu consensus fuit conditionatus; quare, conditione non posita, nullus fuit consensus; nisi forte adsit aliquando consensus implicitus; id quod evenit, quando dicta res accepta est ejusdem substantiæ, ejusdemque bonitatis, utilitatisque cum illa, quæ à te expectata fuit: ut si vinum novum sit æque bonum, ac vetus; dixi (ejusdem substantiæ) nam si esset diversæ, ut si esset oleum pro vino, nullus est contractus, quamvis tu, si scivisses oleum, etiam emisisses, quia tunc tuus consen-

sus nunquam fuit circa substantiam olei.

g *Dicast. li. 2. de just. tr. 3. d. 1. dub. 6. & tr. 9. d. 4. dub. 1. n. sine.*

Si vero ejusmodi venditionis contractus cum errore circa qualitatem, nequaquam cum prædicta, vel simili conditione fuit celebratus, nullo dolo præcedente, validus erit contractus; ut si emens dicat, *vende mihi vinum*, intendens emere vetus, cum tamen postea deprehendat esse novum. Ratio est clara ex dictis, quia hic adest consensus ad substantiam; error enim solum est in qualitate, de qua hic loquimur, nec emptio facta est sub conditione, quia voluntas ementis mente retenta nihil operatur, nec ex alia parte præcessit ullus dolus, ergo ex nullo capite infirmabitur emptio, quantumcumque dicat nunc emptor, si scivissem, non emissem; atque si justo pretio emptum est vinum, nihil est præterea supplendum.

22. Notatio secunda. Quando dolus dedit causam contractus, & universaliter, quando decipiens ementem decepit, obligaturne semper idem decipiens, monere deceptum de dolo, ut si velit rescindere contractum, rescindat, vel supplementum pretij accipiat? de dolo positivo agimus: nam de dolo negativo, id est, quando vendens nihil dicit, non tamen revelat vitium occultum rei, quam vendit, dicemus mox à n. 32. Respondeo, si res non est integra, v. g. emptor jam bibit vinum novum, non est b venditor obligatus monere, quia superfluum id esset; solum igitur suppleat pretiū: quod si pretium fuit æquale, ad nihil ob-

ligatur,

ligatur,

ligatur, sed solum ad pœnitendum de peccato doli, secundum ejus gravitatem. Si res est integra, erit distinguendum: nam si res æque illi emptori utilis est, non obligabitur venditor mone- re, quia licet emptor involuntariè emerit, nunc verò rem habendo æque utilem, potest præsumi, ipsum assentiri, vel certè nõ valdè esse invitum ad eam rem retinendam: sed in pretio debet semper fieri æqualitas; ut certum est. Quod si non est æque utilis, vel saltem fere æque, aderit certè obligatio monendi, & rescindendi contractum, quia si est in re gravi, sicuti graviter decepsit emptorem, sic graviter continuaret in deceptione. Dico, in re gravi; nam Molina i excusat à mortali vendentes, dum clamant, vinum suum esse vetus, esse talis loci, cum non sit: si enim æqualis est bonitatis & pretij, non graviter (ait) sic lædunt emptores. Verum ego inde etiam hos regulariter excuso, quia jam omnibus est exploratum, eos exaggeratè, & ut alliciant ementes, sic proclamare.

b Mol. d. 351. circa finem. c Mol. l. c.

23. Notatio tertia: quod contractus, quibus dolus causam dedit, non obligent, nec sint validi &c. verum habet etiam si firmati juramento fuerint, quia juramentum promissorium adhærens contractui, semper intelligitur conditionatum, id est, si contractus est validus; id, quod clarè docuimus lib. 3. cum de juramento, & docet Fagundez loco citato cap. 42. num. 11. Alijque.

24. Notatio quarta: hætenus allata nõ omnia procedunt in contractu matrimonij, de quo alibi l. à nobis dictum est, & poterit legi Sanchez m, nec in

sponsalibus n, quæ cum tendant ad insolubile vinculum matrimonij, requirunt omnimodam libertatem, immo nec in professione religiosa, nec item in votis biennij Societatis Iesu, de quibus videri poterit Delugo o.

l. sup. l. 3. §. 5. num. 26. m Sanchez l. 7. de matr. d. 18. & deinceps. n Sanchez l. 1. matr. d. 62. n. 3. o Delug. l. c. nu. 88.

De vendente rem, cujus vitium non cognoscitur ab emente.

25. De vitio intrinseco rei agimus, quod est, quando res ipsa, quæ venditur, non habet solitam bonitatem, intentam ab ementibus; nam vitia, ut sic loquar, extrinseca, non esse necesse aperire, colligitur ex superius dictis p; extrinsecum autem vitium illud appellamus, quod rei pretium diminuit, ratione alicujus extrinseci, ut ob abundantiam brevi superventuram, ob raritatem futuram emptorum &c. de qua re ibidem dictum est satis.

p sup. §. 4.

26. Iam vero certum in nostra hac quæstione est primò, vendentem, sive interrogatum, sive non interrogatum, qui tacet vitium intrinsecum notabile rei, quam vendit, quo cognito emptor non emisset; irritum, sive certe irritandum facere venditionis contractum, peccare, & ad restitutionem obligari. Ratio est, quia, tunc, cum dolus det causam contractui, decipitur in re gravi emptor: unde debet ipsi restitui, etiam in foro conscientie, pretium: immo ad illud rehabendum datur in foro externo actio, quæ vocatur redhibitoria.

q *Molin. d. 353. Salas dub. 34. num. 4. Valentia t. 3. d. 5. qu. 20. p. 3. & 4. ex S. Th. 2. 2. q. 77. ar. 3.*

27. Certum est secundò, in eodem casu, si cognito vitio adhuc emptor emisset, validum esse r contractum propter consensum implicitum (nam supponimus, rem esse ejusdem substantiæ) nec peccari à vendente, quia si diminuitur de pretio, & adhuc emptor emisset, illi damnum non infertur, verum, tum in foro externo (nam in hoc casu datur emptori actio, quanti minoris) tum in foro conscientiæ, semper reddi debet excessus, si forte is excessus fuit, & præterea post emptionem monendus erit emptor de eo vitio, ne scilicet is rem eandem majori pretio alteri vendat, puta, ut non vitiatam, cum tamen vitiata sit, vel ne damnum faciat alicui res vendita, ut si esset equus calcitrosus &c.

r *Dicastill. lib. 2. de just. tr. 9. d. 4. dub. 3. num. 35.*

Ex dictis excusarem s vendentem, proportionato juxta vitium pretio vinum, quod venditor scit, brevi corrumperendum, si ipse probabiliter putet, ab emptore brevi, & in usum communem esse consumendum, quia tunc nulum damnum infert ementi; secus, si probabiliter putet, ab emptore esse servandum, quia tunc illud vitium occultatum in ipsius ementis damnum cederet, ut etiam cederet, si vinum illud esset adhibendum ad medicamenta &c.

s *l. Medinam non excusantem c. de rest. q. 34. & 35. & Salonium excusantem 22. q. 77. art. 3. sed sunt conciliandi modo, qui hic à me ponitur.*

At unde sciam, emptorem fuisse, vel

non fuisse empturum? respondeo, ex circumstantiis, ex ejus fine, ad ejus juramentum &c. ut modo innui nu. 17. in simili; quandonam obligetur venditor monere emptorem, ut rescindat contractum, remque reddat, pretiumque resumat, satis item superius t innui.

t *Modo in notatione secunda nu. 22.*

28. Certum est secundò, quando vitium, quod tacetur, non est notabile, respectu finis vel voluntatis ementis, validum item esse contractum, & insuper, si propter illud vitium aliquid diminutum est de pretio u, nihil esse restituendum. Quod si non sit diminutum, restituatur excessus: immo & admonendus erit emptor, ne cum eodem vitio pluris alteri cum injustitia vendat, vel damnum alteri faciat, modo jamjam dicto num. 27. Cum autem hic supponamus, emptori voluntariam esse emptionem, quoad substantiam, vitium vero esse leve, non erit saltem id peccatum mortale, quando pretium fuit justum.

u *Less. l. 2. c. 21. n. 90. Mol. l. c.*

Dixi (respectu finis) si enim est æque utilis, habuisti superius x.

x *sup. num. 22.*

Dixi (respectu voluntatis) nam si voluntas ementis explicita vel tacita, fuit conditionata, sic; Si res talis est, si vitio caret &c. emo; secus, non emo, invalidus erit contractus, ex defectu conditionalis non purificatæ, ut dixi superius &c. z

z *sup. num. 21.*

Ex dictis nu. 26. colligitur, is, qui semina corrupta vendit pro recentibus, qui medicinam effatam pro efficaci,

qui ovem morbidam pro sana; qui servum furacem pro probro; qui pannum, vel galerum notabiliter adustum, vel cariosum pro firmo; qui vinum, vel frumentum, quæ diu servari nequeunt, si videt emptorem vel le diu notabiliter hæc servare, qui rem litigiosam pro secura; qui rem amissionis periculo subjectam, (ut sunt v. g. bona hæretici, quæ à die commissæ hæresis confiscationi subjacent) pro non subjectis &c. colligitur, inquam, is peccare contra justitiam, obligarique ad restitutionem, tum excessus pretij, tum damnorum, quæ fortè inde sequentur, qualia essent, si cæteræ oves morbidæ fierent, si mors contingeret fumenti medicinam illam &c. Ratio autem est, quia venditor rem venalem exponit, onerosum contractum per venditionem celebrare intendens, debet, sicut bonam monetam accipit, ita & tradere rem utilem: nam propter eandem rationem tenetur de evictione, id est, tenetur jacturam rei refarcire, si ab alio contra eamentem res evincatur &c.

29. Adverte, si sine fraude, vel culpa ignoretur vitium ab utroque contrahente, solum erit suppleendum pretium, si justum non fuit: quod si fuit error in substantia, poterit emptor, si velit, ratificare emptionem, sed & poterit renuntiare: at si fuit sincerè celebratus contractus, sub protestatione cujuscumque vitij fortè aperiendi, cum tunc adsit hæc conventio, ne pretij quidem supplementum erit conferendum, quando juxta periculum apparenti vitij taxatum est pretium; id enim operatur non injusta illa conventio.

Audio, alicubi esse legem seu consuetudinem, ut res, præsertim animalia, semper vendantur sub ejusmodi conventionione, quam certè approbo, ad tollendas lites. Immo non improbabiler putarem, id etiam tacitè fieri in occultissimis quibusdam vitijs, quæ non solent cadere in communem cognitionem; secus, vendenti servum vel equum, qui post unum, vel alium diem moritur apud emptorem, posset ipse emptor litem movere, dicens, morbum causam mortis fuisse ante emptionem in servo & equo, non postea, atque adeo velle sibi reddi pretium, vel certè majorem ejus partem; opponente interim venditore, morbum fuisse repentinum, atque ex præsentia causa; ni sic sibi emptor persuadeat, advocet anatomicos, equi viscera ex arte naviter exploraturos. Quis iudex his nugis vacuas aures daret? & ratio esse ulterius potest, quia tanti res apud communem æstimationem valet, quanta ejus bonitas bona fide apparet, qui nullum respectum habere ad occultissima hæc vitia consueverunt; vide, quæ non multò post dicam num. 34.

a *Quidquid dicat in contrarium Bartol. à S. Fausto in Specul. confes. diff. 6. qu. 16.*

Porro quatuor supersunt quæstiones, faciles duæ, duæ, quæ aliquantulo molestiores.

Res vendita solum vitiosa ex parte.

30. Quæstio prima facilis, quando plura simul venduntur, quarum aliqua sunt notabiliter vitiosa, aliqua non item, eritne validus, an invalidus contractus?

Respon-

Respondeo *b* vel res habent inter se connexionem, spectato fine euentis, & invalidus erit, quoad omnia; frustraretur enim suo fine emptor; vel non habent, & tunc validus erit, quoad partem non vitiosam, quia tunc maxime militat illud juris: *Vtile per inutile non vitiatur*. Exemplum: vendis duos equos ad equitandum? constat venditio, quoad alterum equitatum aptum, si alter ineptus inveniatur. Vendis eodem duos equos ad rhedam trahendam? nulla est venditio, si alter ex equis inveniatur ineptus.

b Bonac. de contract. d. 5. q. 2. p. 6. nu. 3. alios citans.

Fructus rei vitiosa vendita cuius?

32. *Quaestio secunda facilis.* Quando propter precedentem dolum resumit venditor rem, quam vendidit, cuius erunt ij fructus, quos forte produxit res sic empti? respondeo, cum res fructificet domino, eidemque pereat, quando contractus fuit invalidus, fructus erunt venditoris (ut etiam ipsi res perijisset, si perijisset) deductis tamen expensis ab emptore forte factis & compensato damno, si quod ab eodem ex vitiosa illa venditione acceptum fuit. At vero quando fuit validus, erunt emptoris, quia tunc emptor factus fuit dominus rei.

c Idem ib. num. 78. alios citans.

Vitium patens an manifestandum?

32. *Quaestio tertia molesta est,* an vitium patens notabile rei, v.g. equum esse monoculum, debeat ex Iustitia

manifestari emptori, qui illud non advertit?

Respondeo, hac in quaestione maxime advertendum est, aliud esse tacere, seque habere negativè, aliud, verbis aut facto, positivè abscondere vitium. Hoc posterius numquam licet: unde damnamus passim eos, qui de nocte, vel sub tenebris, vel admixtas cum bonis data opera merces vendunt, ut earum vitia non advertantur, & eos, qui infundunt guttam argenti vivi in equum hebetem, quo generosus appareat; & eos, qui sub verbis his tegere satagunt suae rei, v.g. equi vitium, vendo hunc equum quasi caecum, quasi claudum, quasi sacco (sic loquuntur Sicali) plenum ossibus &c.; ratio est, quia quidnam est decipere, si hoc non sit? tegere volunt (dixi) nam si sic dicant sincerè, ne teneantur ad damna forte futura, vel forte occulta, tunc profectò non est positivè decipere, sed prudenter agere, ut modo num. 29. dictum est: illud prius, hoc est, tacere manifestum vitium non est improbabile, carere iniustitia, si res vendatur iusto pretio, & sine periculo damni alterius, quia venditor non obligatur facere partes emptoris, ostendendo ea, quae ex se patent, & videre facile potest emptor. Si tamen ex inculpabili inadvertentia, vel hebeti sensu, vitium manifestum emptor non videat, obligabitur venditor, illud ostendere, quia venditor obligatur tradere rem, non vitiosam; & ex alia non habet hinc excusationem ductam ab emptoris prudentia, cui se committere possit.

d Turr. d. 58. dub. 2. alijque apud Dia. p. 1. tr. de contr. res. 39. Bonac. l. c. n. 13. 4-

Interroga-

lios citans Dicaſtill. l. 2. de juſt. tr. 9. d. 4. dub. 2. num. 10. cit. D. Th. Mol. Azo. Nav. alioſque.

Interrogatus de vitio, quid respondebit ?

33. Quæſtio quarta præcedente mo-
leſtior, an venditor interrogatus de
mercis bonitate vel malitia, obligetur
ſemper & quæcumque vitium no-
tabile pateſcere ? reſpondeo, obligari,
non ſolum, quando expreſſè, ſed etiam
quando tacitè emptor oſtendit, ſe vi-
num v. g. emere, quia illud diu ſer-
vare vult; id enim eſt, tacitè interrogare
de bonitate vini. Ratio eſt, quia ſecus,
dolus daret cauſam contractui, & con-
ſequenter invalida eſſet venditio. Ex-
cipe primò, niſi venditor ſincerè, & ſine
fraude apertè emptori fateatur, ſe nolle
rem ſuam vendere, niſi prout eſt, juxta
modo dicta num. 29. Excipe ſecundò,
quando vitium eſt parvi momenti,
quo etiam cognito, judicatur ex cir-
cumſtantijs emptor empturus fuiſſe:
tunc enim dolus non dat cauſam con-
tractui, ſolum reſtituendus erit exceſſus
pretij, ſi carius, quàm valeat, res ven-
dita ſit. Verum ſi vitium ſit dicti parvi
ponderis, & nihilominus ex circum-
ſtantijs cognoscatur, eo vitio cognito,
emptor empturus nequaquam fuiſſe,
invalida eſt venditio, quia ea tunc æ-
quiparatur venditioni conditionatæ, ſic,
Nolo emere, ſi adſit hoc vitium. Cum igitur
adſit vitium, deerit conſenſus, ut ſu-
pra dictum eſt in notatione ſecunda, &
conſequenter obligabitur venditor,
pretium totum reddere, remque
ſuam ſibi reſumere, niſi aliter voluerit
emptor.

De vendente rem incogniti valoris.

34. Iam vero occasione vitij non
cogniti in re, de quo hætenus diſputa-
vimus, dicamus aliquid primò, de va-
lore rei non cognito, ſecundò, de ipſa re
non cognita, tertid, de vitioſa ſolutio-
ne per monetam falſam. Quoad pri-
mum, id explicabitur diſcutiendo ven-
ditionem quamdam, quam olim Meſ-
ſanæ contigiſſe, memini.

Nobilis quidam vir vendidit cui-
dam, exiguo pretio, vas antiquū præ-
grande in conchæ formam expanſum,
rudis aſpectus, & ut putabatur, ex vul-
gari metallo fuſum; voluit ergo em-
ptor ex vaſe illo centum circiter libra-
rum ponderis, aliud elegantioris for-
mæ, & magis ad uſum accommodatum
conſtare; ſed inter fundendum adver-
terunt periti artiſices, illud conſtare ex
ære Corinthio pretioſiſſimo; quare ſe-
paraverunt auri puriſſimi quaſi libras
triginta, totidem circiter argenti, reli-
quum æris ac ſtanni. Ut rem venditor
inaudiſt (ſtatim enim fama, quaſi de
invento theſauro per urbem increbuit)
ad judices rem detulit, recuperaturus,
ſi potuiſſet, pretium, ut ipſe clamabat,
juſtum rei à ſe per errorem venditæ.
Quid judices illi decreverint, ego gra-
viſſimis tunc diſtentus negotijs non
adverti: nunc vero, cum hæc ſcribo,
ejuſmodi caſus in mentem venit, &
quid decernendum in conſcientia fuiſ-
ſet, ſubſcribo,

35. Profecto caſus novus non eſt, ſo-
let enim de eo diſputari ab authoribus
ſub exemplis de gemma, herba pre-
tioſa, rudi auro, & ſimilibus, ab emen-
tibus vel vendentibus minus cogni-
tis,

nis, de quibus, antequam resolutionem de incognito illo vase afferā, sic statuo.

e *Salo. Less. Bannes, Mol. Reginald. alijque apud Dicast. lib. 2. de just. tr. 9. disp. 4. dub. 9. n. 133.*

36. Si quis emit vitrum, quod communiter tale existimabatur, & pro vitro illud alteri vendidit, sed deinde in manu tertij cognita est gemma, ad nihil tenetur hic posterior emptor, si citi nec ille prior, si illam post emptio- nem, ut gemmam cognovisset. Idem solet dici, ut mox *f* dicetur, de herba pretiosa, quę casu in fasce lignorum invenitur ab emente bona fide eum- dem lignorum fascem. Ratio est, quia tanti valet res, quanti aestimatur com- muniter: communiter autem, ut vi- trum, & ut herba vulgaris illa aestima- bantur, sicuti nunc supponimus, ergo non pluris vendi debuerunt.

¶ *mox num. 42.*

37. Dixi primò, (communiter tale existimabatur) nam si fuisset me- rus error, vel deceptio vendentis, ut si puer à matre gemmam suffuratus, eamque putans vitrum, ut tale vendi- disse, vel aurifex *g* à rustico vili pre- tio gemmam emisset, sine dubio talis venditio vel rescindi deberet, vel redu- ci ad aequalitatem, juxta voluntatem decepti, quia esset error in substantia eius rei, quę communiter maiori pre- tio digna judicatur, sicuti etiam, si quis rem emit, datque monetam fal- sam, seu adulterinam, ut comperit er- rorem, compensare debet, quia ven- ditores & emptores tenentur, ex ipso contractu, se reddere indemnes in re, & in pretio secundum communem existimationem. In casu autem *n*,

36. cum communiter ea res vilis aesti- maretur, merito dictum est, cmentem ad nihil teneri.

g Delug. t. 1. d. 6. sec. 21. n. 227. versu secundo difficilis est.

38. Dixi secundò, (si post emptio- nem cognovisset) nam si cognovisti antea, ut accidere solet, si rusticus tibi vendat aliquid simile in campis re- pertum, est maior difficultas; & ego sic distinguerem. Vel cognovisti viri- bus ingenij tui, in fasce lignorum venalium herbam pretiosam, & tunc posses emere pretio communi, quia communiter pro re vili illa herba aestimatur, & tuę arti illa felix fortuna debetur. Vel cognovisti ex vi artis ordinarię, vel certè cognoscerent ceteri ejusdem artis communiter, ut si rusti- cus tibi aurifex venderet frustum auri rudis, ut si tibi mercatori venditor of- ferret merces communes, vel monetas, quas ipse venditor viles putat, & tunc non potes emere, vel accipere pro ære, vel simili re vili, quia tunc jam adest pretium naturale, quod est illud, quo aestimari solet ab expertis, quibus in- cumbit, pretia rerum aestimare. De- bes igitur pretium hoc commune dare, immo si interrogaris de valore rei, ut dixi num. 33. totam bonitatem rei ma- nifestare teneris *h*, ut scilicet venditor eligat, quod pretium velit, summum, medium, an infimum? aliqui *i* pu- tant, si non interrogaris de valore rei, posse te dare infimū pretium, nihil ma- nifestando de ipsius rei valore; sed id mihi difficile est, quia semper remanet scrupulus idem, qui est, quando in- terrogaris; semper enim venditor de- bet eli-

kkk.

bet. eli-

bet eligere pretium ad libitum suum ex illis tribus, quod velit, non tu, dando infimum.

h. l. Mol. d. 353. Salas. alios citan. tr. de empt. & vendit. dub. 36. n. 3. i. Insinuat Delugo t. 2. de just. d. 26. sec. 8. n. 126.

39. Lege Molinam *ll.*, qui etiam damnat illum emptorem, qui dicit rustico, vendas hoc tanti, & reliquum pretij condona mihi: nam licet ille condonet, non est tutus emptor, quia ille non condonat libere, sed ex pacto, sine quo emptor non emerit; nisi recurrat doctrina de vltronea merce, vel quid simile, ut suo loco vidimus.

ll. Molin d. 353. §. Caiet. Salas, alij cit. tract. d. empt. dub. 36. n. 3.

40. Quod si tu & rusticus æquè nesciretis, sed subdubitaretis de valore rei, & nihilominus ex communi consensu scienter de certo pretio conveniretis, sed postea pretiositas vel vilitas apparet, ad nihil alteruter tenetur: patet ratio, quia fuit æquale periculum. Si spes maior concepta fuerit de valore à tali emente, aliquanto maius debet pretium afferri, ut emptio reducatur ad æqualitatem, ut ex se patet.

41. Iam redeamus ad Corinthium vas. Quoniam communiter per tot annos, illud satis vile æstimatur, pu- to, ementem ad nihil teneri, quia tanti emit, quanti valebat; non pluris autem valebat; quia communi iudicio, etiam peritorum, pro communi metallo reputabatur. Neque dicas, in hac emptione vasis, per quam emitur aurum pro ære, adesse errorem in substantia, qui invalidat omnem contractum: ne id dicas, inquam: pernego

enim, adesse errorem substantiæ: cum enim vendatur & ematur hoc vas, quod tibi est in prospectu, quodque manibus contrectas, tota hac vasis substantia venditur & emitur, quasi implicito pacto, quacumque tandem illius materia fit, quod implicitum pactum non est in volente emere gemmam, quam deinde invenit vitium habere, vel contra.

Venditio rei in se non cognita.

42. Modò res erat cognita, v. g. gemma, sed eius valor, seu qualitas non cognoscebatur; nunc ne res ipsa quidem, quoad substantiam cognoscitur, seu videtur; ut si in fasce lignorum adfit confusa herba pretiosa, quæ non videatur, & ut si in sacco lupulis pleno fortè ab hostibus erepro, inveniatur deinde gemma, vel aurum non prævisum. Quæritur jam, cuiusnam erit hoc aurum, si à milite tibi venditus fuit, ejusmodi saccus? Lessius *l.* cum Castropalao *m.* absolute respondet; Delugo *n.* distinguit; Lessius enim, sic habet. Miles, qui excussit hosti, saccos lupulo refertos, in quibus erant, lamina aureæ reconditæ, non fuit factus Dominus illarum, cum illos vendiderit, antequam sciret, quid lateret. Hæc Lessius.

l. Less. lib. 2. c. 15. n. 62. m. Castrop. de just. in genere dis. unica p. 13. n. 13. n. Delug. t. 1. de just. d. 6. sec. 17. m. 129.

A quo si petas, cur miles non est factus Dominus? respondebit, quia Dominium sine possessione non acquiritur? possessio autem sine scientia esse nequit:

nequit: debet enim esse apprehensio voluntaria rei &c. Atque ex hac Lesij doctrina sequitur, tuum esse illud aurum, quia tu illud invenisti, & primus occupasti.

Verum Delugo sic merito distinguit: „ si miles saccum eripuit, volens, pro „ ut fieri solet, illum occupare, quid „ quid id esset, factus fuit Dominus au- „ ri: fat enim voluntaria sic fuit auri „ apprehensio. Si autem intentio- „ nem applicauit ad lupulum, quia „ nihil aliud contineri credidit, non ac- „ quisit dominium auri, sed remanet „ aurum in dominio eius, cuius erat „ saccus. Hæc Delugo, ex qua distin- „ ctione

Dico, si tibi is saccus fuit venditus à milite Domino, illi deberi aurum: si à milite non Domino, deberi aurum illis, à quibus ereptum est. Quod si sint hostes, aurum erit illorum, qui jus habent, eos spoliandi, quales sunt principes & respublica, à quibus tu minori pretio emere poteris, quasi in præmii- um talis manifestationis: quod si denique facta diligentia, Dominus nosci non possit, inter incerta bona computandum erit, atque adeo ex nostra sententia erit primi occupantis, ut suo pp loco dicetur.

o. *Castrop. l. c. pp infr. tr. 4. c. 1. §. 3. n. p. a. fert. 15.*

Ex qua doctrina confirmari potest decisio num. 41. allata de vase illo Corinthio: cum enim incognitum fuerit aurum, nemo ejus dominium habuit, nisi is, qui primus illud nouit atque occupauit.

Solutio per monetam falsam.

43. Hic hujusmodi dolus locum habet opportunum, cujus sufficiens notitia dabitur, si error recentioris scriptoris hac occasione, ipsius pace, corrigatur.

„ Is ergo sic p. habet. Possessor bo- „ ne fidei monetæ falsæ, quam ponit „ inter alias suas monetas, potest illam „ expendere pro bona moneta, etiam „ sciens, illam esse falsam, ex Navarro „ Manualis cap. 17 num. 167. Hæc ab- „ solutè Zambellus, perinde falsam do- „ ctrinam afferens, sicuti de falsa moneta „ loquitur: ergone, si inter centum gem- „ mas à me bona fide emptas, inueniam „ decem falsas, easdem tertio pro veris „ etiam has decem vendere poterò? „ quis id vniquam permittat? nam si „ ego à te siue dolo malo, siue inculpate „ decipiar, non propterea possum alium „ tertium decipere; nec, si tu à me quid „ furaris, poterò ego alterum tantum fu- „ rari à tertio; non igitur hæc est do- „ ctrina Navarri, quam Zambellus ei „ ascribit. Navarrus enim loco citato „ rectè, licet non admodum clare, di- „ stinctionem veram tradit. Explico: „ Moneta, vel primo falsa est ex mistio- „ ne metalli vilioris, vel secundò, ex de- „ fectu ponderis, vel tertio, ex signo re- „ gio, quod à falso monetario priuata „ autoritate monetæ justæ ponderis ju- „ stique metalli imprimitur, cum debe- „ ret imprimi autoritate regis.

44. Dico primo, cum Navarro q, si expendatur moneta falsa primo, & secundo modo, peccari contra justitiam, & cum obligatione restitutionis. Adde ego

ego (ad explicationem maiorem) cum eo discrimine , ut si cognoscens falsitatem, id facias, pecces , cum obligatione restitutionis ; si eam inculpate non cognoscens non pecces, sed statim ac cognoscis, obligaris ad reficiendum pretium ei, qui damnum sentit : obligaris autem non ex injusta actione, sed ex obligatione, quam habes, solvendi justum pretium pro re empta.

q idem docet Molina t. 3. d. 702. n. 12.

45. Dico secundò, cum eodem Navarro, si expendatur moneta falsa tertio modo , non peccari contra iustitiam ; esto enim, peccaverit is, qui signum regium ementitus est, non peccas tu, qui expendis, quia per ejusmodi expensionem nullum alteri tertio damnum inferis ; jam enim tertius habebit monetam, quæ æque in foro æstimabitur, ac quæcumque alia legitima.

§. XII.

De fraudibus ex Monopolijs.

1. **M**onopolium Græce , Latine unius venditio, multis paratur. & multis excusatur modis, quos distinctè jam subijcio.

Monopolium ex privilegio.

2. Quando aliquis, vel aliqui pauci obtinent à principe privilegium, ut ipsi soli vendant, distinguendum a est : nam sine rationabili causa, est id illicitum, cum onere restitutionis, quod primo loco subeunt ipsi privilegiati ; secundo loco ipse concedens. Ratio est, quia sic fit injuria alijs volentibus

similiter vendere suas merces. Si vero sit ex causa rationabili, licitum est, excusante nimirum eadem rationabili causa ; dummodo pretium, pensatis omnibus, justè constituatur, non vere considerata hac restitutione apud venditorem, quæ per accidens est.

a Sic conciliantur Sotus, Mod. Silv. alijque apud Salas dub. 38. n. 2. qui negant, cum alijs apud eundem, & Bon. de contract. d. 3. q. 2. p. 5. qui concedunt.

3. At, quam rationabilis est ejusmodi causa ? respondeo, bonum publicum, quod fere accidit in tribus casibus dumtaxat. Primò, quando princeps eget pecunia ad bellum necessarium, vel ad opera regno necessaria : tunc enim servatis conditionibus servari solitis in vestigalibus imponendis, vendere potuit privilegium, & pecuniam ei operi applicare. Secundò, quando, nisi daretur hoc privilegium, ut unus vel pauci vendant, nemo, vel pauci merces importarent in civitatem, saltem continuatè & certo, ob sumptus, quos sine eo privilegio recuperare vendentes non possent. Id fere accidit alibi in imprimendis libris, hic in Sicilia in importanda nive, ætatis tempore : nisi enim habeant illi Impressores privilegium, ut ipsi soli ad decennium, v. g. eum librum imprimant, & illi soli nivem importent, ijs facile carebit respublica. Tertio, quando ob bene merita alicuius artificis aliquam novam artem inventientis, conceditur, ut ipse solus eam exerceat ; conducit enim ad publicum bonum, sic allicere homines ad novas artes.

4. Petes

4. Petes: quando vendit princeps hoc priuilegium, potestne sibi applicare pretium? respondeo, nequaquam. Ratio mihi est manifesta, quia cum ipse illud possit concedere, solum propter bonum publicum, obligabitur, quando hoc interuenit, illud concedere: nemo pretium accipere iuste ualet ob rem, quam obligatur ex iustitia facere, ut certe obligatur ex suo munere & pacto implicito cum republica, princeps bono publico prospicere. Dices: accipiet quasi gabellam ad onera reipublicae sustinenda. Respondeo, assentior, sed tunc iam erit ob reip. bonum, & nihilominus debebit solemnitates & conditiones iustae gabelle, ut modo innui, seruire.

5. Petes iterum: princeps poteritne taxam pretij eiusmodi mercium relinquere arbitrio huius privilegii? respondeo; Lessius *b* sic merito distinguit; si merces sint pertinentes ad victum & cultum, vel quid simile ad vitam necessariam, debere principem taxare pretium; si ad ornatum, deliciasque, posse non taxare; ratio est, quia in necessarijs facile populum gravari continget ab vno venditore, quod incommodum vitare tenetur princeps: at in non necessarijs, cum non ex necessitate ea emantur, non est tam facile eiusmodi populi gravamen.

b Less. l. 2. c. 21. n. 149.

Monopolium ex compacto.

6. Si venditores conspirent in pretium, ita ut vendant supra legitimum, aut supra rigorosum, peccant, cum onere restitutionis excessus, & damni

inde sequuti; idem, si emptores conspirent, ut emant infra infimum. Ratio est, quia iustum pretium non debet pendere ab arbitrio vnius, vel paucorum, sed ex communi aestimatione bona fide, & sine dolo. Atque adverte, iustum pretium non esse hic illud, quod forte post conspirationem enascitur; hoc enim, cum ex injusta conventionione consurgat, iniustum etiam erit, sed illud, quod ante injustam conspirationem sine furo, & fallacia currebat, vel currere poterat.

c quidquid dicat Carramuel, l. 2. th. mor. n. 850.

7. Illud non damno, posse eiusmodi Monopolium monopolio trudi, hoc est, ut donec vendentes vendunt pretio plus quam rigoroso, emptores emant ex compacto, minus quam infimo, donec, inquam; nam cessantibus illis, siue partim, siue ex toto, cessare & hi simili modo debent.

8. Quod si aliqui venditores conspirent in pretium, ita ut vendant, vel emant, intra latitudinem pretij iusti, ut nimirum omnes vendant pretio rigoroso, & nemo infimo, vel emant infimo, nemo supra, non peccant contra iustitiam, seclusa vi, vel fraude, quia tum servant pretium iustum: sicut enim sine iniustitia vendere rigorose ego particularis possum, sic & sine iniustitia possumus simul.

9. Sed permaxime animadvertendum est, quodnam tunc sit pretium iustum, id quod dicam num. 21. & innui num. 6.

10. Peccari in hoc casu contra charitatem, docent non ignobiles Doctores, quos sequitur Delugo *d*; & ratio præter

Kkk 3

præter

præter leges grauius id inhi-
bentes, esse potest eadem, quam in simili mox di-
cam num. 15.

d. Delug. t. 2. de iust. d. 26. sec. 22.
n. 175. l. Caram. lib. 2. th. mor. n. 845.
Molin. d. 345.

*Monopolium ex emptione omnium
mercium.*

11. Si vnus mercator, seu re-
ditor, aut pauci sibi sine vi vel fraude
coëmant omnes merces certi generis,
omne v. g. frumentum, ut ipsi soli ven-
dant etiam expectando tempus penu-
riæ & inopiæ quo vendant carius, si
quidem pretio iusto vendant, spectatis
omnibus circumstantiis, ut mox num.
21. dicam, non peccant i contra iusti-
tiam commutatiuam, vnde ad nullam
restitutionem obligantur; ratio est,
quia iusto pretio emunt, iustoque, ut
supponimus, vendunt.

1. Molin. d. 345. Less lib. 2. c. 21.
n. 151. alijque apud Bon. disp. 3. de con-
tr. q. 2. p. 3. n. 4. contra Navar. Azor.
alios, putantes peccare contra iustitiam.

12. An peccent contra charitatem,
est omnino distinguendum: vel enim
loqui possumus de illo vno, qui sine
conventionem cum alijs sibi dictas om-
nes merces emit; & hunc ne peccare
quidem contra charitatem, docent Mo-
lina l. & Delugo m, præscindendo
semper à lege prohibente, vel à damno
valde notabili reip. ratio esse potest,
quia sibi providere quilibet in suis ne-
gotiationibus per suam diligentiam po-
test.

1. Mol. ibid. concl. 2. in Delugo ib.
n. 178.

13. Vel possumus loqui de multis,
qui simul conspirantes simul emunt, ut
carius vendant; & hi difficulter à
peccato contra charitatem excusantur,
tum quia sic facilius induceretur penu-
ria in ciuitate, contra bonum publi-
cum, tum quia regulariter deinde (in-
ducta iam penuria) carius, quam fuis-
set pretium, etiam summum, ceteri
vendent.

14. Ad coëmptionem omnium
mercium facit casus, quem narrat Sil-
vester n. accidisse Venetijs. Merca-
tor acceptas literas ab Oriente de su-
perventura penuria aromatum, lacera-
uit & abiecit: has deinde collegit alius
mercator, partes conjunxit, legitque;
tum magnam mercium copiam emen-
do, illum præuenit, lucrumque præri-
puit. Quæsitum fuit, an secundus
mercator injuriam primo fecerit?

15. Affirmat Rebellius o: negat
ipse Silvester cum quo sentit Layman
p; cum enim (ait Layman) mercator
,, ille literas laceratas in publicum ab-
,, jecit, & veluti pro derelictis habuit,
,, hoc ipso omnibus fragmentorum il-
,, lorum potestatem ac vsum fecisse
,, censetur, ut proinde quisque in suum
,, commodum ijs vti potuerit; itaque
,, rectè sic resoluit Silvester: si quis liti-
,, ras in publicum locum abiecit, legit,
,, solam, ut sciat, curiositas est; si ut sibi
,, provideat, commodisque suis studeat,
,, humana, non vitiosa prudentia est.
Hæc Silvester; & hætenus Layman,
apud quos sit hujus doctrinæ authori-
tas.

o. Rebell. p. 2. l. 9. qn. 7. n. 9. P
Layman. l. 3. sec. 5. tr. 3. p. 1. cap. 4.
num. 5.

16. Ego

16. Ego enim non excusarem à do-
lo & consequenter ab injustitia illum,
qui legeret literas alterius, quas in ijs
circumstantijs invenit, ut certo mora-
liter judicet, non esse consulto dereli-
ctas, sed casu amissas, vel non bene con-
fissas. Ratio est, quia tunc non mili-
tat ratio excusationis: tunc enim Do-
minus non censetur illarum literarum
vsum liberum alijs dedisse. Si tu in-
veniſ chartam, in qua sint alicuius
scripta peccata ad confessionem, au-
ctoremque noſcas, illamne legere aude-
bis?

17. Notat præterea ibidem Lay-
man, si in literis abjectis aliquid occul-
tum quis legat, eum peccare contra
charitatem, immo & contra justitiam,
si illud alteri manifestet, unde dam-
num injustum alicui contingat, sicuti
peccaret, qui ostenderet locum, ubi ali-
quis est, ei, qui ipsum velit occidere.

*Monopolium ex remotione aliorum ven-
dentium.*

18. Si quis vi vel fraude impediatur
importantes merces in civitatem fru-
mentum v. g. ut ipse solus vendat,
maiori scilicet pretio, quod tamen de-
scendisset, si illi non fuissent impediti,
peccat contra justitiam, & contrahit
onus restitutionis, ut ex se patet.

19. Si vero quis impediatur solum
precibus & suasionem, non peccat q
contra justitiam, modo vendat justo pre-
tione, quia non facit injuriam, sicuti nec
facit injuriam, ex communi sententia,
qui sine vi, vel fraude suadet testatori,
ne alicui legatum vel hereditatem re-
linquat. Quod autem hic sit censetur

dum justum pretium, dicam mox à
numero 21. præterea an hic peccet, sal-
tem contra charitatem, ex dictis colligi
potest.

q Bon. l. c. n. 4.

Monopolium ex inducente penuriam.

20. Eadem ratione excusari pos-
sunt r ab injustitia transferentes triti-
cum v. g. extra territorium, præscin-
dendo à legibus prohibentibus (quas
non obligare sub mortali, nisi quando
valde notabile damnum territorio pa-
ritur, vel nisi quando alia prava cir-
cumstantia esset, inclinatur Reginaldus s,
nec videtur dissentire Bonacina t) sicut
enim possent domi illud occultare, sic
transferre; hoc enim est, habere domi-
nium suæ rei, id est de illa disponere si-
ne injustitia posse, ut ei libet; verum
hic etiam maxime est perpendendum,
quodnam sit justum pretium, & quo-
modo peccetur contra charitatem, mo-
do insinuato num. 14. & 15. illud vi-
deo, ejusmodi Monopolia esse semper
scrupulosa, & ad injustitiam valde
vergentia: nam propterea regulariter
cavenda.

r Bon. ib. n. 6. s Reginaldus l. 15. n.
51. t Bonac. de rest. d. 8. q. 1. p. 1. nu.
7. & 8.

Pretium in Monopolio.

21. Dixi num. 6. illud pretium
esse injustum, quod ortum habet ab in-
justa conventionem. Semper igitur ad-
vertendum est, an pretium ideo cre-
scat, quia vel ab vno, vel à multis co-
emptæ

emptæ sunt, cum injusta conventionē,
merces: tunc enim semper erit iniu-
stum; præterea quando pretium po-
stea carius determinabitur, ad arbitri-
um illius solius venditoris, vel perinde
ac si ab initio merces solum fuissent
apud unum; clare injustum est preti-
um. Ratio est, quia pretium debet
taxari ex raritate vel frequentia em-
ptorum, ex abundantia, vel penuria
rerum, ex necessitate earundem &c.
quæ cum nunc post illam tuam coem-
ptionem eadem sint, idem debet esse &
pretium, non verò carius.

22. Non est tamen cum privato
quolibet, qui non consensit Mono-
polio, nec ex fraude, vel malo consilio
dedit causam augmento pretij, scrupulose
agendum, quasi non possit
vendere res suas pretio per malitiam
aliorum aucto; cum pretium auctum
per injustitiam, justum non sit: non,
inquam ita, quia quamvis auctum sit
per aliorum fraudes, est tamen nunc
(ut supponimus) pretium commune;
per fraudes, inquam, non meas, ad
quas, cum ego non conspirassem, illas,
vel earum effectum pretij aucti tollere
non obligor, ut certè obligantur, qui
injustè illas posuerunt: & sanè si per
latrocinia frumentum v. g. fuisset di-
stractum, vnde & eius pretium auctum
fuisset, quis condemnaret vendentes
hoc aucto pretio? ut item, si nescirem
illam injustam conspirationem, & bo-
na fide pretio illo jam communi ven-
derem, quisnam ad restitutionem me
obligaret? nec ergo, si sciam, cum sci-
entia ad justitiam, vel injustitiam pre-
tj nihil addat omnino.

CAPVT OCTAVVM.

De eadem quarta radice restitutionis ex
contractu particulari mu-
tui.

§. I.

Quid si mutuum.

1. **M**utuum sic dictum, quia de
meo tuum fit, est traditio rei
consistentis in pondere, nu-
mero, vel mensura, spe recuperandi
statuto tempore tantumdem in genere
suo.

a Mol. Less. Bonac. mox citandi, ali-
jque passim.

2. Dicitur primò, (Traditio) quia
mutuum non perficitur mero consen-
su, ut venditio, sed requiritur ipsa rei
traditio, per quam transfertur rei mu-
tuatæ dominium in mutuatarium,
quod non facit commodatum, neque
ex natura sua depositum; nam pro-
pterea, si quod mutuatum est, fructifi-
cet vel pereat, mutuuario fructificat
peritque.

3. Dicitur secundò, (rei consisten-
tis in pondere &c.) ut explicentur tres
species mutui: in pondere, ut cum mu-
tuatur massa argenti; in numero, ut
pecunia; in mensura, ut vi-
num, triticum, lac, & similia, quæ in
jure b dicuntur recipere functionem, id
est, quod vna fungatur officio, vel vice
alterius; ut vnum vinum pro alio,
&c.

b l. 2. ff. si certum petatur. vide
4. Dicat-

Angelum v. usura 1. n. 36. Navarr. in man. c. 13. n. 21.

4. Dicitur tertio (cum spe &c.) ad differentiam donationis, venditionis &c.

5. Dicitur quarto (statuto tempore) non enim teneris reddere ante. Nilominus potes antea reddere; nam quoties terminus præfigitur in gratiam debitoris, non potest creditor vetare ne debitor si velit, soluat antea. Quid, si nullus fuit constitutus terminus? respondeo, certum est, non posse mutuantem statim repetere; sic enim nullum fuisset mutuum. Erit ergo tempus per Iudicem decernendum à sine & à circumstantijs mutui. Si enim mutuaſti agricola v. g. frumentum hyeme, apparet, te mutuaſſe vsque ad messem, &c. Vide omnino, quæ dicam inferius §. 5. n. 11.

c. Menoch, de arbit. l. 2. casu 22.

Quando nullus est constitutus terminus, non peccat, *dd* saltem contra justitiam, qui mutuum v. g. frumentum non repetit nisi tempore, quo illud maiori pretio venditur: quia sibi imputet mutuatarius, si non reddit tempore sibi commodiore. Peccaret tamen contra justitiam mutuans, si nolle tempore vilioris pretij acceptare frumentum, quod illi offerret mutuatarius, quia sic priuaret ipsum suo jure valendi solvere, quando vult.

dd Salon, 2. 2. q. 78. art. 2. Sotus li. 6. q. 1. art. 2. Nav. in man. c. 17. n. 225.

6. Dicitur quinto (in genere suo) non enim reddendum est idem in individuo, ut fit in commodato, sed idem in genere, ut loquuntur jurisconsulti, seu idem in specie, ut apertius lo-

quuntur Theologi; licet semper in æquivalenti bonitate, & supplendo defectum, ut ipsa justitia postulat, vinum v. g. bonum, pro vino bono, &c. quod certe involuitur in sequenti particula.

7. Dicitur etiam sexto (tantumdem) id enim solum requiritur, & satis est. Nam qui mutuat pecuniam, v. g. auream, ei justè redditur argentea, vel ærea, si tantumdem in valore reddatur, quia sic jam redditur æquivalens: excipe, nisi præcesserit pactum in contrarium, quod mox posse esse justum, dicam in simili. Atque ex hac particula maximè discernitur, quando in mutuo lateat usura: si enim plus exigas, siue in pecunia, siue in aliquo gravamine, quàm sit ipse mutui valor, usurarius eris, si ex vi mutui exigas, ut fusi §. sequenti explicabitur, quia exigis plusquam tantumdem. Ex hac eadem particula fit, ut qui, contra, mutuat pecuniam minutam auream v. g. non possit, exigere, ut reddatur argentea, vel aurea, quia sic imponderet debitori onus ultra sortem, seu debitum. Pluris enim valent nummi hi, quàm illi aurei, adeoque non tantumdem, sed plus requireret.

8. Pari modo si mutuaſti aureum valentem nunc decem julios, non potes exigere tempore præfixo, aureum valentem tunc fortè (ob incrementum monetae) undecim julios, sed solum decem; contra, si mutuaſti aureum valentem nunc decem, si decreſcat moneta, ita ut aureus tempore præfixo valeat novem, non eris justè satisfactus, si recipias solum aureum, sed superaddi debet julius. Ratio utriusque est, quia tu tantumdem ex mutuo debes

debes nunc recipere, quantum eo tempore, quo mutuasti, valet res, & non supra, nec infra, semper præscindendo à pacto, ut dictum est, de quo mox.

9. Idem est in similibus rebus functionem habentibus. Si enim mutuasti mensuram tritici, contingat autem, mensuram augeri vel decrefcere, semper potes exigere juxta mensuram, quam mutuasti; habes enim jus ad tantundem. Quid, si crevit pretium v. g. tritici? mutuavit tibi v. g. quatuor tritici mensuras, quæ tunc valebant quatuor aureis, nunc vero tempore, quo reddo, valent octo? respondeo, si nullum præcessit pactum, sive creverit, sive decreverit pretium, semper mutuarius d. debet solvere quatuor mensuras, nempe totidem, quot recipit: id enim vñ & consuetudine, & quasi virtuali pacto inter celebrantes mutuum, receptum est, ut si nullum præcedat pactum, res debeat solui in pari bonitate & mensura, & nihil supra, nec infra e.

d. Bonac. de contr. d. 3. q. 2. p. 4. nu. 2. Molin. d. 312. n. 7. e. Less. l. 2. c. 20. dub. 27. n. 150. Caram. l. 2. th. mor. n. 729. pro hac sententia affert Azor, Sotum, Navar. aliisque; sed Less. l. c. nu. 149. ponit in sententia contraria, quam sequitur Scotus in 4. dist. 15. q. 2. aliq. doctes posse peti valorem, qui erat tempore mutui celebrati.

10. Dixi (si nullum præcedat pactum) nam posset pactum tripliciter præcedere. Primum, ut sive crescat pretium frumenti, sive non, totidem mensuræ reddantur. Secundò, ut si frumenti valor decrefcatur, reddatur tantum, quantum æquivaleret valori fru-

menti, qui est tempore, quo mutuans illud mutuat. Tertiò, ut reddatur quantum æquivaleret valori frumenti qui erit tempore, quo mutuarius reddet. Et quidem in primis duobus modis justum est pactum, quia Dominus frumenti habet jus ad suas præfentes mensuras, & ad præfens pretium sui frumenti. At in tertiò, nisi adsit alius titulus damni emergentis, vel lucri cessantis vel justæ emptionis ad metam &c. injustum est pactum; ratio est, quia Dominus mutuare non potest secundum valorem, vel pretium futurum non existens, sed secundum præfens, cuius tantummodo dominium habet.

21. Denique vide differentiam, si quis mutuet vinum vetus, non satisfacit, si reddatur novum, quia non reciperet tantundem, quia vinum vetus semper supponitur melius, quam novum; at si quis mutuet frumentum vetus, satisfacit ei, si reddatur vetus, nec potest peti, ut detur novum; quia esset gravamen, querere novum, cum novum sit semper melioris conditionis. Excipe, nisi alicui v. g. agricolæ æque facile, immo facilius esset reddere novum, messis tempore; tunc enim non esset gravamen: nam sic justificari potest negotiatio in Sicilia usurpari solita, dandi frumentum ad renovandum: dant enim mercatores hyeme vnam frumenti mensuram bonæ qualitatis (nisi enim esset bonæ qualitatis, injustitiam sine dubio committerent) ut recipiant æqualem, tempore messis. Adde, hyemis tempore frumentum præcedentis proximè recollectionis non posse vocari vetus; si quidem per paucos menses à messe, eosque non æstivos

affiyos; frumentum regulariter deteriorationem nequaquam patitur, ergo iuste ei satisfit per novam sequentis recollectionis. Denique communiter plus valet mensura frumenti hyeme, quam messis tempore; & frumentum novæ messis magis crescit, quam frumentum habitum hyeme, ergo iuste compensatur pretium cum incremento &c.

f. *Ang. l. c. n. 74. Nav. l. c. num. 22. l. Medin. Salon Silvest. alij, quis citat. Berth. à S. Fausto, in speculo d. 16. q. 57.*

§. II.
Quid sit usura?

1. **E**st a lucrum quaesitum ex mutuo, vi mutui.

a *Innoc. de usur. c. 3. & passim.*

2. Dicitur primò (lucrum) usura enim est, quando quid pretio aestimabile accipitur supra sortem, id est, supra id, quod mutuo datum est, sive id sit pecunia sive aliud, quo gravetur mutuarius.

3. Dicitur secundò (quesitum) si ve mente, vocaturque usura mentalis; sive inito pacto expresso, appellaturque usura realis.

4. Dicitur tertio, (ex mutuo) si ve expresso, sive tacito, seu palliato: si enim fingendo venditionem v. g. exposcis lucrum supra sortem, mutuum erit palliatum.

5. Dicitur quarto, (vi mutui) & in hoc consistit vltima essentialis differentia usuræ: si quid enim ex mutuo lucreris, non ex vi ipsius, id est, non tanquam ex iustitia debitum ex mutuo, sed ex alio capite v. g. ex damno

emergente, ex gratitudine, ex benevolentia, usura non est, ne mentalis quidem, quantum vis. b nisi hoc lucrum gratitudinis v. g. expectares, non mutuares; quia non expectas ex vi mutui, nec tamquam debitum ex iustitia. Rursus (ex vi mutui) sive principaliter, sive minus principaliter. Si enim principaliter intendas amicitiam, & minus principaliter lucrum ex vi mutui, usurarius eris. Ratio est, quia, quando objectum est ex se malum, semper est peccatum, illud etiam minus principaliter velle, ut si iudex principaliter damnaret reum ob iustitiam, minus principaliter ob inimicitiam, utique peccaret, quia damnare reum ob inimicitiam, semper est objectum malum. Ita in casu nostro &c.

b *Caiet. v. usura c. 4. & 22. q. 78. art. 1. c. Val. l. 3. d. 5. q. 71. p. 1.*

Gratitudo ex mutuo.

6. Ex dictis collige primò, licitum per se d & speculativè esse, mutuantem, etiam antequam mutuet, rogare, vel excitare mutuarium, immo, & cum illo pacisci, ut aliquid supra sortem impertiatur, ex mera liberalitate, & verè voluntariè, quia sic nihil expectatur ex vi mutui.

d *Molin. d. 205.*

7. Dixi tamen (verè voluntariè) nam si mutuans est nimis importunus, vel exprobans ingratitude, vel quid simile, tunc mutuarius nò daret gratis, sed ad redimendâ vexatione, & ex timore, ne denuo mutuû nò obtineat, vel obtineat difficulter. Signa voluntariæ traditionis vide infra §. 7. n. 4.

LII 2

8. Dixi

3. Dixi iterum (ex mera liberalitate) nam proh quam periculosum est, ne, si hæc petitio vel pactum sit ante mutuum, degeneret in obligationem; nam propterea dictum modo est (per se, & speculatiue) in praxi enim omnino explodendum est ejusmodi pactum, vel præcedens petitio, quamvis signis & imperfectis verbis insinuata; quia hæc in praxi notant obligationem &c. Quod si in eas pactum obligans mutuatarium, ut omnino det aliquid ex gratitudine, clara e est vsura, quia clare superaddis obligationem; & merito Valentia f docet, esse illicitum, in mutuo petere, quasi ex iustitia, amorem & benevolentiam, quia ex mutuo non debetur amor, nisi ex debito morali & libero, non ex obligatione; multo igitur magis erit vsura, mutuare cum pacto, ut mutuatarium frequentet tuum molendinum, ut emat à tali officina merces, &c. quia hæc essent gravamina supra sortem.

e Laym. l. 4. tr. 10. de Simenia. c. ult. §. n. 2. & 9. f Val. t. 3. d. 4. q. 27. p. 2.

Mutuare cum pacto, ut fiat, quod debetur ex charitate.

9. Colligo secundò, an liceat pacisci, ut mutuatarium soluat, seu faciat, quod debet ex charitate. Medicus v. g. ex charitate debet mederi pauperi infirmo, si non sit alius, qui medeatur; Medico igitur huic licitè possumus dare mutuum, ea lege, ut ultra sortem ei pauperi opem ferat? respondeo, licitè ex Molina, g, illicitè & injustè ex Navarra h. Ratio huius est, quia sic adderemus onus ex iustitia,

cum antea solum fuerit ex charitate; ratio Molinae est, quia cum medicus absolutè mederi debeat, non iudicatur moraliter superadditum ipsi esse onus novum. Vtrumque probabile.

g Molin. d. 509. Caramuel. lib. 2. Theo. mor. n. 736. h Navarr. lib. 3. c. 2. n. 351.

Mutuare cum pacto, ut fiat, quod debetur ex iustitia; ubi

An liceat Christiano, dare Turcis ad vsuram?

10. Sed quid, si pactum sit, ut fiat id, quod ex iustitia quis debet? debet v. g. Petrus tibi 50. potesne illi mutuare alia 50. cum pacto, ut soluat centum? respondeo, posse: quia tunc non petis illa 50. ex vi mutui, sed ex vi iustitiæ, ante mutuum; hinc addit Navarra l, te posse mutuare cum vsura ei, cum quo bellum iustum geris; sicut enim vi & bello illum spoliare potes, ita & vsuris.

i Mol. ib. Dicast. l. 2. de iust. tr. 10. d. 2. dn. 3. n. 82. l Navar. ib. n. 146.

11. Quædam matrona subministrabat hic Panormi pecuniam cum vsura Turcæ cuidam, prætextu, quod in Turcas nos iustum bellum habemus, ut illi nescio quis Confessarius posse insinuaverat. Profecto si Confessarius indoctus fuit, errasse mirum non est: si doctus, Navarra dictum debuit expendere, qui de hostibus loquitur, quos mutuatarium spoliare potest, non verò de his Turcis inter Christianos, nos sub captivitate degentibus, in quos nullum

nullum bellum justum habemus, cum pertineant, dum sunt captivi, ad communitatem nostram, non vero ad communitatem Turcarum. Potest enim quidem captivus Christianus à Turca suo Domino aliquid furtim accipere in compensationem sui famulatus, ademptæque libertatis, & valde in probabilitate, non aliquid solum, sed quidquid potuerit, idque ob præsumptam principis voluntatem, cuius est, hostes communes debellare, & spoliare; qui mavult, ea Turcarum bona, ad quæ dicitur princeps jus habet, esse apud Christianum, quàm apud Turcam inimicum: quare ex hoc titulo quilibet Christianus, etiam non servus, poterit ibi apud Turcas existens (præscindendo ab alio inconvenienti) usuris eos spoliare. At verò quoad Turcas apud nos conviventes, sicuti nec causa libertatis, nec causa præsumptæ principis voluntatis, ab ijs aliquid surripere potest, unde te princeps, ut furem puniret, si quid illis auferres, ita nec poteris usuris, vel quibuscumque fictis contractibus rei familiaris detrimentum iisdem auferre.

mm *Filliac. Caiet. Azor, apud Dian. p. 7. tract. 7. resol. 11. in Molin. Less. Machad. quos citat sequiturque ibid. Diana & alij p. 5. t. 13.*

Mutuare cum pacto aliquid faciendi &c.

12. Colligo tertio, an hic contractus sit licitus? do tibi mutuum sub onere, quod justo pretio colas meos agros. Scorus enim, & alij apud Dica-

stillum non approbant hunc contractum, probantque communi praxi, qua Domini dant mutuas pecunias rusticis hyeme, cum pacto, ut agros ipsorum Dominorum colant: sed profecto non video, qua ratione liberari id possit (si aliud non addas) ab usura: jam enim aliud gravamen præter sortem adijcis; liberari igitur debet solum ex compensatione gravaminum. Dominus enim priuat se sua pecunia, & subit gravamina duo: primo, ut non repetat pecuniam ante tempus, quo agri solent coli, etiam si indigeat: secundo, ut non admittat alios rusticos, quos possit, ad agros colendos: adde & tertium, quo se obligat Dominus ad dandum reliquum pecuniæ, & ad illam pecuniam inveniendam, si forte ea careat, ne scilicet defraudet rusticum promissione. Si ergo Dominus hæc gravamina subit, non erit injustitia, ad illud onus colendi agros rusticum obligare.

n *Dicast. l. 2. tr. 10. d. 2. num. 120.*
o *Caram. l. 2. Theol. mor. n. 748.*

De intentione lucri supra sortem, ex parte unius tantum ex contrahentibus.

13. Si tum mutuans, tum mutuarius intendat dare & recipere dictum lucrum ex vi justitiæ, utrosque peccare; si verò ex alio titulo, neutrum delinquere, jam patet ex dictis. At insurgunt adhuc duæ difficultates.

Altera: si mutuarius det tanquam ex justitia, mutuans tamen verè & sine dolo ignorans talem dantis animum, accipiat, tanquam traditum ex liberali-

liberalitate, vel contra, si mutuarius det ex liberalitate, sed mutuans illius animi nescius; accipiat tamquam ex iustitia, quid in conscientia sentiendum?

14. Respondeo ad prius: mutuans ex illa ignorantia, nequaquam peccavit, nec eadem durante, lucrum acceptum restituere debet: at si resciat, statim debet restituere. Ratio est, quia cessante ignorantia, cessat bona fides, & consequenter, cum non adsit titulus iustus, succedit onus restituendi. Quod si inveniatur illud expendisse, restituat pro id, in quo factus est ditior; nam si in nullo factus est ditior, ad nihil tenebitur, quia totum bona fide consumpsit. Respondeo ad posterius: mutuans, licet ad nihil teneatur ex re accepta, quia verè adest iustus titulus retinendi, quia est donatio liberalis; at quia illum ignorat, peccat conscientia erronea, eademque persistente, obligabitur ex eadem ad restitutionem; verum si veritatem cognoscit, & retinere poterit, & repetere, si dedit; quod si expendit, bene fuisse expensum, poterit item reputare: sicuti si furatus sis librum, quem deinde cognoscis esse tuum, tuus erit; acceptio enim illa fuit solum formaliter injusta, non vero materialiter, quod requiritur, ad pariendam veram obligationem restituendi.

p. Molin. d. 306. Less. 2. c. 20. n. 4.

15. Altera difficultas; si mutuator dubitet negativè, an mutuarius lucrum dederit supra sortem liberaliter, an ex vi mutui, tenebiturnè ad restitutionem? respondeo, tenebitur quia in dubio potius est jus innocen-

tis & Domini, rem suam certo possidentis; nam, tametsi supponamus, lucrum jam esse in manu mutuantis, tamen hæc possessio est materialis, seu ut vocamus, naturalis; siquidem possessio civilis & vera est apud mutuarium, donec constet de vero titulo translationis dominij.

q. Med. de usur. q. 3. c. 3.

16. Signa autem e, quod liberaliter & verè gratis aliquid donetur, vel donatum fuerit, sunt: si mutuans reddat lucrum acceptum, & mutuarius nihilominus sponte iterum donet: si idem mutuarius sit dives, liberalis, & magnificus: si in dando lucrum, non præferat tristitiam vel molestiam, præsertim quando idem mutuarius non sperat iterum ab eodem mutuante simile mutuum; contra, si mutuarius sit pauper, si parcus, si avarus, si molestiam præferat, si conqueratur cum amicis de iactura dati lucri, si sint conjecturæ, ipsam moveri ad dandum lucrum, ne iterum petendo mutuum repellatur &c. erunt non vulgaria indicia involuntarij.

e l. Dicast. l. 2. tr. 20. d. 2. dub. 13. facit huc, quod dixi sup. tr. 2. c. 9. §. 2. n. 35.

§. III.

An ratione damni emergentis vel lucris cessantis liceat quid accipere supra sortem?

Quandoquidem licere, jam supponimus a fere omnes, conditiones solum requisitas affirmamus.

a. Molin. d. 315. Less. l. 2. c. 20. Bon. Tres. con-

de contr. d. 3. q. 3. & innumeri Doctores
citati à Dicast. l. 2. rr. 10. d. 2. dub. 4. n. 150.

Tres conditiones quoad damnum emer-
gens.

2. Prima, ut certò sit damnum tibi
eventurum, vel eventurum rationabi-
liter timeatur, nec impediri possit b :
si enim habeas aliam pecuniam, vel
amicum, qui illud damnum possit
impedire, cur tribuas mutuo?

b Caiet. 2. 2. q. 18. art. 2. Navar. in man.
o. 17. n. 211. Dicast. l. c. du. 7. n. 187.

3. Secunda c, ut id mutuuario
manifeste dicatur; fortasse enim nol-
let cum hoc onere mutuum accipere;
si ergo taceas, judicaris condonare; suf-
ficere autem puto, si fiat pactum de lu-
cro supra sortem; nec enim est necesse,
ut explicetur explicitè hoc lucrum esse
propter damnum. Ratio est quia jam
sufficienter mutuarius consentit ad il-
lud onus: erit tamen bonum consiliū,
explicare, nè ut vsurarius condemne-
tis. Sufficere d item puto, si te quis,
v. g. rex cogat ad contrahendum: co-
actio enim illa est implicitus consensus
ad omnia damna, quæ alter contrahens
patitur, idemque dic in lucro cessante.

c Dicast. l. c. n. 188. Castrop. de just.
comm. d. 4. p. 15. d. Salon, & alij ci-
tati à Salas, dub. 18. n. 5.

4. Tertia, ut juxta damnum, seu
damni periculum, æquale pretium de-
tur; cum autem incerta plerumque sit
quantitas damni, quod ex mutuo alteri
dato eventurum tibi sit, perpendat om-
nibus consideratis vir expertus, ju-
xta mox dicenda, numero 14. hic
proportionaliter applicanda, quæ-

nam quantitas pretij sit statuenda?

5. Ex his collige sequentis dubij
solutionem. Ego tibi mutuavi cen-
tum, ea lege, ut propter damnum mihi
verè emergens, reddas centum & de-
cem, potesne tu mutuare hæc eadem
centum, vel eorum partem alteri ter-
tio, ut ab illo recuperes illa decem, vel
partem eorum, quæ mihi debes?

6. Respondeo. Dic mihi, si ego
tibi vendidi equum v. g. injustè cen-
tum, potesne tu equum alteri tertio in-
justè vendere, ut excessum pretij à me
tibi ablatum recuperes? respondebis,
distinguendo: si equus in mea manu,
quia illius curam gessi, melior effectus
est, vnde jam centum valeat, possum;
secus, nequaquam, quia, si injustè ego à
te tractor, injustè alium tractare fas
non est. Rectè respondisti: nam simi-
li quadam ratione ego propositæ dubi-
tationi responsum dabo e; si suppo-
nas primo, propter mutuum, quod tu
das tertio, emergere tibi aliquod dam-
num ab hoc tertio, ut si ideo accipias
ab alio mutuum, quia huic mutuum
das, potes illud damnum, quod tibi
emergit, & ad quod hic consensit, ut
supponimus, exigere: verum, si sup-
ponas secundo, nullum tibi emergere
damnum ab hoc tertio, mutuuario,
non potes eo pretextu, quod ab alio,
seu à me passus es, vel patieris. Ra-
tio vtriusque dicti est, quia quando
quis patitur damnum à mutuo, quod
alteri concedit, justum est, ut illud hic
alter resarciat, quia illius damni est
caussa, injustum vero, si non est causa;
at in prima suppositione mutuarius
ille tertius est causa illius novi
damni.

damni, ergo soluet iuste: in secunda
vero non est causa illius tui damni, cur
ergo soluet?
e. *Salus dub.* 18. num. 6. alijque ab
eodem cit.

De damno emergente ex mora.

7. Illud addere operæ pretium hic
est; quoniam mutuarius non solum
debet solvere damnum emergens
tempore mutui, ut diximus in secunda
conditione, sed æquum pariter est, ut si
ipse in termino præfixo non reddat, &
post illum terminum mutuanti ali-
quod damnum necessario sequatur (si
enim voluntarie, ipsi mutuanti impu-
tetur) æquum, inquam, est, ut illi re-
sarciantur; dubitabis, an adveniente
termino hoc præfixo, op. sit, monere
debitorem de damno hoc, quod tibi
creditori incipit deinceps insurgere? &
idem de lucro cessante. Memi-
ni, me de hac re vniuersim superius
nonnulla dixisse c. §. 6. num. 3. & nu.
10.

8. Respondeo: negant esse neces-
sarium d. nonnulli, quia ex jure e. dies
interpellat pro homine: nonnulli ee af-
firmant, ut scilicet sic debitor ponatur
in mora; nam fortasse, si de nouo hoc
onere admoneatur, omnibus vijs illud
extinguere sataget: nec obstat prædi-
ctum jus, quod solum loquitur (aiunt)
de forte, & de lucro conuento, non
vero de quocumque possibili, & conse-
quenti.

d. *Navarr. l. c. n. 51. Petrus Na-*
varr. l. 3. de rest. c. 2. num. 278. Dicast.
li. 2. de Instit. tr. 10. d. 2. d. 7. n. 188.
e. *l. magna. C. de contr. stipul. ee Angel.*

usura 1. num. 20. Caiet. 2. 2. q. 78. ar.
2. Aror. p. 3. l. 5. c. 4. q. 3. quem citat,
sed non sequitur Diana p. 1. tr. 8. ref.
87. faciunt, qua dixi ex Delugo supra c.
2. §. 6. num. 3. & 10.

9. Dico, probabilius esse, debere
omnino debitorem admoneri (excipe
consuetudinem mercatorum, de qua
mox numero sequenti.) Ratio est jam
dicta ab affirmantibus: & insuper,
quia si debitor non admoneatur, merito
creditor iudicabitur velle condonare
illud subsequens damnum, de quo
mentio nondum facta est, nisi fortè in
genere, & solum tacite, ex vniuersali
quadam ratione, quod quilibet velit
suis rebus lucrari, si potest; quæ con-
sideratio tam vniuersalis & indefinita,
non videtur sufficere adponendam
obligationem tam certam in debito-
re.

10. f. *Sà de hac re sic breuiter ha-*
bet: obligatus ex delicto semper est in
„ mora. Qui autem sine delicto, &
„ non potest, aut difficile potest, aut
„ alioqui causa iusta excusatur, putant
„ quidam ff non esse in mora, adeo-
„ que non teneri ad interesse, ratione
„ moræ, nisi ex pacto, vel appositione
„ pœnæ conventionalis, si tali tempore
„ non restitueret, aut impotentia cul-
„ pa eius accidisset. Hac ille. Possè
autem poni in contractu mutui, vel
etiam alijs contractibus pactum, seu
pœnam hanc conventionalem de sol-
uendo aliquid, solum ratione moræ,
quam vit non adsit titulus vllus damni
emergentis, vel lucri cessantis, videtur
hic supponere Sà, de quo tamen supe-
rius g nos diximus, vbi addidimus,
ad solvendam ejusmodi pœnam re-
quiri

quiri sententiam iudicis, & numquam obligare, si mora fuit sine culpa.

f. *Emman. Sa, v. mora, num. 2.*
Diana p. 1. tract. de contr. ref. 43.
 ff. *Cum his sentit Mol. d. 315. quem citat sed non sequitur Castrop. de just. comm. d. 4. p. 15. num. 12. g. sup. c. 7. §. 7. num. 29. & 30.*

Dixi nu. 9. (excipe consuetudinem mercatorum) propter illud, quod *Sa*, sic ibidem addit: alij putant, qui non solvit tempore debito, etiam sine culpa, in mora esse: quæ mihi opinio videtur mercatorum usu recepta. Hæc ille. Quæ consuetudo ubi introducta est, servetur, quia est rationabiliter introducta; siquidem mercatores solent negotiari, & lucrari continuo: sed quoad proximam puto, facilius introductam fuisse hanc consuetudinem, quando mercatores dant mutuuum, quàm in cæteris contractibus, quia mercatores regulariter intelliguntur pacisci cum recipientibus ipsorum actualem pecuniam mutuam de quocumque damno, etiam post terminum solutionis eventuro; quod non est in alijs contractibus.

Tres conditiones, quoad lucrum cessans.

11. Prima conditio *gg*, ut aliquid accipias ex eo capite, quod ratione mutui tibi lucrum cesset, est, ut ea pecunia esset negotiaturus, & re vera aliquid lucraturus. Nota illud (ea pecunia) si enim alia, cur huic mutuata impunitas? quid, si hanc destinasti negotiationi, & aliam otiosam habes domi? respondeo, tunc potes exigere h

cessans, quia de facto hæc fructificatura erat, non alia; quid, si ita dispositus sis? vellem (& utique possem) mea pecunia negotiari, nisi essent, qui mutuuum peterent; seu quod in idem recidit, nolo applicare, quamvis utique possem, hanc pecuniam ad negotiationem, quia volo mutuare illam fortè peituris. Respondeo, quamvis per hanc conditionatam voluntatem non videatur pecunia negotijs destinata, sed destinanda; unde videatur, tunc non posse accipi lucrum supra sortem, tamen adhuc posse, doceo cum *Lefsio hb*, & *Maldero i*, quando lucrum fuisset de proximo *l*, & non solum remotè habendum: licet non negem, esse periculum palliandi usuram; ratio autem, quod tunc possit, est, quia verè tibi cessat lucrum, ratione mutui.

gg Dicastil. lib. 2. de just. tr. 10. d. 2. dub. 5. nu. 167. h. Arag. 2. 2. q. 18. art. 3. Val. t. 3. d. 5. q. 20. p. 2. hh Less. l. 6. 7. c. 20. nu. 90. & 95. i Malder. apud Delugo t. 2. de just. d. 25. sec. 6. §. 1. num. 44. l. id addo, quia remota lucra non ponuntur in consideratione: vide Bossum t. 2. mor. tit. 25. à nu. 212.

12. Secunda conditio, *m* ut id omnino mutuuario explicetur: nam fortasse mutuuum is nollet sub hoc onere. Excipe, nisi cogaris, ut modo dixi n. 3.

13. Tertia, *mm* ut servetur æqualitas; ne scilicet plus accipiatur, quàm sit lucrum cessans. Hinc primò, deducendæ sunt expensæ, quas fecisses in negotiatione illa. Hinc secundò, quando lucrum est dubium, vel sub periculo, vel quando tu non eras in voluntate

Mmm

firma

firma negotiandi, cum nescires occasiones superventuras, valde minus accipere potes, idque iudicio experti. Hinc tertio, longitudo vel brevitudo temporis, sub qua forte præfigitur redditio mutui, multum prodest, vel obest, ad decernendum lucrum: nam breviori tempore producta negotiatio minus fructificat, quàm longiore.

in *ibid. num. 172.*

14. Ob hanc ergo lucri incertitudinem, tribus modis pacisci cum mutuario poteris: primo, determinando nunc lucrum tuæ negotiationis tantum esse; id quod expertus poterit decernere, juxta naturam negotij, opportunitates sese offerentes, pauciores expensas, & similes circumstantias: sed deinde, quodcumque evenerit, erit in hoc taxato lucro standum; quia par fuit periculum. Secundo, si fiat pactum, ut tantum detur, quantum alij mercatores, in simili negotiatione, lucrati fuerint. Tertio, si fiat pactum indeterminatè, ut tantum detur, quantum ipsi mutuanti cessabit de lucro: & in his duobus modis similis erit determinatio: nam dabitur, quantum mercatores in simili negotio lucrati sunt.

Si ex mora solvendi cesset lucrum mutuanti, idem dic, quod modo diximus n. 9. & n. 10.

Laboris æstimatio.

15. Tres supersunt difficultates. Prima, an æstimatio laboris, quem perferre aliquando deberes, ut lucrum ex tua negotiatione fortè laboriosa conquireres, debeat deduci? varij varia. Illud mihi certum est, & nunc dicere

sufficit, regulariter non esse deducendam, nisi parvam aliquam partem, iudicio prudentis. Ratio probans & explicans hanc meam sententiam est, quia homo communiter vult potius laborare lucrando, quàm etiam oriri, sine lucro; ergo, cum hic labor involuntariè illi cesset, non est is privandus lucro, quod reportaret ab eo labore relicto propter tuam causam, sic pauper artifex vulneratus ab inimico otatur quidem, dum jacet in lecto, sed mallet laborare, & lucrari: nam propterea inimicus lucrum cessans debet reddere ei, quam vis otianti. Ex alia parte, quia nullus homo est communiter, qui cessationem notabilis laboris non emeret aliquo parvo pretio; ideo hoc parvum pretium erit deducendum.

in *Less. l. c. dub. 17. nu. 98. l. item Salas dub. 20. num. 12. Sotus de just. q. 1. ar. 3. Rebell. Reginald. quos citat sequiturque Dicast. l. c. n. 178.*

Lucrum cessans anticipate sumptum.

16. Secunda difficultas, an mutuatori liceat, lucrum, quod ipsi cessabit, sumere nunc ab ipso initio mutui? v. g. mutuatur nunc quis centum, speratque decem acquirere ex lucro sibi cessante, potestne licitè nunc sibi sumere ea decem? respondeo, nequaquam *nn*; ratio est, quia sic non mutuaret centum, sed nonaginta, & sic non posset lucrum accipere ex integro mutuo centum aureorum.

in *Medina, de usuris q. 3. §. septima conclusio l. Dicast. l. c. à n. 174. & du. 6. seq.*

17. Caramuel o tollit sic difficultatem: fiant duo contractus; alter mutationis

tionis, alter venditionis, & sic poterit mutuans sumere nunc decem, seu saltem octo, vel sex. Explico: mutuans nunc mutuat centum aureos, cum spe, ut recipiat hinc ad annum ex lucro licito, præter sortem, alia decem. Vendat nunc anticipato hanc spem denarij lucri ipsi mutuuario, quæ spes valebit, v. g. omnibus ab experto viro expensis, sex vel octo aureis; nam statim nunc poterit sine labe usuræ hos sex vel octo aureos sumere, non quidem ex vi mutui, sed ex vi venditionis sperati à se lucri, & venditi mutuuario.

o *Caram. lib. 1. theolog. mor. n. 755.*

18. Lessius p ab eadem difficultate sic se liberat: mutuet quis tibi centum, ita, ut mutuet cum interesse solum 91. at 9. sine interesse, nam mox hæc 9. reddere mutuanti potes sine ulla ipsius iniustitia, pro interesse debito illis 91. tunc enim tu mutuarius non solves lucrum ex ipsa summa mutuata cum interesse, sed ex alia, quo pacto plus æquo non gravaberis. Dices; gravabor ex eo, quod anticipato solvo, quod nondum debeo. Responderem sic pro Lessio: at certo debebis, & ex alia parte molestia dandi nunc, quod debebis postea, compensari sufficienter videtur ex eo, quod mutuans gratis mutuat tibi, & sine interesse illa novem.

p *Lessi. 2. c. 20. dub. 11. n. 100.*

19. Azor q eandem difficultatem sic tentat eludere: mutuet Titius centum Cajo, cum pacto, ut Cajus reddat quinque pro interesse: mox Cajus det Titio aliquid aliud, quod æstimetur quinque, v. g. certam portionem olei, vini, frumenti &c.; nam tunc non committetur iniustitia, quia hæc com-

mitteretur, si illa quinque detraherentur à centum mutuatis: at nunc illa olei vinive portio non est pars pecuniæ mutuatae.

q *Azor. p. 3. lib. 5. c. 5. q. 3.*

20. Ex his tribus modis primus & secundus approbentur. nam si sincerè exhibeantur, nihil continent iniquitatis: tertius vero omnino reprobetur, quia illa olei vel vini portio, licet physicè non sit pecunia, est tamen æquivalenter: unde merito tunc non dicentur mutuari centum, quandoquidem propter illa centum solvitur æstimatio aureorum quinque, quamvis in alia materia.

Lucrum cessans ex contractu explicitè injusto, sed justo implicitè.

21. Tertia difficultas est, an qui bona fide contractum usurarium, seu aliàs injustum celebravit, ignorans esse talem, possit lucrum exigere, quatenus si iniustitiam advertisset, alio modo non injusto cum eodem, vel cum altero contraxisset? contraxisset v. g. vel per contractum societatis, cum affectione sortis & lucri (cujus contractus iustitiam, hinc supponimus, & videri potest apud doctores r) vel per contractum emptionis frumentorum, seu similiarum, juxta metam taxandam, de quo superius fusè disputavimus, vel per contractum justici cambij, vel constitutionis census annui, vel per similes.

r *Bonac. de contr. d. 3. q. 3. p. 11. num. 2. alios cit. Mol. d. 417. Dicast. l. 2. tr. 10. d. 2. num. 4. & 38. Val. Nava. alijque, Dian. p. 1. tr. 8. res. 30. contra Azor. Fill. Sor. Dicast. lib. 2. de rest. tr. 10. d. 2. du. 21.*

Respondeo, id quamvis in praxi nõ

M m m a

fit fa-

fit facile consulendum, tamen Lessius
 rr probabile putat, justè posse; quando
 mutuans expressit, se velle contrahere
 omni meliori modo, quo potest; im-
 mo Sà s, alijque benignius loquuntur,
 & absolute posse concedunt: profectò Sà
 sic habet; qui fecit contractum usu-
 rarium, bona fide credens justum,
 potest tantum lucri retinere, quan-
 tum acquisivisset alioqui per contra-
 ctum licitum. Ratio potissima (nam
 alias vide apud citatos) posset esse, quia
 mutuans dum bona fide procedit, &
 non est dispositus ad exercendas usuras
 (quam certè dispositionem nemo me-
 diocris conscientia habere præsumitur)
 implicite contrahit, cum voluntate non
 committendi usuras, & cum voluntate
 habendi lucrum; ergo contrahit cum
 voluntate contrahendi justo modo pos-
 sibili; hoc enim totum involvitur ab
 illa bona fide &c. Cum igitur ex alia
 parte jam mutuarius consentiat ad id
 totum, quod petit mutuans, aderit ex
 utraque parte sufficiens & justus con-
 tractus, atque actualis consensus, nec so-
 lum conditionalis, sic: alio modo ju-
 sto contraxisset, si hunc injustū cogno-
 visset; quam conditionalem certè non
 sufficere ad justificandum lucrum, om-
 nes fatemur, quia conditio nihil ponit
 in esse; si ergo adest sufficiens utriusque
 voluntas, aderit, quod necessarium erit
 ad justè lucrandum.

rr *Less lib 2. c. 20. n. 105. s Sà, v.*
usura, num 8. quem sequitur Tannerus 2.
2. q. 4. d. 7. dub. 3. n. 99. Dian. p. 1. de contr.
ref. 27. Delugo t 2. de just. d. 25. sec. 9. id
est si mutuans scit, non vero si ignorat con-
tractum illum justum.

22. Nec obstat primò, quod dam-

num hoc refarciendum debuit antea
 debitori manifestari; non obstat, in-
 quam; satis enim illi fuisse notificatum
 censetur, cum ab illo mutuans lucrum
 illud supra sortem petijt.

23. Nec obstat secundò, quod posset
 idem fieri ab eo, qui mala fide contra-
 xit per contractum cognitum usura-
 rium: non obstat, inquam; quia ne-
 ganda est sequela; qui enim bona fide
 eo modo contraxit, implicite vult bono
 modo contrahere: at qui mala, jam vo-
 luit contrahere pravo, non autem re-
 cto modo.

Dices. At si scivisset bonum mo-
 dum, hoc bono modo contraxisset; er-
 go virtuales & implicitum consen-
 sum habuit ad hunc bonum modum,
 Respondeo, nego consequentiam; cum
 enim conditionalia nihil ponant in esse,
 & ex alia parte is expressè malo modo
 contrahere voluit, non est attendendus
 ille conditionalis consensus, sed hic ab-
 solutus, qui verè affuit. Quare non
 placet quidam recentior a, qui contra-
 rium docet. Nam etiam dato, sed non
 concessò, quod speculativè id posset de-
 fendi, tamen à praxi est omnino repe-
 lendum: cum enim nullus sit contra-
 ctus usurarius, qui non potuisset vel
 cum hoc, vel cum alio contrahente ce-
 lebrari; aliquo tandem recto modo,
 jam in praxi omne injustum lucrum
 ex usurario contractu conquistum, è
 medio tolleretur.

a *Vericelli tr. 4. q. mor. 2. n. 3.*

24. Nec obstat tertidò, quod in ven-
 ditione, locatione, censibus fieri simile
 quid non potest: neque enim potes à
 Petro v. g. petere plus, quàm decem, si
 pro decem, pretio nimirum infimo
 rem

rem eidem iuste vendidisti, vel iuste tibi centum, ut omni meliori modo, locasti, quam vis, si pretio summo vendidisses, etiam iuste vendidisses: non obstat, inquam, quia in casu huius objectionis emptor seu conducens contrahit cum hac persona, quæ non consentit, nisi ad pretium conventum, & non ad aliud; at in casu nostro mutuarius jam consentit, dare tantum lucri, & solum per conscientiam erroneam, hoc apparet iniquum; cum ergo deposita erit conscientia erronea, poterit mutuanus, quasi per compensationem sibi retinere lucrum, quod aliàs iuste accepisset.

25. Immo ex venditione vel locatione confirmari potest doctrina, de qua disputamus. Sit, qui vendat, seu locet bona fide rem pluris, vel minoris iusto: valeat decem v. g. sed vendat, locetve duodecim, vel octo: statim atque apparet hunc contractum esse iniustum, poterit, abstrahendo à liberali donatione, immo debet reduci ad iustum. Cur igitur idem non sit in casu nostro, ut sicut ibi veluti reformetur contractus, quia implicitè semper intelligitur factus alio modo, hoc est, iusto? hac, quoad sententiam Emman. Sà, dubitasse sufficiat; & de qua Lessius ait, non esse permittendum, ut quis sic contrahat, absque expresso titulo, ob quem lucrum petat, vel nisi expresserit, se velle contrahere meliori modo, quo potest. Sanum certè consilium.

1 *Less. lib. 2. c. 20. nu. 110.*

27. Inquires. Sicuti post initum prædictum mutui contractum cum prædicta virtuali intentione, licere videtur, lucrum accipere, licebitne ab initio his duobus modis contrahere? primò, do

quo iuste possum, ultra sortem lucrum à te reportem. Secundò, do tibi centum, ut ultra sortem lucrum à te reportem.

27. Respondeo ad primum, non esse hunc contractum improbandum: immo hanc esse sententiam Lessij, jam dixi num. 21. & num. 25. nisi tamen ex eo capite infirmetur, quod num. 29. & 30. mox explicabo. Ratio est, quia sub illa clausula (omni meliori modo &c.) iam implicitè fit contractus iustus, & excluditur in iustus.

Respondeo ad secundum; id triplici modo fieri possit. Primò, si advertas ad bonos titulos damni emergentis, v. g. vel lucri cessantis, &c. ex quibus lucrum supra sortem acquirere iuste posses. Secundò, si advertas, nullum titulum bonum adesse. Tertio, si adest quidem bonus titulus, sed tu præscindas, nihil scilicet cogitans de iusto vel iniusto titulo.

Dico: primum modum esse licitum, secundum illicitum, & usurarium, quæ duo patent ex dictis; at tertius modus, quia nemo est censendus delictum committere, nisi expresse constet, iudicandus erit etiam licitus, saltem regulariter: qui enim hoc tertio modo contrahit, implicitè bonum titulum involvere præsumitur, quare nisi ex mala conscientia & prava consuetudine mutuantis sub usura, aliud colligatur, voca hunc contractum bona fide factum, pro quo recurat doctrina iam hætenus à Sà tradita.

Duo muliercularum contractus discutuntur, &c.

28. Quæ à num. 18. diximus, nisi in alius

M m m 3

uno casu explicetur, ansâ possent afferre labendi, ut his superioribus diebus accidit cuidam aliâs doctissimo Theologo; is, cum absolutè nobili viduâ concessisset, posse decem pro centum in anno recipere ex dato mutuo, re deinde bene perpensa, necessum fuit eamdem admonere, ut lucrum receptum restitueret; an ex quodam capite aliquam partem dicti lucri potuerit retinere, intelliges ex infra dicendis §. præsertim 5. num. 12.

29. Explicatio est hæc: diximus, tunc posse lucrû ejusmodi sumi, quando mutuans, si non fecisset hunc contractum injustum, fecisset utique justum, vel societatis, vel metæ, vel cambij, vel census, vel similis; at vero si mutuans nullum contractum ex istis fecisset, lucrum reportare posse, nunquâ diximus; reportaret enim ex nullo justo titulo. Iam inspiciamus, an illa vidua nobilis iniisset aliquem ex contractibus justis? ipsa (ut ex se fatebatur) à cambijs abstinere se dicebat, quia fido carebat correspondente. Contractum metæ omnino respuebat, quia nimis molestum sibi erat, dependere ab ijs, qui metam imposituri erant, & eum tanta præsertim incertitudine lucrari, usque ad vertentem ferè annum, metæ impositionem expectare; societatem verò, vel securum censum, vel alium similem contractum inire poterat cum nemine, quia multoties cum quævisset, non invenit. Dic ergo, amice Theologe, cur statim, re indiscussa, concessisti, potuisse illam ex mutuo lucrum reportare? si enim ipsa meliorem, seu justum modum non habebat lu-

crandi, contrahendo cum alijs, nec contrahendo cum ea, cui mutuum dedit, quæ mulier etiam erat, nec ullo modo alijs contractibus apta, satis convincitur, iniquè contraxisse, cum justè non potuerit.

Quod igitur dictum est de hoc inito contractu, dici debet de ineundo, quando alius contrahendi justus modus non affulget; est enim clarè usura palliata, etiam expressè dicere, te velle omni meliore modo contrahere, quando hic modus, vel nō est, vel recusat.

30. Hinc damnabis novam quamdam muliercularum nostræ ætatis negotiationem. Dant unum vel alterum aureum petenti cuiquam, hac lege, ut singulis hebdomadis duos repetant tarenos, seu Julios, donec aureum integrum solvant, & insuper alios tres, quatorvè Julios pro lucro. Profecto si ipsis lucrum cesset, si damnum emergat, si periculo se exponant, uno verbo, si justus intercedat titulus, aliquid proportionatum eas repetere posse, non est dubium: at si nullus, unde poterunt? neque hic valet prætextus, *si non mutuassent*, &c. non valet, inquam: quia nullus est in his circumstantijs possibilis justus contractus, non cambij, non census, non societatis; nam, ut alia taceam, quis hos celebret in tam modica pecunia? non metæ, quia debuisset mutuans expectare metæ impositionem, nec potuisset post hebdomadas lucrum & sortem sibi repetere; non denique similis justus aliquis contractus, quia is non apparet. Remanet ergo, esse negotiationem usurariam, & prorsus improbandam. vide §. 5. n. 19.

Difficul-

§. IV.

Difficultas vel periculum recuperandi sortem, an det lucrum?

Quando rationabiliter timetur periculum, vel difficultas, vel expensæ in recuperando mutuo, atque hæc oriuntur ratione personæ mutuatarij, potest a aliquod proportionatum exigi supra sortem. Ratio est, quia subire, etiam sponte, hæc pericula in lucro, æque ac in sorte, in gratiam alterius, est pretio æstimabile. Proportionatum (dixi) in quo anguntur timorati fideles: & tandem nulla alia regula certior, quam iudicium experti, afferri potest, juxta periculorum qualitatem, numerum, gravitatem. Illud erit adjumento, ut videas, quanto pretio mercatores communes similem negotiationem affecurarent, seu fidejuberent in foro, & exinde, quid possis tu ex similibus periculis exposcere, perpendas. Dixi rursus (rationabiliter timetur) nam si pericula timeantur ex sola pusillanimitate, negant plerique posse, quid ultra sortem, accipi; quia tunc illorum periculorum non est causa mutuum, sed mutuantis vitiosa dispositio; verum Delugo d innuit, posse, licet denique aliorum iudicio relinquat. Ratio est, (inquit) quia præter matrimonium, pro quo aliud potuit in jure statui, in alijs contractibus causa hæc immediata, cur possit quid exigi, est angor & molestia, quæ mutuans passurus est, toto v. g. anno, propter timorem amittendi sortem, quæque subire ipse non obligatur sine pretio: at hæc jam in eo pusillo adsunt: ergo &c.

a *Dicast. lib. 2. de just. t. 10. d. 2. du. 20. Less. l. c. dn. 13. Val. l. c. p. 2. Silvest. v. usura 1. q. 35. alijque. b quidquid dicat Salas, dub. 20. num. 8. alios cit. qui negat, pro periculo sortis aliquid esse deducendum. c Mol. Sal. apud Delugo mox cit. d De-lugo. t. 2. de just. d. 25. sec. 6. n. 85.*

2. Solet autem contingere, ut mutuarius ad affecurandum mutuamentum de sua mutuata pecunia, adhibeat aliquem fidejussorem, cui aliquid, v. g. duos, tresve aureos pro quilibet aureorum centenariis ipse mutuarius dat: (& justè quidem; nam hic fidejussor debet solvere totum mutuum, si mutuarius non solvet) id quod licitè fit, etiam quando non est periculum, nè non solvat mutuarius, ut docet Molina e contra Covarr. f, quia adhuc est onus pretio aliquo, licet minori, æstimabile.

e *Molin. d. 319. alijque. f Covarr. l. 2. var. c. 3. num. 6.*

3. Iam inquiri, an hic, quod facit hic tertius, possit facere ipse mutuans, simile pretium sumens à mutuuario, cujus sit fidejussor pro se ipso?

4. Respondeo, si mutuans obliget mutuarium, ut non eligat alium affecuratore, nisi ipsum mutuamentum, usurarius erit. Non autem talis erit, sed justus negotiator, si illum non obliget; esto, se offerat, immo & roget, sed sine periculo obligandi mutuarium; ratio prioris est, quia illud esset, imponere mutuuario onus novum supra sortem datam; & hunc casum duntaxat damnat sacer Canon g. Ratio posterioris est, quia, suscipere in se tale onus affecurationis, est pretio æstimabile, ut modò dictum est; quare sicuti alius

alius tertius pro hoc onere aliquid exigere valet, cur non valeat ipse idem mutuans, qui certè non fit deterioris conditionis ex eo, quod mutuet h?

g. c. Naviganti, de usuris, h. l. Molin. d. 318.

§. V.

An liceat aliquid plus accipere, ob promissionem, quam alteri quis facit, non repetendi pecuniam mutuam intra certum tempus?

Communior sententia a habet, nequaquam licere. Immo non nemo addit, contrariam esse novam, inauditam, periculosam in fide, & aperientem viam usuris. Rationes hujus sententiæ sunt varix, à varijs doctoribus excogitatae, quas, nè bis repetam, mox cum earundem solutionibus subdam.

a. Molin. d. 308. n. 10. Less. dub. 14. Sal. tr. de usur. du. 9. n. 12. Arag. 2. 2. q. nu. 38. ar. 1. Delugo t. 2. de just. d. 25. sec. 3. nu. 17. contrariam falsissimam vocans, Dicastill. lib. 2. de just. tr. 10. d. 2.

2. Alia non ignobilium b authorum sententia (quam Lessius, licet contrarius, ait, posse alicui videri non improbabilem, sed tamen mercatoribus tam laxas habenas non esse dandas) docet, utique licere. Ratio potissima (nam alias vide apud Lessium) est, quia non potest negari, promissionem non repetendi, per annum v. g. esse novum onus, novamque obligationem pretio aestimabilem, ut mox clarius patebit num. 11. quare, quod pro ea accipitur, non accipitur ex vi mutui, sed vi talis novi oneris,

b. Ledesma p. 2. tr. 8. c. 35. concl. 4. dicens, idem doceri à discipulis S. Tho. apud Dia. p. 5. tr. 13. ref. 5. & p. 1. tr. 8. ref. 48. Medina apud Less. l. c. Castellin. apud Delugo l. c. Io. Medina apud Less. l. c. quibus adde Trull. hanc vocans probabilem, licet ipse contrariam sequatur t. 2. in Decal. lib. 7. c. 19. du. 12. apud Dian. p. 3. tr. 7. ref. 43. & p. 3. tr. 5. ref. 92. citans Tannerum.

3. Confirmari primò potest, quia omnes cum Molina concedunt, te posse quid exigere pro promissione, qua te obliges, intra annum mutuare quid, vel vendere, quandocumque quis voluerit, quia id verè est onus pretio aestimabile. Sed idem est, promittere non repetere intra annum, quod mutuatum est; simile enim est utrumque onus, ergo &c.

4. Confirmari secundò potest, quia debitum maturandum post annum posse nunc extinguì, dato aliquo pretio creditori à debitore, superius cum doctis authoribus concessimus c; idque, etiam si alius titulus non appareat, nisi quia præsens pecunia plus valet, quam futura, non quidem in se (tanti enim in se valet aureus hodie, quanti post annum) sed ratione annexorum, quia in anno timeri semper rationabiliter possunt pericula, esto, nunc prorsus nulla prævideatur, ut ibidem explicuimus: jam infero: ergo pecunia mea præsens, quam tibi mutuam do; plus valet propter similia connexa, quam tua, quæ futuro tempore à te solvetur.

c. Cum Fag. Reb. alijsque sup. c. 7. §. 8. num. 2.

5. Caramuel d plerumque benignus, & interdum debito magis, hic scrupulum

lum iniicit; ait enim, eum, qui certo scit fore, ut nullo modo pecunia, quam alteri mutuavit, indigeat, nihil iuste posse supra sortem exigere, quia tunc nullum sibi gravamen imponit; at, qui nullum sentit damnum, non habet, cur utilitatem aliquam sentiat: hæc, inquam, ait. Verum si probabilis est hæc secunda sententia, quando prævidetur indigentia, quam ipsemet Caramuel e alibi amplectitur, dicendum consequenter erat, aliquid, licet minus, semper accipi posse, quia nunquam in praxi verum est *ee*, nullum sic gravamen imponi; semper enim timentur indigentia casuales, & pericula inopinata: immo ipsa promissio non repetendi v.g. per annum, est novum gravamen pretio æstimabile, sicuti promissio, tibi quid vendendi, quando volveris, ut jam dictum est.

d. *Caram. lib. 2. Theol. mor. d. 14. num. 802. vide etiam num. 765. e id. nu. 766. ee ut ipsemet insinuat dicto n. 802.*

6. Confirmari potest tertio: quærent aliqui, an possim licite mutuare v.g. centum Petro; ea lege, ut si ego vivam usque ad annos decem, ipse mihi anno decimo reddat ducenta, id est, sortem, & alia centum, quasi decem pro singulis annis: si vero decimum annum non attingam, nihil prorsus, nè sortem quidem reddat? & licet non nemo neget *f*, quia id esset lucrum ex mutuo; concedunt tamen recentiores *g*; est enim lucrum ex contractu innominato, v.g. pro duobus annis, poteris quatuordecim, ut des, & veluti ludus paris periculi: non est igitur novum, transire mutuum in alium contractum, ratione alicujus superadditi pretio æstimabilis. Quare si ego subeo periculum,

nè inopinatus adsit casus, quo ea pecunia ego indigeam, vel indigeat amicus meus, cum interim mutuarius certo sciat, se in omni supervenienti casu, sine formidine per annum uti posse pecunia mea, quam non repetere promisi; cur esse id pretio æstimabile non sit judicandum?

f. Silvest. v. usur. 1. qu. 36. & 37. g. apud Dianam p. 7. tr. 9. res. 71. & deinceps Barthol. à S. Fausto in spec. Conf. d. 12. q. 55.

7. Equidem video, hanc sententiam usuræ periculo subesse, & insuper esse difficile, statuere, quantum possis pro hac promissione requirere, quod jam mox num. 17. quæremus; tamen, an sit probabilis: tum propter ejus auctoritates, tum propter rationes jam jam allatas, & solutiones contrariarum mox afferendas, ultima sit apud sapientem lectorem æqua sententia.

8. Superest ergo, ut pro curiosis videamus, quo modo ad rationes contrarias, hoc est, ad rationes primæ sententiæ responderi possit? prima ratio est, quia sic ex omni mutuo posset exigere lucrum, prætextu, quod non ex vi mutui, sed ex vi promissionis exigatur.

Responderi potest, negando sequentiam, ut mox nu. 11. clarius explicabo.

9. Secunda ratio, quia sic pro longiore tempore posset plus exigere; si enim propter promissionem non repetendi mutuum, pro uno anno, accipis duodecim, ut des, & veluti ludus paris periculi: non est igitur novum, transire mutuum in alium contractum, ratione alicujus superadditi pretio æstimabilis. Quare si ego subeo periculum,

Responderi potest, negando, sequi, plus posse exigere pro longiore tempore absolute, concedendo, posse quid moderata-

deratum plus vel minus ex alio capite, quod aliquando consequitur ad longius breviusque tempus; recolendum enim est id, quod supra per aliam occasionem dictum est, in diuturniore tempore majora latere pericula, & onerosiorem esse meam promissionem non repetendi, quam in breviori.

10. Tertia ratio ceteris fortior est, quia obligatio non repetendi mutuum pro aliquo certo tempore, est imbibita in ipsa natura mutui; qui enim mutuatur, pro aliquo tempore mutuatur, atque adeo, sicuti datio mutui est donatio liberalis, ita necesse est, ut sit id, quod est de essentia seu natura mutui, hoc est, ut sit liberalis etiam obligatio dicta non repetendi pro certo tempore.

11. Responderi potest, sic distinguendo: obligatio non repetendi mutuum pro aliquo commodo tempore est imbibita in natura mutui, concedo antecedens: obligatio non repetendi pro toto & quocumque tempore, quo mutuum protrahi potest, est imbibita in natura mutui, nego *h* antecedens. Tempus igitur aliquod est imbibitum in mutuo, at non determinatum, sed determinandum ex varijs rerum, personarum, temporis circumstantijs; tempore v. g. penurix, si tu pauper mutuas modium farinae; tempus imbibitum huic mutuo, intelligitur una vel altera hebdomada, & fortasse minus: at tempore abundantix, etiam mensis; quod si sis dives, & mutuarius sit rusticus inops, erit etiam annus, seu donec triticum ex sua tenui segete is recolligat. Quare si mutuas per tempus aliud, seu longius à praedictis, erit quid

extrinsecum mutuo, & illud subire, non vult, & vendibile.

h Collige ex Digestis lib. 2. de just. tr. 10. disp. 1. dub. 2. n. 37. & 32. & alibi.

12. Quarta ratio, quia sic mutuum non differet à precario: precarium enim est, quando rem commodas, ea lege, ut possis repetere, quandocumque volueris: commodatum verò est, quando rem commodas, ea lege, ut repetere non possis, pro eo tempore commodati v. g. pro anno, quo commodas. Cum ergo mutuum assimilatur commodato, debet participare de ea conditione, ut repeti nequeat pro toto tempore, quo ipsum mutuum durat; quo pacto differet à precario; secus, non differet.

13. Responderi primò posset, negando, secus non differre: differt enim ex eo, quod precarium est de re ex se usu non consumptibili, v. g. de veste, statua, &c. cum mutuum sit de re ex se usu consumptibili, v. g. de vino, oleo, pecunia &c. quo pacto satis different, sine necessitate aliud discrimen excogitandi. Responderi tamen secundo, posset distinguendo illud (mutuum assimilatur commodato) mutuum propriè & strictè dictum, ut scilicet in illo est intrinsecè conjuncta & imbibita obligatio non repetendi pro aliquo commodo tempore, numero præcedente explicato, assimilatur commodato, concedo: mutuum largè & impropriè dictum, ut scilicet annexum cum obligatione longioris temporis, nego: hoc enim transit in alium contractum innotum, do, ut des, vel potius in venditionem, per quam vendit quis justo ac pro-

ac proportionato pretio pericula & libertatem repetendi rem suam, pro tempore illo extrinseco.

14. Quinta ratio est Ioannis Delugo: quia, inquit, per restitutionem sortis jam æquatur totum, quod mutuatarius debet, ergo si plus requirat mutuatarius, injustè requiret. Antecedens probatur, quia tanti valet pecunia post annum reddita, quantum ante annum mutuo concessa. Confirmatur, quia tanti valet v. g. hæc statua nunc, quanti si vendam post annum, sic de domo, de prædijs &c. Immo tanti æstimatur à Deo Gloria seu beatitudo data nunc, quanti data post annum: patet, quia æqualibus meritis justè nunc defuncto confertur eadem gloria, quæ iisdem meritis confertur morituro hinc ad annum, vel annos. Hæc ille.

15. Responderi primò sic potest. Hæc ratio nimis probat, ergo nihil: nam probat, nihil mihi deberi ex locato; tanti enim valet statua nunc, quando tibi initio anni loco, quanti valebit post annum, quando reddes: & sicut omnes respondent, tunc accipi pretiū, nō pro re locata, sed pro alio, id est, pro usu rei locatæ, ita ego respondebo, non accipi pretium pro pecunia concessa, sed pro alio, id est, pro libera promissione, eam tam diuturno tempore non repetendi.

16. Responderi posset secundò directè, negando antecedens. Ad probationem, distinguo assumptum: tanti valet pecunia concessa, quanti reddita, ratione sui, concedo; ratione annexæ promissionis, seu alterius connexi, nego, ut patet ex dictis. Ad confirmationem idem dic. Sanè gloria tanti valet ratione sui nunc, si nunc mihi illam Deus

conferret, quanti, si conferret post decem annos. Sed dic. amice, si tibi illam Deus nunc conferret, & non hinc ad decem annos, quanti faceres eam præsentem collationem? ego, immo & tu, & sanæ mentis quisque pluri faceret, quam inferiora quæque bona, ac vitam ipsam; aliud igitur est æstimatio rei in se, aliud, quoad aliquam circumstantiam extrinsecam ipsi rei connexam.

Quanti valeat promissio non repetendi mutuum, &c.

17. Illud denique ante omnia inter est, hic scire, ecquodnam pretium exigere esset congruum, ex hoc titulo? iudicio experti omnibus expensis, respondebis; sed adhuc urgeo, ecquodnam est hæc prudentis arbitrium? Bursæ, ait; Less. determinatur à mercatoribus ejusmodi pretium singulis annis, aliquando sex, aliquando septem, usque ad duodecim, non vero ultra, ex Caroli V. constitutione: additque, hanc eandem lucri taxam posse quemlibet nō mercatorem exigere ex suo mutuo, quia posito eo statuto, fit taxa communis pro omnibus. Audio; sed idem Lessius hoc non approbat paulo post, aitque, præscindendo à lucro cessante, vel damno emergente, id injustè statui; multo magis, quia nos quarimus universaliter pro locis, ubi hæc taxa non statuitur. Aliquid ergo nos firmiter statuamus, & loquamur de mutuo in pecunia, exempli gratia, per annum; nam pro mutuo olei, frumenti, &c. potest evenire, ut annus non reputetur longum tempus, ut dixi nu. 11. cum contra

Less. l. 2. c. 20. n. 125. I Idem n. 127.

Nun 2

regu-

regulariter pro mutuo in pecunia longum reputetur tempus unius anni, multo magis duorum, trium. &c.

18. Dicitur jam posse, pro hoc titulo promissionis non repetendi pecuniam mutuam, pro quolibet anno licite in nostra hac ætate pecuniosa exigere quinque pro centenario *m*. Ratio est, quia ejusmodi promissio regulariter tanti videtur æstimari posse à prudentibus; & hujus ratio est, quia pretia rerum ex communi æstimatione hominum pendunt: commune autem hominum iudicium nunc videtur esse, ut qui vendit suam libertatem de resumenda sua pecunia per annum, quinque exigat pro centum, cujus rei signum est, quia si cuilibet prudenti dicatur, vel elige nunc habere centum numeratos aureos, vel centum & quinque post annum, eligeret potius centum presentes, quam centum & quinque futuros, qui ex multis eventibus impediri possunt, nè habeantur. Confirmatur, quia assecutores in mercium periculis, nec valde excedentibus, nec admodum levibus, si quinque pro centenario sumant, non imprudenter, nec injustè se gerunt, ergo pari modo in casu nostro, cum illa promissio non repetendi trahat semper non vulgarium periculorum, difficultatumque timorem.

m Caram. de Theol. mor. n. 799.

19. Ex his collige primò, viduæ illi allatæ §. 3. nu. 28. posse concedi quinque pro centum, nempe quia propter bonam fidem judicare possumus, eam celebraturam fuisse contractum hunc promissionis non repetendi &c. Collige secundo, cur mulierculis illis, allatis eodem §. nu. 30. negandum sit, quid-

piam lucri percipere, nimirum, quia unus aureus ad rationem quinque pro centum ferè nihil, unum scilicet, vel alterum obolum in anno potuisset ex hoc titulo promissionis parere: & tamen illæ repetebant aliquos Iulios; nec post annum; sed post hebdomadas. Hæc quoad totam hanc hujus §. 5. difficultatem expendenda sapientiorum stateris obulisse sufficiat.

§. VI.

An liceat, quid supra sortem reportare, ob molestiam privationis suæ presentis pecuniæ.

Addunt nonnulli aliud caput accipiendi supra sortem, nempe ratione molestiæ, quam ex sua absenti pecunia quis percipit, seu ratione carentiæ consolationis, qua quis frui solet, dum domi & in arca suam pecuniam presentem habet, quem animi sensum comprobat fortasse avarus ille, dum apud Horatium sic sibi blanditur.

At mihi plaudo domi dum nummos contemtor in arca.

Et quidem Caramuel a sic habet: dis, stinguo molestiam à periculo, vel, damno emergente, & à lucro cessante: Est verè aliqua recreatio in videndis rebus pretiosis, cur non & in possidendis? pro audienda comædia, vel, videnda bestia, datur pretium, & nemo contradicit, cur non pro videndis vel possidendis optimis auribus? ratione ergo hujus molestiæ, à carentia pecuniæ subortæ, præcisè, à omni alio periculo, posse quid supra sortem

fortem accipi. affirmat Medina. Et
 Divi Thomæ Interpretes q. 78. art. 1.
 judicant, speculativè probabile. Sed
 Dicastillus contradicit, & inquit:
 mihi hæc sententia, & speculativè im-
 probabilis. & moraliter in praxi om-
 nino videtur perniciofa. Videte cen-
 sorium Catonem fevero supercilio
 doctrinam condemnantem, audite
 tamen n. 254. sibi deinde esse contra-
 rium &c. Hæc Caram.

a Caram. l. 2. Th. mor. d. 14. nu. 362. se-
 quiturque Med. apud Dic. lib. 2. de just. tr.
 10. d. 2. du. 11.

2. Equidem cum ad praxim animus
 meus sit semper intentus, ajo, hanc mo-
 lestiam in praxi esse adeo levem, ut in
 communibus commercijs parva, atque
 adeo nihil reputetur. ac propterea vix,
 & nè vix quidem b sit pretio compen-
 sanda.

b Dicastil. absolutè hanc nostram sen-
 tentiam docet l. c. n. 251.

§. VII.

De Cooperatoribus cum usurario, &
 ejusdem pœnis.

1 DE cooperantibus cum usura-
 rio dictum est sufficienter li. 5.
 cap. 1. §. 4. à num. 42.

2. Quas autem pœnas obligationes
 que contrahant usurarij, qua ratione
 eorum bona remaneant obligata resti-
 tutioni, an dominium acquirant eo-
 rum. quæ per usuras acquirunt, quan-
 tum eorum hæredes debeant, & quo
 modo restituere, sunt res obvix, & fa-
 cilè haberi ex doctoribus a possunt.

a Doctores apud Delugo d. 25. sec. 11.
 §. 2. & 3. apud Lessl. 2. c. 20. du. 20. & 22.

Dicastil. l. c. tota fere diss. 3. Bartol. à S. Fan-
 sto in spec. d. 26. à qu. 100.

TRACTATUS IV.

De circumstantijs restitutionis & con-
 causis &c.

CAPVT PRIMVM.

De novem circumstantijs restitu-
 tionis.

1. His verbis ex continentur,

Quis? Quid restitues? Cui, Quantum?
 Quomodo? Quando?
 Ordine, quoque loco, qua causa excuset
 iniquum?

§. I.

Quis?

1 P Rofecto is restituere tenebitur,
 qui ad id astringitur à justitia. de
 qua re in tota hac materia de re-
 stitutione disputatum est; ita sanè. Ve-
 rum, quæ alibi locum commodum
 non habuerunt, hic subjicienda sunt,
 idemque faciendum in singulis propo-
 sitis circumstantijs. In hac ergo prima
 circumstantia docebimus, an restituere
 teneatur pauper fictus? & an religio-
 sus, ære alieno vel furto gravatus.

Pauper fictus.

2. Qui simulata a paupertate acci-
 pit eleemosynam, peccat teneturque
 b ad restitutionem; ratio est. quia acci-
 pit sine titulo; cum enim interponat
 fraudem,

Nnn 3

fraudem,

fraudem, facit, ut deficiat finis, quo dominus movetur ad dandum, qui finis erat paupertas. Si fraus tamen caderet in modum, non vero in substantiam, posset elemosyna justè retineri, quia, quoad substantiam, adesset sufficiens voluntarium; ut si quis elemosynam quidem tibi porrigeret, sed nisi fingeres paupertatem, non adeo promptè ac liberaliter. Atque ex hoc capite frequenter excuso veros pauperes, sed ultra modum suas necessitates exaggerantes.

aa *De hac re tota, præter auctores mox citandos, fuse agit Dicast. lib. 2. tr. 2. d. 6. d. 5. b Cast. t. 1. tr. 6. d. 2. p. 14. n. 5.*

3. Objicis. Qui fingens sapientiam virtutesque, accipit ab Episcopo beneficium, validè accipit, nec obligatur illud resignare, & qui ordinatur v. g. sacerdos sine patrimonio, vel in excommunicatione, validè initiatur, & tamen Episcopus, si scivisset veritatem, non conculisset beneficium, nec ordinasset; ergo pari ratione semper validè donabitur elemosyna in casu nostro &c. Respondeo, nego paritatem; nam Episcopus, quando actu confert beneficium vel ordines, absolutè intendit hæc conferre huic determinatæ personæ, sic exposcente recepta consuetudine, & bono Ecclesiastico, ne ordines & beneficia, sub infinitis fidelium scrupulis incerta essent; id quod non est in casu e mentitæ paupertatis. De mendicantibus ostiatim modicas elemosynas benignius loquitur Granado bb: in his enim (ait) non tam habetur ratio paupertatis, quam charitatis; unde dominus non censetur dare sub conditione paupertatis, sed absolutè; quod sanè non ita se

habet in elemosyna notabilis quantitatis.

bb *Granad. 2. 2. contr. 3. tr. 11. d. 7. num. 7.*

4. Quid de paupere, qui pigritiæ vel etiam cupiditatis causa elemosynam poscit? respondeo, si verè est pauper, nec mortaliter peccat, nec ad restitutionem tenetur: non prius, quia otiositas illa, vel cupiditas, nisi aliud addatur, non pertingit ad gravem deordinationem: non posterius, quia constante paupertate, constat finis elemosynæ.

c *Bariol. apud Dian. p. 5. tr. 8. ref. 29. §. nota etiam.*

Quid de Eremita, seu serviente alicui Ecclesiæ? respondeo, licere huic vivere juxta suum statum ex elemosynis Ecclesiæ, illi tamen æqualiter providendo; quia qui altari servit, de altari & vivat: quod ex suo competenti victu Ecclesiæque cultu superest, posse eum dare, siue suis cognatis, siue extraneis, modo sint pauperes, & modo ex circumstantijs non appareat, donaria fidelium Ecclesiæ ornatu applicari: colligitur ex dictis.

5. At verò, cuinam injustè sic fortè accepta sunt restituenda, dominone, an pauperibus, an locis pijs? respondeo, utrumque esse probabile, docet Vasquez ee; Domino, quia non dedit, nisi huic, ergo non alteri: pauperibus, quia, qui dedit, non respexit, nisi rationem veluti genericam paupertatis, & Christi Domini amorem; unde saltem regulariter nõ astringit intentionem ad hunc numero pauperem, ergo jam habetur voluntas ejus interpretativa dandi cuicumque alteri pauperi vel Ecclesiæ, nomine

nomine Christi, Illud aduerto, si quis nam posse petere eum, qui filias habet ficta nobilitate, dicendo v. g. se esse filium alicujus principis, accipiat aliquid, ut si hospitio magnifico exciperetur, obligari ad restitutionem domino, nec posse pauperibus, quia tunc motivum, ne in genere quidem, attingit paupertatem. Simile quid decernitur in similibus.

cc *Va. q. opuscul. de elemosyna c. 5. §. 4. d. 1. quem sequitur Castrop. t. 1. tr. 6. d. 2. p. 14. num. 7. & Diana. l. c. ref. 23.*

6. Ex dictis potui primò cujusdam pauperulæ interrogationi responsum dare: assererat illa, se elemosynis quotidianis summam constasse viginti-quinque aureorum, eamque servare pro necessitatibus fortasse inopinato superventuris: sciscitabatur ergo, an deinceps elemosynas sibi à fidelibus erogari solitas posset acceptare, immo an exposcere ipsi liceret, quibus viveret in dies, & quod ex iisdem superesset (supererat frequentissime) summæ illi à se positæ superaddere? respondi, modicam videri illâ acquisiti cumuli quantitatem; quare non videri, eam jam excessisse fines paupertatis, ut non posset deinceps mendicare: per speratam autem pecuniam consequenti tempore acquirendam, tunc demum illam vetandam esse ab acceptatione, quando prudenti judicio, secundum ejus infimam status conditionem, non indigere amplius deprehenderetur: expendendo tamen necessitates moraliter proximas, non verò quascumque remotas; has enim etiam quicumque divites timere possunt, nec tamen valent titulo paupertatis elemosynam exposcere; concedit nihilominus Diana, f. elemosyn-

nubiles, quas commode dotare non potest, etiam si non desint necessaria ad vitam suam, & filiarum utcumque sustentandam.

f *Diana p. 2. tr. 1. miscel. ref. 8.*

Secundò ex dictis approbavi d. communem praxim, qua divites colligere alicubi solent stipem pro carcere inclusis, pro Xenodochijs, pro pauperibus. Nam etiam tum finaliter verè egentes sublevantur.

d *Sanch. li. 7. in Dec. c. 24. n. 14.*

Vnum observa, si quis dives obligetur, aliquem pauperem alere, non posse pro ipso elemosynam petere: pater v. g. vel frater non potest elemosynam colligere pro filio, vel sorore pauperibus. Ratio est, quia ex eo, quod filius & soror gaudent patre, fratre divite, habent jus, quo ali ab ipsis debeant, ergo jam pauperes non sunt, pro quibus possit ab ijs, quibus incumbit, eos sustentare, elemosyna colligi, &c.

e *Sanch. li. 1. in Dec. c. 14. num. 6.*

Religiosus are alieno vel furto gravatus.

7. Potuit hæc debita religiosus contraxisse ante professionem, potuit postea.

Ante Professionem.

Quoad prius, præmittitur, per se are alieno undecumque gravatum, non habentem, unde reddat, posse ad religiosam vitam suscipere. Ratio S. Thomæ est, quia hic putatur cedere bonis, quod facere posse, cuilibet liberum est; nec

est: nec enim obligatio, quamvis iuramento firmata, ad reddendam pecuniã, tanti est, ut fidelem privare possit bono tam superioris ordinis, quale est, Deo omnium Domino vitam addicere.

dd *S. Th. l. mox cit. alijque, quos citat. Sanch. l. 4. in Dec. cap. 19. num. 7. contra Molin. t. 3. d. 758. aliosque. ce S. Th. 2. 2. q. ult. art. 2. ad 3.*

8. Dixi primò, (per se) nam hodie adest Sixti V. ff. prohibitio, ne quis ingenti ære gravatus, vel reddendis rationibus obligatus & ad professionem admittatur: illam lege, cum moderatione Clementis, sed interim nota illud (ingenti)

ff *Sixtus V. cum moderatione Clementis apud Delugo to. 1. de just. d. 27. sec. 6. à num. 86. & Cast. t. 3. tr. 16. disp. 1. p. 7. §. 4. n. 10. & Dicastil. loco mox citando.*

9. Dixi secundò, (non habenrem unde) nam si habet, quod debet, relinquere debitoribus opus erit: perinde enim facit, qui bonis cedit: addunt aliqui g, si intra breve tempus, puta, unum vel alterum annum possit, manendo in sæculo, creditoribus satisfacere, obligari, non statim ingredi Congrua doctrina, sed nequaquam obligans. Ratio est duplex; altera ducitur ex expressa autoritate S. Th. loco citato, quæ ad faciendam nostram sententiam probabilem, sufficiens est. Altera ducitur ex ipsa natura religionis, quæ non habet solam bonitatem cæterorum consiliorum. ob quæ fateor, non posse negligi satisfactionem debitorum, maximè ex delicto: neque enim possit quis, ut orationi vacaret, ut Xenodochio serviret, relinquere satisfactionem ex justitia, quæ fortior est; sed habet

etiam status religiosus bonitatem longe superiorem, nempe se in servum Dei perpetuo mancipare: ut semper existimata sit professio cujuscunque religionis maximum ac summum, quod possit homo ex se Deo tradere: nam vitam, cum ejus homo dominus non sit, tradere ex se non valet. Hinc ergo fit, ut irrationabile sit, tantum bonum velle à quocumque debito retardari; dico (quocumque) nam si violasti virginem, v. g. sub spe conjugij, merito ab ingressu religionis retardaberis, quia in violatione non agitur de debito rei pecuniariæ, sed de debito circa assumptionem status, quem sine nota non poterit suscipere virgo illa, nisi mediante statu matrimonij à te suscepti; cum igitur hic concurrat susceptio status tui, quem prætendis in religione, & status matronij, quem virgo præterdit (nisi volens remittat) non est mirum, quod prævaleat status matrimonij, puta, in favorem virginis affecta à te illa injuria. At in debitis pecuniarijs, cum concurrat solutio alienæ pecuniæ, & status religiosi susceptio, hæc, utpote bonum adeo excellens, prævalere debet. Nihilominus, consulto ad finem non solvendi debita, & non propter alium superiorem salutis propriæ finem, velle religionem ingredi, nullo modo sine peccato injustitiæ concederem.

g *Sanch. l. c. num. 8. alijque apud Delugo l. c. num. 65. quibus adde Dicastil. lib. 2. de just. tr. 2. d. 10. dub. 8. num. 129.*

10. His præmissis, Dico primò, gravatum in sæculo prædictis debitis sive ex contractu, sive ex delicto (nam si non ingentia sint, licitè h. h. admitteatur, ut vidi-

ut vidimtis, ad professionem) eumdemque nulla bona habentem, quæ se cum ferre queat ad religionem, ad nihil ipsum obligari. Ratio ducitur ex dictis, quia, ob tantum bonum religionis, potuit cedere bonis: an in religione adhuc teneatur laborare, ut soluat ea debita, si possit, mox subiiciam.

hh *An etiam licite, quando quamvis ingentia sint debita, sunt tamen incertorum Dominorum; vel quando sunt contracta sine culpa, vel quando ex sola liberali promissione. Vide ap. Dic. l. c. à n. 145.*

11. Dico secundo: si is aliqua bona habeat, quæ ad religionem ferat, obligari tunc religionem, solvere prædicta debita, juxta vires bonorum allatorum. Ratio est clara, quia bonorum successor adstringitur debitis eius, cui succedit.

12. Verum hic duæ dubitationes emergunt. Prima: quid si huic, jam professo in religione, deferatur aliqua hereditas, legatum, donatio?

Respondeo; Sanchez *h* docet, ex his religionem obligari, satisfacere prædictis ejusdem religiosi debitis, quia nunquam per ingressum religionis factum à debitore, derogatum fuit jus creditorum, in ea omnia, quæ obvenire possunt religioni, ratione personæ ipsi obligatæ. Confirmari potest, quia sic qui cessit bonis, si quid præter necessaria alimenta fortè acquisiverit, debet id creditoribus dare, ut omnes fatentur.

h Sanchez, l. 7. in Dec. c. 37. n. 4. cui adde Felin. Azor. Mol. aliosque apud Castrop. t. 3. tr. 16. d. 3. p. 16. n. 3.

Verum (rogata à tanto viro verba) hoc ipsum erat probandum, an

tale jus retineant creditores in religiosum? ad confirmationem enim clara patet disparitas: nam secularis cedens bonis, nec fit alterius, nec fit incapax dominij, ut fit religiosus. Præterea mihi videtur, posse contra Sanchez ex ipsius doctrina probari opposita sententia: ipse enim & Castropalaus l. & communior veriorque opinio docet, legata, hereditates, donationes, & consequenter pretium laboris, non acquiri immediate religioso, & deinde religioni, sed immediate ipsi religioni; quia ipse religiosus incapax omnino est acquirendi dominij. Iam ex hoc principio consequitur, creditores nullum jus habere in bona illi delata post professionem; deberent enim habere jus in religionem, quod nunquam habent.

i Sanchez, plures referens t. 7. in Dec. c. 12. n. 36. l. Castrop. l. 3. tr. 16. d. 3. p. 5. n. 5.

13. De hac nostra sententia sic habet Castropalaus *m*: ergo monasterium ex bonis occasione religiosi post professionem acquisitis, satisfacere creditoribus non tenetur; tum quia debita sunt extincta; tum quia illa bona religioso non acquiruntur, ut exinde onus creditoribus satisfaciendi accipiant, & sub eo onere in monasterium transferantur, sed immediate acquiruntur monasterio, quod non ex persona religiosi, sed ex bonis ab illo acceptis, nec sub eo onere obligationem satisfaciendi creditoribus habet. Hac disputatiōis gratia dicta sint, quæ alijs definienda committimus. Hactenus Castropalaus: eunt verba dictos in me pariunt oppositos effectus.

ooo

effectus: alterum, solam propensionem tanti authoris, additis non vulgaribus jam dictis rationibus, videri sufficere ad id probabile reputandum: alterum, quod tantus author noluerit litem decernere, me vrgere, ut nec ego decernam.

Fateor tamen, conveniens esse, tunc religionem ex prædictis supervenientibus bonis solvere prædicta debita; & quidem potest, quia probabilissima est sententia Sanchez: quare tunc non dicitur Prælati dissipare bona religionis, sed solvere debita, ad quæ solvenda ex probabili, immo communi sententia constringitur.

14. Secunda dubitatio: an hic religiosus obligetur laborare, quo pretium laboris impendat ad solutionem prædictorum debitorum? respondeo, non obligari: nam cum ipse nullius dominij capax sit, & totum, quod acquirit, immediatè cedat religioni, de eo pretio disponere non potest, solutio autem debiti ex proprijs debet fieri, non ex alienis.

Delugo duo docet: alterum, *mm* obligari monasterium, solvere prædicta Monachi debita, ex pretio ejusdem acquisito ex concionibus, lectionibus, &c.; alterum, *n* non obligari Prælatum; ad dandam licentiam Monacho, ut laborando acquirat aliquid, quo prædictis debitis satisfaciatur, quia Prælati jus habet impediendi suum subditum in alijs actionibus, prout Prælati ipsi libuerit. Dico tamen, hæc duo dicta sibi minus coherere; si enim potest Prælati prohibere, ne subditus ad hunc finem laboret, cur non poterit impedire, ne pretium habitum ex la-

bore detur debitoribus illis? utroque enim jure æque potitur Prælati, & in personam religiosi, & in pretium ab eodem acquisitum. Melius igitur sic, habet Castropalaus. Sed verius existimo, neque Prælatum obligatum esse, hanc licentiam (laborandi) concedere, neque te illa uti; quia non creditorum, sed religionis es, & professione facta, cum celsione bonorum, debita extinxisti. Notas? id de hereditate vel legato delatis post professionem, noluit decernere Castropalaus, modo num. 13. sed hoc de labore absolutè & sine hesitatione decernit.

mm Delugo t. 1. de just. d. 21. sec. 6. n. 79. n. Id. ib. num. 82. vers. ultima denique pars. o Castrop. t. 3. tr. 16. d. 1. p. 7. §. 4. n. 8.

15. Illud apud neminem inveni, & tamen constanter dico, tum pro prædicta difficultate, tum pro proximè sequentibus, hæc non procedere de religionibus militaribus, v. g. Hierosolomitana, S. Iacobi, &c. quantumvis sequamur illam opinionem, quod sint in quocumque rigore religiosi: ratio est, quia hi, cum tam amplam habeant suorum bonorum administrationem, non censentur cedere bonis, cum eas religiones profitentur &c.

Aere alieno gravatus post professionem.

16. Quoad posterius, quando scilicet religiosus contraxit debita, dum est religiosus, distinguendum est de debitis ex delicto, & de debitis ex contractu, de

tu, de quibus, distinctè duabus assertionis sic statuo.

17. Assertio prima: si intra religionem debitum ex graui delicto religiosus contraxit, v. g. furando, damnificando, supra pretium iustum vendendo secularibus &c. certum est, debere restituere, siue ipsum religiosum, siue religionem, si res ipsa extet, vel aliquid, in quo facti sint ditiores. Si verò nihil extet, non debet religio, quia delictum religiosi, etiam Prælati, si non est commissum modo capitulari ab ipsa communitate, non debet vergere in damnum monasterij. Vide, quæ dicam mox num. 23. Debet autem restituere religiosus ipse, si fruitur peculio, vel si potest ex ijs, quæ sibi à religione conceduntur, detrahere de non necessarijs commoditatibus p. Ratio est, quia religiosus furans ab extraneo, iniustitiam committit, ergo tenetur facere æqualitatem eo modo, quo potest.

p. *Sanch. lib. 7. in Dec. c. 19. num. 112. cit. Molin. t. 1. d. 140. vers. potius distinguere.*

18. Neque dicas: religiosus modò non tenebatur solvere debita contracta in sæculo ex delicto, ergo neque tunc debita similia contracta in religione. Ne id dicas, inquam; nam ibi purgatur debita illa per cessionem bonorum, non verò in casu præsentis; & ex alia parte quilibet conari, quantum potest, debet, ut æqualitatem, quam læsit, refarciat.

19. Potest tamen Prælatus impedire, ne hic religiosus ex subtractione peculij, vel suarum commoditatum, soluat seculari prædicta debita ex de-

licto, etiam in religione contracta q. Ratio est, quia fructus peculij, & totum, quod sibi religiosus subtrahit de sua commoditate, est in dominio religionis, potest ergo Prælatus illud nolle à se abdicare, & sic restitutionem iustè impedire.

q. *Sanch. l. c. n. 113. contra Navar. licet eodem l. 7. in Dec. cap. 31. nu. 39. sui dicti immemor sequatur contrarium.*

20. Fateor ergo, ex illo delicto religiosi, necessario, & immediatè oriri obligationem restituendi; oritur enim ex ipsa natura iniustæ damnificationis, & hoc solum potuit velle Delugo r, qui nobis videtur contrarius; sed dico, posse deinde impediri ipsam restitutionem à Prælato, ex eo, quod religiosus non habeat, vnde reddat, Prælato contradicente, qui iustè contradicere potest, quia solus ipse potest disponere; & non religiosus, de rebus quomodocumque pertinentibus ad religionem. Atque ex huius doctrinæ inadvertentia defecisse in hac doctrina videntur non pauci.

r. *Delugo t. 1. de just. d. 3. sec. 10. num. 223.*

21. Dixi autem (seculari) nam si religiosus damnum per grauem culpam Theologicam fecerit monasterio, v. g. in officio Procuratoris, Cellerarij, Sacristæ &c. Prælatus non potest impedire restitutionem, Prælatus enim, nisi causa proportionata obstet, obligatur, monasterij sui indemnitàtem procurare.

22. Assertio secunda. Si religiosus, dum est intra religionem, contractum aliquem, siue onerosum, siue gratui-

gratuitum cum aliquo iniit. unde oriatur obligatio restituendi ; erit distinguendum. Vel enim iniit legitime, nomine religionis ; & tunc tenetur ipsa religio. ut ex se patet , & probat fuse Sanchez s : vel nomine religionis, nec cum licentia Prælati : & tunc sine dubio ad nihil religio tenetur : vel denique iniit, non quidem dicto legitimo nomine religionis , at cum licentia Prælati, siue etiam sine dicta licentia ; & tunc si ex eiusmodi contractu damnum contrahenti successit , quia tunc adest damnificatio externi , quæ comparatur iniuste receptioni , recurret contra religiosum doctrina allata numero 17. Religio autem tunc nihil debet, quia ex delicto religiosi, ut modo diximus , non debet monasterium damnum pati ; & illa licentia, quando affluit, non data est ad contrahendum, nomine monasterij, sed fuit mera permissio, ne religiosus illicitè contraheret.

s *Sancti l. 1. in Dec. c. 31. à n. 9.*

23. Dices, si servus , vel animal damnum infert tertio , Dominus eorum tenetur t vel refarcire damnum, vel servum seu animal pro noxa dare, ergo in casu nostro, si religiosus damnum infert tertio, violando v. g. tertij depositum, si non tradetur religiosus, saltem refarciatur damnum à religione. Respondeo , neganda est consequentia, quia religiosus non est servus ; lege Sanchez u & Castropalaum x , qui docent commune esse apud Doctores, religiosum, tum seruo, tum filiofamilias comparari, prout monasterio vtilius fuerit ; sed in re nostra vtilius est monasterio, illū comparari

filiofamilias, cuius delicto non tenetur pater, ut alibi ꝛ diximus, ergo &c.

t *l. 2. de Noxal Actione nos diximus supra l. 6. c. 4. §. 2. u Sanchez multis probans l. 7. in Dec. c. 12. n. 40. x Castropalaum l. 3. tr. 10. d. 3. p. 5. n. 5. z supra l. 6. c. 4. §. 2. n. 6.*

24. Quod si ex eiusmodi contractu à religioso nomine suo inito cum licentia, vel sine licentia Prælati, nullum damnum tertio successit , sed solum agatur, an religiosus debeat stare contractui, aio, probabilius esse in foro conscientie debet stare. Ratio est, quia est probabilius, tunc oriri obligationem naturalem in religioso, dum superior contractum illum non irritat ; & huius ratio est , quia sicuti votum religiosi Deo promissum est validum, donec superior irritet, ita & id , quod homini promittitur.

25. Neque dicas , religiosum non habere, nec velle , nec nolle ; ne id dicas, inquam ; nam non habet, quia non est tam efficax, ut non possit à superiore revocari, non verò, ut non possit obligare.

26. Quoniam vero, ut innuimus, potest hunc contractum irritare superior, atque adeo nullum reddere. etio, possit illi stare, si velit. ut fatentur omnes, sicut potest, sed non tenetur pupillus vel minor , quando contrahit sine autoritate tutoris vel curatoris ; inquiri, id semperne est , etiam quando ipsemet superior dedit licentiam ? & quid de successore eius, qui eam licentiam concessit ? respondeo, quando ab ipso, vel à quocumque successore data est licentia, non posse nec ab ipso, nec à quocumque alio superiore irritari eiusmodi contractum ; ratio est, quia licentia

licentia facit, ut contractus sit omni ex parte validus, unde acquiritur jus tertio; hoc autem semel acquisitum, injustitia fieret, si posset invalidum reddi. Sanchez ibidem addit, si tunc superior nihilominus revocet licentiam, nolique, ut subditus stet ejusmodi contractui, non peccare subditum, si ei non stet. Verum hoc intelligere non possum; si enim ipse nobiscum concedit, tunc acquisitum esse jus tertio, qua ratione subditus in re tam clarè injusta, atque adeo peccaminosa posset superiori obedire? tunc igitur solum poterit irritare contractum superior, & consequenter subditus illum non exequi, quando sine vlla licentia initus fuit.

a Sanchez. l. 9. de Matr. d. 40. n. 14.
c l. 7. in Dec. c. 31. n. 41. contra Less.
 l. 2. c. 40. d. 10. n. 15. dicentem, valide posse, sed non licite sine justa causa.

27. Disparitas denique, cur possit idem superior, qui dedit licentiam subdito, ut voveat, vel eius successor, irritare religiosi vota, non verò possit promissiones homini factas, est, quia ex voti approbatione non acquiritur jus tertio, sed Deo, cuius vices cum superior gerat ad gubernandum subditum, potest, saltem ex justa causa, eidem remittere jus Deo acquisitum: contra, cum non gerat hominis vices, jus homini acquisitum remittere non valet.

b l. Sanchez. l. 9. de matr. d. 40. n. 14.

§. II.

Quid?

1. Quomodo idem, quod debetur, vel ejus aestimatio restituenda

fit, patet ex dictis. Solum id superest notandum, an ut me occultum furem non patefaciam, possim rem extantem retinere, eiusque valorem restituere? respondeo, id non posse passim contingere; quia tunc potero a media alia persona, quæ de me tacet, restituere. Quando tamen, licet rarissimè, eveniret, ut meam famam tertiæ personæ credere merito non audeam, aio, tunc licere, valorem reddere, etiam si putem, Dominum nolle valorem, sed velle omninò rem: ratio est, quia pluris facienda est mea fama: advertite, de notabili fama esse sermonem, ac notabiliter excedente aestimationem, quam assequeretur Dominus de re sua, ut ex superius dictis colligi potest. Immo casus, licet etiam rarus, esse possit, ut propter meam eandem famam, nec rem ipsam, nec valorem restituere teneam, sed expectare mihi liceat, donec nanciscar personam aptam, qua media restituam, &c. Vel si nunquam inveniam, nunquam restituam; ratio eadem, quia mea notabilis fama exiguo proportionaliter damno alterius pecuniario prevalere semper debet.

a Dicast. l. l. 2. de rest. t. 2. d. 11. d. 20. num. 121.

§. III.

Cui?

1. Anè Domino: sed adhuc dux obviam se mihi faciunt quaestiones; alias faciliores vide apud alios; prima, an Domino restituendum id, quod eidem allatum sit damnum? secunda, cui restituendū quan-

Q 0 0 3

do Domi-

do Dominus non appareat? singulas breviter percurramus.

*An restituenda Domino res ipsi no-
civura?*

2. Habeo apud me Petri gladium & vestes, an possim primò, debeamque eidem restituere gladium, quo ipse sit certo occisurus contra justitiam suam inimicum, vel etiam fortè se ipsum? secundo, an vestes, quibus certo vsurus creditur ad fornicandum. Dixi (certo,) nec enim sufficit dubium, cum nemo sit præsumentus in dubio acturus male; immo neque probabilitas, moralem certitudinem non pariens, quia si sit probabile, Dominum hoc gladio peccaturum, erit etiam probabile oppositum; at in pari probabilitate melior est conditio Domini, qui rem suam apud te possidet, ut alibi *a* dictum est fusè. Exciperem furiosum; huic enim non redderem gladium, etsi solum probabiliter, immo & si sola suspicione timeam aliquod proximo malum. Ratio est, quia sic favebo fortè innocenti, & ex alia parte furioso, dum talis est, nullam injuriam facere censeor.

a lib. 1. c. 3. à §. 3. & deinceps.

3. Iam verò, quoad prius, assero, regulariter me non teneri, immo me peccare contra charitatem, si restituam rem ei, qua vsurus sit ad peccandum contra justitiam *b*: ratio est, tum quia hic non agitur de deneganda restitutione, sed de differenda: atqui maior ratio differendi, quam velle expectare bonum & utilitatem ipsius Domini; tum quia, si quando possum, debeo

aufferre gladium ab eo, qui vult occidere innocentem, quanto magis gladium denegare?

b S. Tho. hic ad primum.

4. Addidimus illud (regulariter) nam aliquando denegare non teneor. Primò, quando non possum sine magno meo incommodo, v. g. cum periculo meæ vitæ, vel fortunarum, nisi fortè bonum commune exposcat, ut ne tunc quidem reddam, juxta alibi *c* dicta; tunc bonum commune præferendum esset meo.

*c sup. l. 6. c. 1. §. 2. num. præfer-
tum 4.*

Secundo, si ex mea denegatione secutura essent maiora, vel æqualia mala; cum enim tunc spes non esset obviandi malis, cessaret ratio rem alienam retinendi; vide mox n. 10.

5. Addidimus item (peccare contra charitatem) quod certum est. Quid vero? peccabone etiam contra justitiam, ita ut obliget ad restitutionem, si Dominus damnum injustè alicui inferat, eo v. g. gladio, quem ego culpabiliter reddidi? Molina *d* docet, me peccare solum contra charitatem, Lessius *e* verò contendit, etiam contra justitiam, idemque multis probat Salonius *f*.

d Mol. t. 3. d. 755; e Less. lib. 2. c. 16. dub. 4. f Salonius hic contr. 2.

6. Profecto Lessij sententia probabilior est quia tunc valdè proximè cooperarer ad injustam illam actionem occisionis, reddendo gladium, quem negare possem: dices; neque contra charitatem, neque contra justitiam pecco, reddens pecuniam debitam ei, qui illa domum, vel navim empturus est, in

est, in quibus certo scio, vsuras, fraudes & illicita mercimonia à Domino esse exercenda, ergo neque in casu nostro; respondeo, negando consequentiam; nam illa delicta valde sunt remota à mea redditione pecuniæ; quod si quæ cooperatio cum peccato alterius appareat, satis excusatur à debito, quod ego habeo, reddendi Domino pecuniam suam; at prædicti gladij & similibus redditio, de qua nos loquimur, proxima est ipsi actioni iniusta, quæ facienda est. Quare, si non est aliqua maior & urgentior ratio reddendi, qualis esset metus mortis vel similis magni mali, non excusabor à peccato, non solum contra charitatem, quod omnes concedunt, sed nec à peccato contra iustitiam, quod cum Læsio contendimus; quia eadem cooperatio tam propinqua ad actionem iniustam, me etiam iniustum constituit, quasi socium & complicem ejusdem delicti contra iustitiam.

7. Injustas: nemo tenetur ex iustitia (etiam si possit) defendere innocentem, nisi id ex officio illi incumbat; tenetur enim solum ex charitate, si sine suo notabili incommodo possit, ergo neque ego teneor ex iustitia denegare gladium volenti occidere eundem innocentem, sed solum tenebor ex charitate. Respondeo, nego consequentiam; aliud enim est defendere innocentem, ad quod non teneor, nisi ex charitate; aliud, non cooperari ad occisionem innocentis, ad quod teneor, etiam ex iustitia; & huius ratio est, quia cooperari, est positivè esse veluti socium & complicem delicti, quod non est, non defendere, respectu cuius non

incumbit ex officio. Et hinc etiam fit, ut si Dominus occisurus inimicum, sumeret ex se gladium suum à mea domo, & ego non impedirem, cum possem, fit, inquam, ut ego tunc solum contra charitatem delinquerem, quia tunc non cooperarer quasi confocius, sed solum negative me haberem.

8. Injustas iterum: ergo etiam ego peccarem contra iustitiam, si redderem pecuniam promissam pro vsurario, qua scio, ipsum vsurum ad iniustas vsuras, quia dando illi materiam tam proximam vsuris, jam cooperarer cum illo veluti socius ad iniustum lucrum. Respondeo, ita esse per se, & nisi ex aliquo capite accideret excusatio; at certè semper accidit: primò, ne rixæ sint cum vsurario: secundò, ne ego habear infidelis: tertio, ne quando iterum mutuo indiguero, idem vsurarius, vel alius mutuum mihi deneget: adde denique, maximè me excusari ex eo capite, quod vsurarius semper fit paratus ad iniustum lucrum extorquendum; de qua re alibi g. dictum est factis.

g. *sup. lib. 4. c. 1. §. 4. à num. 8. præsertim 42.*

9. Quoad posterius, assero h, me non teneri restituere, immo contra charitatem me peccare, si restituam id, quo certo scio Dominum peccaturum contra alias virtutes à iustitia, nisi accedat excusatio; ratio est, quia ex lege charitatis tenemur, succurrere proximo indigenti, quando sine magno incommodo possumus, ut hic nos posse supponimus. Quamvis ergo creditor absolutè habeat ex vi iustitiæ jus petendi suum, non tamen hic, & nunc, quando

quando eius peccatum facile per denegationem illam removeri potest: iustitia enim non est contraria charitati, sed potius illi maximè subordinata.

h. *Less. l. 2. c. 16. dv. 4. Mol. d. 755. Val. hic q. 6 p. 7. in S. Tho. 2. 2. qu. ult. art. 6.*

ii. *Vrget*: si Dominus vellet vti sua pecunia ad peccandum, tu non posses illam pecuniam auferre, ut peccatum impedires; satis enim est, si vtaris (quando spes est emendæ) correctione fraterna, ergo neque potes ejusdem Domini pecuniam denegare. Respondeo, nego consequentiam: nemo enim tenetur impedire alienum peccatum, vi detinendo, vel res ejusdem auferendo: hoc enim esset magnum onus, & ex se valde fidelibus incommodum: at tenetur impedire non concurrente, non præbendo positivè materiam, & instrumenta ad peccandum, quia id non est ex se valde onerosum & incommodum.

Signatè dico, ex se, & num. præcedente dixi (nisi accederet excusatio) nam sæpissimè excusantur fideles, restituendo: primò, quia negare non possunt Domino, sine periculo notabilis mali; si enim ipsi non restituent, potest Dominus agere coram iudice, & illos compellere; qui cum non possint probare pravam Domini intentionem, patiuntur litis expensas, infidelitatisque notam, idque sine fructu; nam Dominus suum recuperando per iudicem, intentionem malam, ut libuerit, exequetur. Secundo, quia si res agatur inter æquales, facile suboriuntur inimicitia, unde peiora mala consequerentur: quibus colligo, Dominum serio petent &

suum, valde raro, posse repelli; quantumvis eius malus finis cognoscatur, quia valde raro ex denegatione incommodum notabile debitori cessabit.

Cui restituendum, non apparente, seu ignoto Domino?

11. Nisi hic distinguas, facile, ut certè non raro etiam doctis accidit, prolaberis. Quatuor hinc sunt diversi casus; primò, quando Dominus defunctus: tertio, quando est ignotus, seu incertus: quarto, quando rei de qua agitur, Dominus nullus est; de primo dicetur mox in circumstantia Quo loco; de ceteris hic.

Defuncto Domino rei, cui sit illa restituenda?

12. In hoc casu restitutio facienda est legitimo hæredi; legitimus autem est, vel per testamentum, vel per iudicis sententiam, vel per legum dispositiones, ut cum ab intestato remanet hæres, qui est strictior in gradu. Ratio dicti est, quia hæres succedit in omnia jura realia defuncti: idem enim est, esse hæredem.

13. Quid, si defunctus nullum habeat hæredem, nec de rebus suis disposuerit, quando bona ab ipso relicta vocantur bona vacantia? respondeo, ex se hæc de jure naturæ sunt primi occupantis; habentur enim pro derelictis, nulliusque Domini sunt; siquidem mortuus amittit omnia bona temporalia, nec eorum amplius in alia vita Dominus est: cum ergo ante mortem nihil

nihil disposuerit nunc vero post mortem disponere non possit, remanent ea bona sub nullius dominio.

Dices; disposuit tacite & interpretative, ut illa distribuerentur inter pauperes, vel loca pia, pro ipsius anima. Respondeo; quid si hic erat gentilis? quid si est in inferno? quid si alius voluisset relinquere, & quia loqui non potuit, non disposuit? valde igitur incerta est hæc tacita voluntas, atque adeo videntur nunc obligare non poterit.

gg *Sotus Petr. Nav. Vasq. Less. apud Dicastil. loco mox citando n. 373.*

14. Dixi autem (ex se, & de jure natura) nam in aliquibus regnis applicantur Fisco, vel sive per leges, sive per consuetudinem introductam timoratorum, ejusmodi bona distribui solent, & debent h pauperibus, vel locis pijs. Unde & his Bulla compositionis, fauet, ut pluribus ingeniose docet, P. Franciscus i Bardi. Mobilia peregrinorum, si hi decedant intestati, & sine hæredibus, distribuantur in pias causas, per manus Episcopi illius loci, ut habent jura, l de quibus videantur Doctores m.

h *Dicast. li. 2. de just. tr. 2. d. 9. dub. 14. n. 380. citans. Azor. & Reginaldum, sed quid, si debeant solum ex consuetudine congruente, non vero obligante? i Bardi li. 2. selec. Mor. q. 16. l. Aut, Omnes peregr. & communia, de successione. m. Vide de his Mol. t. 1. de just. d. 53. Dic. l. c. aliofque passim.*

Ignoto vel incerto Domino, cui restituendum?

15. Distinguendus est Dominus incertus ab ignoto. Si debes rem huic vel illi, nec scis determinate, cui, erit Dominus incertus; si vero debes rem

alicui determinate, nec illum villo modo (facta morali diligentia, quæ semper, pro qualitate rei, facienda est) cognoscere datur, ut si furatus sis à viatore tibi incognito, certus erit Dominus, licet ignotus.

16. Quoad prius, tria breviter sunt notanda: primum, quando scitur, nempe pertinere ad vnum ex duobus, vel tribus, sed ignoratur, ad quem determinate pertineat, debet n inter illos dividi, juxta ipsorum voluntatem, immo & pro rata majoris vel minoris probabilitatis vel dubij, ut alibi dictum est à nobis o in simili.

n *Less. l. 2. c. 15. dub. 1. n. 2. l. Ludovicus à Cruce in Bullam cruciata d. 3. dub. 6. n. 4. ff. o l. 1. c. 3. §. 3. & §. 7. v. restit.*

17. Secundum, quando p quis communitatem aliquam, redditus v. g. vel feudum alicuius civitatis læsit, restitutio faciendæ est ipsi communitati, non autem particularibus civibus, quia communitas ipsa læsa fuit.

p *Vasq. de restit. c. 5. §. 4. du. 1. Rebel. 1. p. l. 2. q. 12. & l. 1. q. 15. Molin. t. 2. à d. 544. Less. l. 2. c. 14. dub. 6. & 7. & c. 3. dub. 1. Azor 3. p. l. 4. c. 26. Dicastil. l. 2. de just. tr. 2. d. 9. dub. 14. n. 365.*

18. Quidam Senator prædivitis civitatis, dum eam gubernaret, seposuit sibi ex publicis redditibus aureos mille, meq; interrogabat, an posset eos distribuere in pauperes ejusdem vrbis, & sic ab onere restitutionis liberari? respondi, nequaquam; quia in aureos illos, non magis jus habent inopes, quam locupletes. Debent ergo restitui ipsi aario publico. Quando enim defraudantur ea loca, quæ faciunt vnum corpus ex multis, ut Montes pietatis,

P p p

omnes

Seminaria. Hospitalia &c. non defraudantur ipsi peculiare Alumni. Convictores, Infirmi &c. non satisfit restituendo his, sed omnino restitutio facienda est ipsis locis defraudatis, ad quorum deinde superiores pertinebit, ea bona restituta simul cū ceteris administrare.

19. Tertium : quando quis læsit non communitatem ipsam, ut dictum est, sed multos ex ipsis particularibus, qui cognosci nequeunt, ut quando in bello injusto civitas deprædatur, restitutio fiat, vel Episcopo, vel viro probog, qui dividant in singulos cives, pro damno accepto, quantum fieri potest. Quod si hoc idem non potest, ut accidit, quando quis defraudat in pretio vel mensura eos, qui emunt minutiores cibos; nemo enim potest scire, quos in particulari læsit, scit tamen, læsisse hanc viciniam, hanc civitatem, hunc populum; tunc iudicio prudentis viri, aliquod bonū his defraudatis commune faciat, quod, quantum fieri potest, damnum compensetur, vide citatos: atque hunc juvari posse per Bullam compositionis, ubi ea conceditur, monet rectè Ludovicus r à Cruce.

q Delug. t. 1. de iust. d. 6. sec. 12. n. 148. in simili, versio, hinc inferat primo. r Ludov. à Cruce in Bull. Cruc. d. 3. dub. 14. n. 3.

20. Quoad posterius, id est, quando certo constat, adesse rei Dominum, qui sit omnino ignotus, duo casus sunt distinguendi. Primus casus est, quando res venit restituenda ex radice injustæ acceptionis, vel similis injustitiæ. Et tunc si facta diligentia inveniri Dominus non possit, est omnino ex definitione Alexandri ss Pontificis pauperi-

bus, vel locis pijs distribuenda: in hac enim & simili materia sub pauperum nomine semper intelliguntur etiam loca pia. Possent tamen etiam in hoc casu vsui esse Bullam compositionis, merito notant Doctores, r ut etiam, si is est verè pauper, posse sibi applicare, ijde notant u; & denique addunt ijdem, etiam posse dari & debere, x si sint heredes, consanguineis Domini rei ablatae, patri v. g. filio &c præsertim, si ij sint pauperes. & ita prudenter iudicetur velle Dominum.

ss c. cum tu. De usuris, ubi Alexander III. usuras jubet tradi pauperibus, quod Doctores extendunt ad alia ex quocumq. delicto. Dicast. l. 2. de iust. tr. 2. d. 9. dub. 14. n. 368. s Nav. in man. c. 17. n. 43. & communiter apud Dicast. l. c. n. 38. r Mol. d. 748. Lud. à Cruce l. c. alijq. u Molin. d. 747. Lessl. 2 c. 5. n. 41. x Delug. t. 1. de iust. d. 20. sec. 8. §. 1. n. 191. fin. & lasini ib. d. 6. sec. 12.

21. Secundus casus est, quando res restituenda venit ex contractu iusto, vel ex re, quocumq; modo bona fide accepta, & cōmunis difficultas solet hic esse de rebus casu inventis: (nam de habitis ex dicto contractu mox dicam n. 31.) v. g. de marsupio nummis pleno, annulo aureo, libro &c fortè inventis in via, in templo, in platea, quæ præsumuntur habere sine dubio Dominum, Facta enim diligentia, nec Domino invento, cuiusnam hæc erunt restituenda?

22. Duplex, ut solet, est sententia; altera a communis, debere pauperibus distribui. Ratio est, quia cum hæc bona habeant actualem Dominum, non sunt censenda bona derelicta, quæ sint primi occupantis, sed sunt applicanda juxta præsumptam

præsumptæ Domini voluntatē, quæ certè, saltem inter fideles est, ut pauperibus, vel in cultū Dei locis pijs distribuatur.

a *Mol. t. 3. disp. 746.*

23. Altera minus est communis b, sed mihi, vel probabilior, vel æque probabilis (certè P. Franciscus Turrisi nostræ Societatis doctissimus Theologus, & in Philosophicis amantissimus præceptor meus, hanc meliorem appellabat) docet, posse quempiam rem ejusmodi sibi retinere, animo tamen, ut si compareat Dominus, ei illam reddat (si tamen nondum eam consumpserit) vel in quo factus sit ex illa ditior; ratio huius sententiæ est, quia quamvis verè, & ut ita dicam, physicè, hæc inventa non sint bona derelicta, sunt tamen moraliter quasi derelicta: cum enim Dominus non habeat spem rem suam recuperandi, jam non amplius, secundum humanam æstimationem, judicatur, amplius de illa velle disponere, cedunt ergo primo occupanti. Non autem esse hæc bona vacantia, nimis est clarum, quia vacantia ea solum sunt, quæ relinquuntur à defuncto, modo insinuato n. 14. qualia certè non sunt, nec præsumuntur esse ejusmodi inventa. Adde ipsam praxim, qua videntur omnes celsisse suo juri in rebus omnino derelictis, cum sapissimè ne timorati quidem ea pauperibus distribuunt, sed suæ sorti attribuant, ea invenisse. Adde iterum, Dominum magis præsumi, velle rem suam seruari apud inventorem, ut si fortè, antequam res consumatur, ipse Dominus compareat, ipsi reddatur, quàm distribui pauperibus, qui

statim rem consumunt, nec spem ullam relinquent reddendi.

b *Sotus l. 5. de just. q. 3. art. 3. Arag. 2. 2. qu. 66. art. 5. & Mol. fatetur hanc sententiam doceri à multis recentioribus, Vasquez, Malderus, Castropal. p. 19. de just. in gen. d. unica puncto 4. alijque apud Delugo t. 1. de just. d. 6. sec. 12. n. 138. & apud Dicast. l. c. n. 422. quam ipse probabilem etiam vocat num. 481.*

c *Mol. . 1. tr. 2. d. 53.*

24. Ex his vides, me non fundare, ut alij d faciunt, hanc doctrinam, quasi dicam, hæc inventa verè non esse sub physico dominio sui Domini: solum enim dico, statim atque facta diligentia, Dominus non apparet, moraliter judicari, esse sub dominio nullius, propter voluntatem præsumptam Domini, nolentis amplius de re illa disponere.

d *Vide Delugo l. c. sec. 7.*

25. Obijcies cum Molina e, qui sic contra Sotum, atque adeo contra nos argumentatur: si hæc inventa bona post exhibitam diligentiam essent derelicta, & ab inventore retineri possent, possent etiam retineri acquisita ex delicto, v. g. ex furto, vel v. sira, quando horum ignoratur Dominus, quia pari modo essent existimanda derelicta, quod tamen negavimus numero 20.

e *Mol. l. c.*

26. Respondeo, magnam adesse disparitatem, & totam ducendam ex voluntate interpretatiua Domini, qui jam supponitur adesse, licet incognitus. Hic enim rationabiliter præsumitur velle, ut inventor, & vniuersim

P p p 2

omnes

omnes bonæ fidei possessores, ea inventa servent, immo ipsidem fruatur, quandoquidem bona fide, & sine injuria ipsius Domini occupauerunt: at nullo modo præsumitur velle, ut ille, qui iniurius fuit, ea bona per iniustitiam arripendo, eadem sibi seruet, vel ijs fruatur; iudicatur ergo Dominus, sua bona aliquando quasi deserere, non tamen proficere sibi injurio, sed pro nulla iniustitia culpa laborante.

27. Dixi (quasi) nam Molina reprehendit Sotum, perinde ac si diceret, hæc esse secundum omnem rationem derelicta, id quod certè ita non est; quia omnino derelicta non sunt, si Dominum actu, licet incognitum habeant. Nos igitur dicimus, esse quasi derelicta, quoad hunc effectum, quod ex præsumpta Domini voluntate, possit ea sibi, donec fortè Dominus compareat, retinere.

28. Quid si comparente forte Domino, res inveniatur consumpta omnino? respondeo, si res sit bona fide consumpta, nec inventor sit ex illa re factus in aliquo ditior, puto, ut modò inuimus, non deberi Domino æquivalens, quia bona fides liberat eiusmodi inventorem ab onere restitutionis. Idem dicendum esse in casibus supra dictis, quando quis sibi, ut vero pauperi, rem applicuit, meritò docet Less. f. Quòd si res extet, vel aliquid, in quo factus sit inventor ditior, sanè debet Domino comparenti reddere; nemo enim debet alienis rebus ditescere; id quod ita verum est, ut etiam ex probabiliori sententia, g si ea inveniatur jam pauperi distributa, debeat pauper Domino comparenti reddere, si illa pauper in individuo habeat, vel factus in ijs rebus fuerit ditior.

f Less. l. 2. c. 14. dub. n. 42. alijque apud Dicastill l. c. 2. de just. tr. 3. d. 9. dub. 14. n. 391. & deinceps. Molin. & Less. contra. Petr. Navar. & Rodr. apud Barth. à S. Faust. in spec. Conf. d. 4. q. 178.

29. Denique tria adverte. Primum, si rem alicuius invenisti, & acquisivisti, cum magno periculo, v. g. si ex incendio rem illam liberaisti, Domini est, non tua: tu vero potes ætimationem tui periculi & laboris exigere, ut etiam expensas damnumque emergens incrumque tibi fortè vere cessans &c vide, quæ dixi t. 3. c. 2. §. 8. numero 12. pro ipsa tamen sola inventione nihil ex h. iustitia potes requirere, sed solum ex gratitudine; ratio huius est, quia tota res inventa Domini est, tota igitur reddenda; at si tu aliquid necessario exigas, jam non totam redderes; ratio autem, quod pretium tuæ diligentia potes exigere, est, quia utilis gestor negotij Domini fuisti. Ergo potes aliquid moderatum accipere; moderatum, inquam, quia secus, non esses utilis gestor negotij, ut alibi dictum est.

gg Less. l. 2. c. 5. dub. 19. num. 67. h Covarr. Reg. peccatum p. 2. §. 3. nu. 3. alijs citatis. i supr. tr. 2. c. 8. à n. 7.

Quod dixi de re ab incendio erepta, dictum reputa de erepta ex naufragio: solum hic additur excommunicatio Bullæ Cœnæ contra occupantes bona naufragantium; ubi semper intellige, si adsit ac nosci possit Dominus: secus, de illis decerne, sicuti de rebus derelictis ab incognito domino.

Præterea rectè aliqui l. docent, non incurri excommunicationem ab eo, qui illa

qui illa bona capit, animo eadem restituendi veris Dominis: licet interrim ipsi utatur, modo impotens non fiat restituendi Domino, fortè comparenti.

1. *Suar. t. 5. de censuris, in expositione Bullæ. Cœna d. 21. sec. 2. allatus à Delugo t. 1. de just. disp. d. sec. 10. n. 99. Castrop. tr. 6. d. 3. p. 5. n. 2. Dian. p. 9. tr. 8. ref. 36. vers. votandum tertio.*

Si quis furetur, vel dono accipiat hæc bona naufragantium ab eo, qui primo occupavit, contrahetne hanc excommunicationem? contrahere docet Suarez *m*, quia quamvis mediate, adhuc accipit naufragantium bona. Negat Sayr, *n* probabilius, quia Bulla loquitur solum de primo occupante.

m *Suar. de censuris d. 21. sec. 2. nu. 33. n* *Sayrus & Sonka allati à Diana p. 9. tr. 8. ref. 36.*

Ligna denique ex inundatione fluminis asportata Domini quidem sunt, sed ex ipsorum qualitate, distantia Domini, labore in eripiendo collige, an Dominus pro derelictis habuerit: nam tunc primi occupantis erunt.

o *Mol. tr. 2. d. 255. o Castrop. de just. in genere, d. unica p. 19. n. 6.*

30. Adverte secundo, adesse aliquas leges applicantes hæc inventa quibusdam locis vel operibus pijs, quas puto, non esse vsu receptas, saltem quoad forum conscientie, & ante iudicis sententiam, lege Doctores *p*.

p *Petrus Navar. l. 4. de restit. c. 2. n. 12. Ludovic. à Cruce in Bullam Cruc. d. 3. dub. 15. Molina t. 1. tr. 2. d. 53. & to. 3. d. 750.*

31. Adverte denique tertio, mihi non esse improbable, quod docet Petr.

Nav. nimirum debita ex contractu posse, tamquam derelicta, post factam diligentiam, Domino non apparente, retineri; quia hæc comparari merito possunt cum inventis, quando quidem ignotum habent Dominum, ut supponimus; & per hoc responsum est ad illud, quod numero 21. promissimus, fore hic resolvendum.

q *l. unica C. de Thes. lib. 10. § Thefanros. Inst. de rer. divis. Less. l. 2. c. 5. du. 12. n. 58.*

Nullò existente Domino, cui res restituenda? ubi de thesauris.

32. Sub nullius dominio sunt ea, quæ sive à Dominis sunt omnino derelicta, ut quæ Dominus ipse à se proijcit, sive Dominum nunquam habuerunt, ut gemmæ rudes ad littus inventæ. Huc spectat thesaurus, qui definitur esse, vetus depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat. Addit Less. *r* id verum esse, quamvis sciatur, quorum maiores thesaurum condiderint; nam quod tanto tempore desijt possideri, desijt esse in dominio, tum recondentis, tum eius hæredum. Ita Less. à quo dissentit Delug. *s*, quia tempus quantumcumque diuturnum non tollit dominium rei à suo Domino, si is cognoscatur. Equidem adhæreo Less. quia ex diuturno tempore clarè colligitur, Dominum voluisse derelinquere, seu à se illam pecuniam proijcere &c.

r *Less. citatus à Delug. mox citando. s Delugo t. 1. de just. d. 6. sec. 11. n. 111.*

Quid autem de illo casu, quem alibi in alium finem enarravimus? de

Nocte quidam avarus senex terra infodit thesaurum; ego id casu praesenti, possumne hodie judicare, illud aurum esse derelictum, & juxta mox dicenda, mihi illud effodere? respondeo, si sum certus, eum non infodisse ad custodiam, sed animo, ut illic thesaurus posterum lateret, & pateret nemini, possem, puto, mihi auferre; at si advertam, infodisse ad meram custodiam, certe non possem. Ratio utriusque disti est, quia si ad custodiam, non desistit auri dominium esse apud senem: at si, ut lateret in posterum, jam praesumitur senex abdicasse à se, suisque haeredibus illius thesauri dominium, instar Cratis Philosophi, qui suas omnes divitias in mare projecit, ut liberius Philosophia vacaret.

t *sup. lib. 2. c. 6. §. 2. de superstitione n. 12.*

Thesaurus inventus.

33. Sed jam propius ad rem nostram veniamus; dico primo, adesse quasdam leges in jure communi circa thesauros. Primam, si in loco proprio inveniatur thesaurus, totus esto inventoris. Secundam, si vbi libet inveniatur per artes magicas, vel malas fisco regio applicetur. Tertiam, si in loco alieno, de industria, absque Domini consensu, totus Domino loci cedat. Quartam, si in eodem loco alieno, sed casu, dimidium sit inventoris, dimidium Domini loci. Quintam si in loco publico dividatur inter fiscum, vel civitatem, & inventorem; si vero in Ecclesia, seu loco sacro, quod non sit in vllius bonis, pari modo inter Ecclesiam seu Praelatum, &

inter Inventorem dividatur. Quid fiat, quando est duplex Dominus, alius quoad proprietatem, alius quoad usum fructum, vel quid simile, praeter juris ut peritos passim, legatur etiam apud x Theologos.

u *Jurisper. in leg. modo citatas, & passim. x Mol. d. 56. Less. l. c. Caram, Delug. l. c. l. 2. theol. mor. à num. 298. & passim.*

34. Dico secundo. De jure naturali, immo & gentium, thesaurus est inventoris a; ratio est, quia in nullius est est dominium, ut ex thesauri definitione modò allata manifestè apparet. Si aliquod damnum fecisti, ut thesaurum arripes, v. g. vineam extirpasti, vel murum destruxisti, &c. hoc totum deberi Domino restitui, dubium esse non potest.

a *Delugo l. c. nu. 112. Mol. d. 56. Sorius l. 5. de just. q. 3. art. 3. Med. lib. 1. de just. c. 4. & communiter.*

35. Porro, quoad forum externum, videant jurisconsulti, quo se extendant illae leges, aliaque fortè propriae municipales. Quoad forum internum, & in conscientia, sic habet Sylv. b: Secundum Petrum de Palude, hodie vbi cumq; inveniatur thesaurus, de consuetudine est principis. Sed ego dico, istam consuetudinem in conscientia non ligare, quia non est introducta per modum legis, sed violentiè; nec fuit vquam moribus vventium approbata, nisi violenter. Est etiam contra jura Canonica, quae volunt, bona incerta, si restituenda sunt esse pauperum; & si non sunt restituenda, est contra jura civilia, & contra naturalem aequitatè, ut patet in d. §.

in d. §. thesauros. ubi dicitur, quod
 „ D. Andr. naturalem æquitatem se-
 „ cutus &c. voluit thesaurum inven-
 „ tum in proprio fundo esse totum in-
 „ ventoris. contra quam æquitatē con-
 „ suetudo non potest. Hæc Silv. qui
 „ quam vis loquatur de consuetudine ap-
 „ plicante totum thesaurum Regi, tamen
 „ multum favet asserenti, eiusmodi om-
 „ nes leges civiles esse pari modo vio-
 „ lantur, quod nolo decernere. Lege Ca-
 „ ramiel. c. aliosque.

b Sylv. v. inventum. n. 13 fauent So-
 „ bus & Medin. l. c. quatenus negant, prin-
 „ cipem posse statuere, thesau. totos esse suos,
 „ lege Franc. Bardi in select. mor. l. 2. theol.
 „ moral. n. 289. fauet ex parte Bannes, alijq;
 „ apud Dicast. l. 2. de just. tr. 2. d. 9. dub. 15.
 „ n. 310. & propendet, Less. l. 2. c. 5. du. 17.
 „ n. 66. citans Sylv. & Sorum, quibus adde
 „ Trull. in expl. Cruciat. l. 33. casu 14. n. 10.
 „ adducentem Lopez, qui dicit, Inventorem
 „ non obligari, quid dare principi, antequam
 „ exigatur.

36. Ex eo capite, quod thesaurus
 de jure naturali est Inventoris, sequi-
 tur, posse te i. emere ab alio fundum,
 in quo scis (etiam certò) adesse the-
 saurum; cum enim ex vna parte the-
 saurus infossus nullum habeat Domi-
 num, & consequenter Dominus fundi
 non sit Dominus thesauri; atque ex
 altera parte tu fundum iusto pretio
 emas, ut supponimus, non est, unde vl-
 la culpa committatur, quidquid aliqui
 l. nimis scrupulosè dixerint.

i. S. Thomas, Bannes, Navar. Mo-
 „ lin. Val. alijque apud Turr. d. 43. dub.
 „ 3. num. 1. adde Vasquez aliosque apud
 „ Delugo l. c. n. 126. 1 Angelus, Tabiena,
 „ Armill. apud Turr. ibid.

37. Dices, at fundus, in quo adest
 thesaurus, maiori pretio est dignus;
 respondeo, non ita. Dignus enim est
 solo pretio, secundum communem
 hominum existimationem, quæ est
 regula constituens pretia rerum, ut
 suo loco dictum est: at, donec lateat
 thesaurus, communis æstimatio est,
 perinde ac nullus omnino lateret.
 Dari solet exemplum de Pharmaco-
 pola emente vili pretio fascem li-
 gnorum, in quibus cognovit ad-
 esse pretiosissimam herbam com-
 munitè ignotam.

38. Denique audi resolutionem
 „ Caramuelis, m. circa casum, qui
 „ frequenter accidere solet. Petrus
 „ conduxit operarium, ut puteum ef-
 „ foderet in domo sua, nempe diurni
 „ floreni pretio, & hic ollam auro ple-
 „ nam invenit; cuiam invenit, sibi,
 „ aut conductori? respondeo, sibi,
 „ ratio est, quia illud est Inventoris.
 „ Stando enim in jure naturæ, omnes
 „ thesauri, cum ex se nullius sint, fiunt
 „ inventoris, qui nihil tenebitur dare
 „ Regi, nihil reipublicæ, nihil Domi-
 „ no agri, in quo reperit. Sed nunc
 „ Petrus est inventor, ergo &c. Obij-
 „ cias; at vrinator mercatori gem-
 „ mas in mari quærit: respondeo, ita.
 „ quia conductus est ad gemmas quæ-
 „ rendas, & operarius conductus
 „ fuit ad aquam quærendam, non
 „ thesaurum; & sicut dictus vrinator, si
 „ fortè in mari inveniret ensẽ, sibi
 „ illum acquireret, sic thesaurũ fossor
 „ &c. Addit; sic si lapidis lapsu vulne-
 „ retur, aut occidatur casu operari⁹, fa-
 „ nè Petrus nõ tenetur, operario ratione
 „ istius damni non prævisi; ergo neq;
 „ operarius;

operarius, ratione thesauri casu in-
 venti Taceat ergo operarius, &
 gratias agens Deo custodiat, beatior
 sine teste. Hac ille, abstrahens à
 legibus positivis, de quibus postea
 loquitur, & de quibus paulo ante nos
 egimus, deque ipsidem videatur Franc.
 Castill. t. 2. dec. 240.
 m. *Caram. l. c. num. 288.*

§. IV.

Quantum?

Tantum debet restitui, quan-
 tum est ablatum; ablati au-
 tem nomine intelligi damnū,
 lucrum, fructus, &c. jam satis in supe-
 rioribus est explicatum.

§. V.

Quo modo?

Nisi sit alicui a obviandum
 scandalo, satis erit, si restitutio
 fiat, sive occultè, sive publicè;
 sive per te, sive per alium: non enim
 est deneganda restituenti suæ famæ
 conservatio. Porro aliquot mihi fue-
 runt propositæ difficultates, quæ ad
 huius circumstantiæ dilucidationem
 facere possunt, & sunt ejusmodi.

a *Dicastill. l. 2. de just. tr. 2. d. 11.*
 dub. 10. n. 127. vide sup. §. 3.

*Restitutio facta Domino illam non ad-
 vertenti.*

2. Prima. An satisfaciam, si ita oc-
 cultè restituam, ut ne ipse quidem

læsus advertat? debeo v. g. tibi centum
 ex injusto, sed occulto latrocinio, &
 quia sum tuus per familiaris, timeoque,
 si secus quocumque alio modo resti-
 tuam, ne ego fur deprehendar; fingo,
 tempore tuarum nuptiarum, dono tibi
 gemmam donare, auro insertam ejus-
 dem valoris, ac furtum, re vera tamen
 tuum redditurus: liberaborne sic onere
 restitutionis, quo gravabar? ratio du-
 bitationis est, quia certo moraliter, vel
 saltem probabiliter, scio, te utpotè gra-
 tissimum virum, mihi alterum tan-
 tum in aliqua simili occasione redona-
 turum; non redonaturum, nisi ego an-
 tea donassem. Respondeo, cum hæc red-
 donatio sit ex mera liberalitate, ad
 quam ego amicum, nec induxi, nec ob-
 ligavi, non dicor, nisi indirecta causa
 illius, seu non sum absolutè illius cau-
 sa, sed solum occasio; quare cum peri-
 culo meæ famæ sit causa proportionata
 me excusans à cooperatione hujus no-
 vi detrimenti, quod ex occasione mei
 facti muneris patitur amicus, non pec-
 cabo, nec ad restitutionem consequen-
 ter obligabor: confirmatur, quia ad vi-
 tandam infamiam notabilem, licet dis-
 ferre restitutionem, immò & non resti-
 tuere, cum fama sit bonum superioris
 ordinis, ut alibi a diximus, cur ergo idè
 non procedat in casu hujus occultæ re-
 stitutionis, quæ magis favet creditori?
 ex quo vides, idem (si absit propor-
 tionata causa) fieri licitè non posse.

a *sup. cum de adulterio.*

An satisfaciam debito justitiæ, par
 donum gratuitum, immemor dicti de-
 biti, vide apud Trullench b affirman-
 tem, aliofque.

b *Trullench, in Dec. t. 2. lib. 7. c. 4. d. 5.*
Restitutio.

n. 10. contra Rodr. ab ipso cit. legatur omnino P. Baldell. sentiens cum Trull. apud Dian. p. 5. tr. 13. ref. 44.

Restitutio facta per intermediam personam.

3. Secunda. Rem, quam domino debebam, eidem misi per hominem, quem credebam fidelem, sed ipse muneri suo non satisfaciens, aufugit, obligaborne iterum restituere?

4. Respondeo: in aliquibus conveniunt hic doctores, *bb* discrepant in vno.

bb l. Nav. Less. Reb. Mol. alique moxitan. quibus adde Castrop. de iust. comm. d. 1. p. 17. §. 9.

Conveniunt primò, si debitum est ex re accepta, & res est in individuo aliena, v. g. vestis, equus, vas argenteum, hæc numero mensura tritici, quoties sine tua culpa gravi Theologica, ad dominum non affertur, ad nihil te obligari; ratio est, quia res domino perit: excipe, nisi adhuc in aliquo factus sis ditor; hoc enim adhuc à te deberi, non est controversum.

5. Conveniunt secundo, si debitum est ex contractu, quo aliquid à te alicui debetur, pari modo in individuo v. g. vestis commodata, equus locatus, hæc numero pecunia, per modum massæ deposita, probabile saltem esse, te non obligari, quoties sine tua culpa gravi theologica ad dominum non affertur; ratio est eadem, & quia ex contractu non obligatur quis, nisi ad diligentiam moralem, proportionatam illi rei, de qua agitur, in eodem contractu, ut supr. univèrsim dictum est; cum ergo

tu tradendo huic homini, quem bona fide fidelem credidisti, non peccaveris, saltem mortaliter, erit probabile, te ad iterum compensandum non vrgeri.

6. Conveniunt tertio; si debitum sit ex eodem contractu, ut si debeatur pretium rei emptæ, vel item si debeas ex re accepta, verum ita, ut debeas aliquid non in individuo alienum, sed debeas pecuniam solvere, vel æquivalens, te non liberari ab iterata restitutione; ratio est, quia, cum res quando perit, suo domino pereat, illa pecunia in manu mediatoris tibi perijt, qui eras Dominus; quare creditor adhuc erit satisfaciendus. Excipe, c nisi illam miseris per hominem designatum ab ipso creditore: tunc enim creditor in suo homine designato suam fecit pecuniam, adeoque ipsi perijt.

c. Doctores communiter apud Dicastill. l. 2. de rest. tr. 2. d. 3. dub. 4. n. 107.

7. Dissentiunt autem Doctores, si debitum sit ex delicto: furatus es equum, mittisque per hominem fidelem, v. g. per Confessarium, sive eundem equum, sive eius pretium (in hoc enim casu idem est, sive res debita sit in individuo, sive in specie) an si Confessarius ea non reddit Domino, sed præter tuam expectationem sibi usurpat, adhuc obligeris ad iterum restituendum? te liberat à restitutione prima *d* sententia, quia tu fecisti, quantum potuisti, & quia tunc creditor iudicatur consentire huic transmissiõni per hominem fidelem, perinde ac si ipsemet designasset, siquidem tu prudenter te gessisti. Te nequaquam secunda *e* sententia liberat; quia in te semper remanet ratio obli-

alix obligans ad restitutionem, nempe
injusta acceptio, & dominus nisi rem
ipse cum effectu habeat, non præsumi-
tur consensisse ad illam transmissionē,
quamvis per fidelissimum, nisi sub
conditione, quod de facto ad ipsum res
debita perferretur: hæc posterior sen-
tentia est certior; illam priorem non
audeo, propter authores eam sequentes,
improbabilitatis condemnare.

*d. Cenedo de paupertate Reli. d. 634.
n. 8. Dian. p. 2. tr. 3. seu 17. Miscel. res. 2. di-
cens, hanc esse sententiã tutã in praxi. Less.
l. 2. c. 16. dub. 6. n. 67. dicit, non esse omnino
improbabilem. Fill. t. 1. tr. 32. c. 5. nu. 135.
Rodr. Petr. Nav. citati à Dic. max citando
n. 114. Dian. p. 2. tr. 17. res. 2. e Less. l. c.
n. 65. Reb. l. 2. de rest. q. 13. sec. 3. nu. 11. Mol.
t. 3. d. 754. nu. 2. quando per Confessarium.
Tol. Nav. alijque apud Dia. l. c. quibus ad-
de Delug. l. 1. de just. d. 21. sec. 5. a n. 59. Di-
cast. l. c. n. 113. juncto v. 113.*

*Restitutio cum errore facta ex consilio
Confessarij.*

8. Ex dictis, quid statues de sequen-
ti difficultate, quæ tertio mihi loco
proposita est? confessarius bona fide
tibi indicit, ut vestes, vel pecuniam
v. g. quæ à Petro surripuisti, des pau-
peribus, tu promptè exequeris, illasq;
pauperibus ad assem distribuisti; mox,
sive idem confessarius, re melius per-
pensa, sive alius doctor tibi advertit,
incautum fuisse consilium, quia cum
sciretur dominus, domino res sua de-
beatur; obligaberisne ad iterum vero
domino restituendum? respondeo, te
obligari, sequitur ex dictis in posteriore
sententia relata num. præcedenti: sed

tamen, etiam si in cæteris casibus sequa-
ris posteriorem dictam sententiam, te
hic non audeo iterum obligare; ratio
mihi videtur esse, quia dominus non
debit in tanta tua pietate esse invidus,
ut non consenserit illi eleemosynæ,
Confirmo, si iterum restituis, semper
plus restitues, quam debes, ad quod
jus Iustitiæ nunquam obligat, ut dixi-
mus superius f. Probatur consecuti-
o, quia dares nunc pecuniam illam
ablatam, & insuper dedisti bonum il-
lud spirituale eleemosynæ, quod jam
cessit pro lucro spirituali domini, ergo
semper excederes in restituendo: id
quod pari modo esset, si solam partem
pretij iterum restitueres: nam semper
hæc pars erit supra id, quod debes, cum
bonum illud spirituale eleemosynæ
jam adæquaverit totum debitum,
f. sup. l. 6. c. 4. §. 3. n. 22.

Mediator rem restituendam amittens,

9. Denique duæ mihi hic addendæ
occurrunt non dissimiles difficultates,
Prior, quid nimirum in voto, & jura-
mento? vovi cum juramento calicem,
vel pecuniam domui Lauretanæ: nisi
ea per hominem, quem fidelem judi-
cabam, sed ipse illa sibi clanculum usur-
pavit: obligor ne ego, cum id rescivero,
iterum mittere?

Respondeo, scio, aliquos g te obliga-
re; verum hoc bona fide procedenti
nimis durum. Satis enim in re morali
ex Dei benignitate, à te votum seu ju-
rumentum fuisse adimpletum per il-
lam mediatam traditionem, existiman-
dum est h. Mediator autem ille sem-
per obligabitur muneri suo satisfacere:
ni fa-

ni faciat, peccabit, non contra votum; ipse enim nihil vovit; sed contra Iustitiam; & quidem puto, cum sacrilegio, *hb*, quia usurpat res divino cultui adiectas.

g alijque apud *Dian.* p. 10. tr. 16. ref. 97. *h* *Dian.* ib. citans *P. Tancredi.* *hh* *Fag. Eccl. prac.* 2. li. 4. c. 4. à nu. 8. & alij cum *Bonac.* circa 1. præcept. d. 3. q. 6. à nu. 23.

10. Inquiret curiosus: si sine culpa mediator illas amittat, obligabiturne ad aliquid? respondeo, si amittat calicem vel quid simile, in individuo acceptum, ad nihil obligo: quia ipse non obligatur ex voto, vel juramento; hoc enim parit solum personalem obligationem in vovente, vel jurante; non ex re accepta, quia eam amisit; non ex injusta acceptione, quia nullam commisit, vel certè non gravem culpam, ut supponimus; excipe, nisi fortè se per contractum obligasset, quod rarissimum est. At verò si amittat pecuniam, vel simile quid functionem recipiens, distinguendum est: si enim amisit eandem pecuniam v. g. vel totum cumulum pecuniarum, in quo erat & ipse, & voventis pecunia, ad nihil obligabitur, propter rationem modo dictam, & de hoc casu solum meminit *P. Tancredi* allatus à *Diana*, dum mediatorem amittentem casu pecuniam, ab omni onere liberat: quod si amittat aliam pecuniam, quia nimirum illam voventis, in proprios usus v. g. expendit, vel fortè domi repositam habet, tunc (cum amittat suâ pecuniam) obligabitur vel repositâ, vel illi æquivalentem, ad Lauretanam Ecclesiam deferre: ratio est, quia amissionis infortunium

nullo modo nunc debet cedere in damnum Ecclesiæ; quia non amittitur res, quæ sit sub Ecclesiæ dominio. Id quod negaturum non puto *P. Tancr.* nec alium.

i *Tancredi* mox citandus, ducto argumento ex c. licet. de voto. *l* *Tancredi* de *Relig.* tr. 4. lib. 2. d. 13. q. 4. n. 32. *m* *Diana* p. 10. tr. 16. ref. 97.

Restitutio doni, mortuo donatore.

11. Posterior difficultas per hanc occasionem explicanda, hujusmodi est. Titius famulo, vel alteri dedit vas argenteum v. g. ut ipsius Titij nomine, dono traderet *Cajo*: at famulus vel non tradidit, vel tamdiu dare culpabiliter distulit, donec Titius diem suum obiit, ita ut *Cajus* doni ignarus, illud ne acceptare quidem potuerit: quæritur, ad quid famulus sit urgendus? respondeo, *Molina* n docet, à famulo duplicatam deberi restitutionem: *Cajo* enim donatario debet vasis æstimationem, propter damnum, quod illi intulit, dum donum ei non tradidit, nec saltem significavit, quo potuisset *Cajus* illud acceptare. Hæredibus verò debet vas, quia cum mandatum Titij non habuerit effectum, & ex alia parte omne mandatum expiret morte mandantis, jam nunc vas non pertinebit ad donatarium, sed ad hæredes Titij donantis, nisi fortè donatio fuerit ad piam causam: tunc enim in favorem animæ præsumitur mandatum persistere. Hæc ex *Mol.* Verum duplicata hæc reddidura nimis erit famulo. Puto ergo, esse probabile, & sufficere, si is reddat vas donatario tantum; ratio est, quia satis

Qqq 2

est pro-

est probabile, mandatum illud cum sit
favorabile & gratia facta, non expirare
morte mandantis, sicuti non expirant
cetera gratia facta p.

n Molina t. 2. d. 263. num. 7. cui adde
sanè Lessium, Bonac. & ex parte Layman.
o Sa v. donatio num. 25. Less. putans, hanc
probabilem. Autor casuum conscientia
Bonacinae casu 2. apud Dian. p. 6. tr. 7. res.
4. p. Sanc. lib. 8. matr. d. 28. num. praefer-
tim 64.

§. VI.

Quando?

Profecto statim: de quo, deque
moroso debitore multa à me di-
cta invenies sup. a, quibus hæc
vel breviter adde, vel breviter recole.

a sup. tr. 3. c. 2. §. 6. & c. 7. §. 7. à n. 28.
& c. 8. §. 3. à nu. 7.

Primò, statim, intellige moraliter,
non physicè. Vnum enim vel alterum,
vel tertium diem differre restitutionem,
si domino damnum grave non emer-
git, non est gravis a a dilatio. Aliquid
amplius concedi, quando solutio est fa-
cienda ob contractum, v. g. ob censum,
mox dicam. Contra, magnam sum-
mam, nolente creditore, per partes sin-
gulis mensibus, vel annuatim solvere,
gravis b est dilatio; id enim non est, sta-
tim solvere. Multo gravior erit, si cum
scias, te verè debere, tamen vis cogi à ju-
dice; tunc enim præter peccatum dila-
tionis, debetis restituere expensas tuo
debitori, ut per se patet.

a a l. Dicast. loc. mox citando. b Ser.
Medina Mol. apud Dicastiff. lib. 2. tr. 2.
d. 10. d. 1. num. 6.

7. Secundò; qui cum possit, non re-
stituit, peccare continuo, & id vocari,
ac esse peccatum habituale, specialique
modo esse confessori aperiendum; alibi
b b docuimus. Sed & alia valde neces-
saria ad praxim confess. dicemus, infe-
rius c. 4.

b b lib. 2. exp. Conf. c. 1. §. præsertim 2.
3. Tertio, qui ab articulo mortis ur-
getur, nec per se ipsum restituere vult,
cum possit; sed vult relinquere onus
restituendi hæredibus; quique cum
dubius sit, an res sua sit; diligentiam
ipse, cum item possit, facere detrectat,
volens, ut eam faciant hæredes, non
sunt c absolvendi, quia ut caterata-
ceam, culpa gravis est, obligationem
propriam transferre velle in alios, qui
regulariter erunt ipso testatore negli-
gentiores, leg. doctores c c hac de re
valdè rigide differentes.

c Silvester, Navar. aliq. quos sequitur
Dicast. lib. 2. de just. tr. 2. d. 10. d. 1.
num. 15. c c Mol. d. 753. Less. l. 1. c. 12.
num. 11. Rebell. q. 17. n. 6. Vasq. p. 2. d. 75.
c. 3. n. 14. & 2. p. 9. 91. art. 1. dub. 5.

4. Quarto, quando solutio facienda
est ex contractu, quamvis aliqui te-
neant, peccari mortaliter, nisi fiat die in
contractu præscripta, saltem quando
intercessit juramentum, tamen Molina
merito docet, non semper mortaliter
peccari, quia juramentum intelligitur
moraliter modo; unde quando dilatio
nullum detrimentum affert creditori,
certaque futura sit solutio, dilatio non
erit censenda mortalis. Pari modo
notant aliqui, non esse reum culpæ
mortalis eum, qui cum debeat v. g.
singulis calendis sept. centum annuos,
eos non solvit, nisi à domino requira-
tur; hic

etur; hic enim est modus ordinarius humanus, eiusmodi census solvendi; verum id limitandum, seu declarandum omnino est. Quando enim creditor iudicatur rationabiliter esse invitus in acceptanda dilatione, non poterit excusari debitor, qui est solvendo; ut si v. g. propter nobilitatem, seu potentiam debitoris, non audeat creditor inops exigere, quis excusabit debitorem?

§. Quando terminus solvendi conditus fuit in favorem debitoris, ut in commodato & mutuo, potest a debitor terminum prævenire & solvere. Quod si creditor acceptare nolit, & fortè potestea res pereat, interitus creditori imputabitur, non debitori. Quando verò terminus fuit in favorem creditoris, ut in locato, tunc debitor prævenire terminum non valet; esset enim in damnum creditoris.

d. *Silvest. v. locatio, q. 6. Med. C. de restit. q. 3. causa 6. lege Marian. p. 8. tr. 7. ref. 17.*

Creditori autem ipsi nunquam conceditur, posse petere rem sibi reddi ante terminum conventum, nisi in tribus casibus. Primò, si debitor pergat ad inopiam; secundò, si fugam paret; tertio, si incipit esse suspectus de non solvendo; nam tunc cogetur, vel reddere, vel cautionem præstare.

e. c. *unic. de plus peti.*

§. VII.

Quo ordine.

Quando debes pluribus, nec es solvendo omnibus, certè creditori

habenti potius jus, reddere oportebit; quod si omnes æquali jure polleant, pro rata erit, quod habes, singulis dividendum. Sed ecce varius, multiplex ac difficilis nodus extricandus: quo enim filo manuductus intricatum hunc labyrinthum de prælatione creditorum evadam? puto strictim, ac summatim id à me explicari sine periculo obscuritatis non posse: nam propterea satius iudico, te in re, præsertim non admodum frequenti, ad Theologos & ac Iurisconsultos de ea fusè disputantes ablegare.

a *Molin. d. 760. Less. l. c. c. 15. Val. d. 5. q. 6. p. 10. Delugo t. 1. de just. d. 2. per totam. Vasq. c. 11. de rest. Dicast. li. 2. de just. t. 2. d. 11. Casstr. p. 7. d. 1. de just. comm. p. 18. à §. 13.*

§. VIII.

Quo loco?

Distinguendum est; vel enim agimus primo de restitutione debita ex injusta acceptione, seu ex quocumque delicto, vel secundo ex re accepta, vel tertio ex contractu.

Ex Delicto.

2. Si restitutio facienda est ex radice delicti, regulariter est exhibenda, ubi degit dominus rei; præterea quando absentia crediti est ex culpa, vel voluntate debitoris, v. g. furripuisti equum Petri Panormi, & illum transtulisti Syracusas, Panormi debes restituere. Pari modo, si furatus es pecuniam hic à Titio, & Titius se contulit ob sua negotia

gona Catanam, quo erat secum suam hanc pecuniam translaturus, Catanam debes restituere. Ratio est, quia creditor per restitutionem debet ad æqualitatem reduci, & nullum debet ex injusta tua receptione pati damnum. Quare si quis furetur pecuniam, quam ipse dominus aliò, etiam in disiunctissimam provinciam, mittebat, rationabiliter petet, ut ibi reddatur. Dico (rationabiliter) non enim potest temerè velle dominus, pro arbitrio suo, in quocumque loco fieri restitutionem, sed solum, ubi culpa furis sese extendit 4.

a De his omnibus vide Sorum l. 4. de just. q. 1. art. 1. ad 3. Rebell. p. 1. l. 2. qu. 13. sec. 2. & 3. Azor. 3. p. l. 4. c. 32. & 33. Less. l. 2. c. 15. dub. 8. Vasq. de restit. §. 10. dub. 1. & 2. Mol. d. 751. Delugo t. 1. de just. d. 20. sec. 8. §. 3. Bonac. disp. 1. de rest. q. 5.

3. Verum, cujus expensis? ducendus est v. g. equus ablati in locum debitum, quis tribuet expensas? respondeo, tribuet b debitor, subtractis ijs, quas fortè alioqui dominus fuisset facturus, si ab illo equus non fuisset ablati. Ratio est, quia secus, creditor, qui nunc est dominus, pateretur damnum ex alterius injustitia. Idemque est, si restitutio fiat ex injusta retentione, quia tunc jam est ex delicto. Comodavi tibi v. g. equum per unum mensem, tu fuisti in mora injusta reddendi, unde ego Catanam petij, cum omnibus rebus meis, debes tuis expensis transmittere ad me equum, subtractis ijs, quas ego fecissem, & nullis subtractis, si fecissem nullas: sic enim ad æqualitatem reduceretur injustitia, cujus mihi ex injusta mora causa fuisti.

b Sor. Val. Nav. Azor. Mol. Less. & commun. apud Dic. 1. c. n. 98.

4. Inquires. Si expensæ futuræ essent majores, vel æquales rei restituendæ, obligor ne, cum tanto damno, eas pati? surripui v. g. equum valoris centum aureorum: expensæ autem, ad equum transferendum, ascendunt ad centum, ducentos, trecentos aureos; obligabor ne?

Respondeo, te absolute loquendo obligari, quia tu intrivisti, tu ex mede, hoc est, quia tu causa fuisti, cur tantum debeat expendi, tu expende: neque enim dominus ex tua injustitia pati carentiam suæ rei debet. Dixi (absolute) nam, si tu exhibendo tantas illas expensas, patereris non quidem damnum æquale, vel aliquanto majus, quam patitur dominus ex suæ rei carentia, tunc sine dubio tenereris; sed si patereris longè majus, quàm patitur dominus ex absentia rei suæ, tunc sanè posset differri solutio, aut aliquo modo conveniri per litteras cum domino; ratio est, quia Justitia non adversatur charitati, quæ est finis omnium virtutum, neque prudentiæ & rectæ rationi, quæ per omnes virtutes intercurrit. At charitas & recta ratio dicat, nō debere dominum velle, rem suam cum tanto rigore sibi restitui, ut damnum adeo intolerabile debitori inferatur. In aequali autem, seu aliquanto majori, idè obligamus debitorem, quia in damno non adeò excedenti melior ratio debet haberi innocentis domini.

c Val. Caet. Nav. & alij apud Vasq. c. 10. dub. 1. n. 27.

5. Quod si differri non possit solutio, vel propter absentiam in loco remotissimo

motissimo ac diuturnam domini, non sit spes veniendi tempus, quo res transmitti ad illum cum moderatis expensis detur, nec per litteras, seu internuncios, domini voluntatem explorandi, non propterea debitor potest rem ablatam sibi retinere, sed vel disponendum de illa est, in favorem pauperum, vel componendum, vi beneficij Bullæ compositionis, sicuti superius diximus fieri debere in eo casu, quo incertus dominus est, quia in hoc casu moraliter judicatur dominus, ac si esset incertus. Idem puto in alio casu, quando debitor, propter inopiam nullo modo potest expensas, ne mediocres quidem facere, ad transmittendam rem, vel ad dominum admonendum: tunc enim pari modo, vel pauperibus rem elargitor, vel beneficio compositionis utitur. In utroque autem casu, si præsumatur voluntas domini, ut res restituenda detur suis consanguineis, patri, matri, filijs &c. multo magis si ij pauperes sint, ipsis dandam rem esse, nemo negabit, ut ibidem diximus.

d sup. c. 1. §. 3. num. 20. e Ludov. à Cruce d. 3. in Bull. Cruc. d. 6. nu. 3. alijque ab ipso citati.

Quo loco, ex re accepta?

6. Si restitutio facienda est solum ex re accepta bona fide, v. g. quia habui equum, gemmam, vestes, qua deinde novi esse alterius, vel bos alterius ad meum præsepe confugit, &c. profecto sufficet, si ea restitutio fiat in loco s, vbi est debitor: & admoneatur dominus; quod si res ad dominum sit transmittenda, domini expensis transmittenda erit; ratio est,

quia secus, ego paterer damnum sine mea culpa; tunc enim dominus jus habet in rem suam, non vero in me.

f Navarr. Mol. Rebel. Less. Reginald. Vasq. alijque citati à Dicast. li. 2. de just. tr. 2. d. 11. dub. 9. num. 105.

7. Adverte hic tria. Primò, mihi esse compensandas justas expensas, alioqui ex re ipsa extrahendas, si quæ me factæ sunt, ad sustentandum v. g. equum; idque ex tacito contractu, qui dicitur ex negotijs bene gestis. Secundò, multum expedire, si dominus admoneatur, & res interim alicubi custodiatur; nam si superfluas expensas sine rationabili voluntate domini facias, illas amitteres, ut si equum v. g. transmitteres cura majorib. expensis, quam equus valeat, si sine morali custodia &c. immò tunc, si ob negligentem custodiam, cum culpa gravi periret equus, tenereris ad damni restitutionem, ex injusta damnificatione; tertio, si res transmitti ad dominum non potest, nec admoneri, expectari, &c. detur pauperibus, vel usui sit Bulla compositionis, juxta modum jam nu. 5. dictum. Nec tamen videtur improbabile, posse retineri apud se, quia tunc res comparatur rei habenti dominum ignotum, juxta dicta §. 3. n. 31.

Quo loco, ex contractu?

8. Si restitutio facienda est ex contractu, & ex justa acceptione, distinctione opus g habemus; vel enim restituenda est eadem numero, seu, ut loquuntur Jurisconsulti, eadem res in specie, v. g. equus locatus, commodatus, deposti-

depositus, vel restituendum est aliquid æquivalens, v. g. emisti equum, debes pretium; vendidisti, recepto pretio, frumentum, debes frumentum pretio recepto æquivalens; accepisti prædium, debes censum &c. de utroque separarim.

g. legatur Dicast. l. c. n. 108. Less. Vasq. Reginal. ab eod. citati.

9. Quoad prius, assero, debere restitui in eo loco, quo conventum est, vel in eo loco, quem natura initi contractus requirit, v. g. si in contractu locationis equi appositum sit, ut hic equum restituas, hic debes; si ut restituas Catanæ, quo pergis, illic debes &c. At verò si nulla conventio facta est, tunc debet respici natura contractus, hoc est; an primò contractus, quem facis, sit solum in utilitatem alterius contrahentis? secundò, an solum in tuam? tertio, an in utriusque?

10. Si enim accidat primum, si v. g. habes depositum librum in utilitatem solius domini, ibi bona fide, id est, sine fraude & dolo debes restituere, ubi tu existis; quod si alio res transmittenda sit, fiat expensis & periculo domini, modo non pereat ex tua gravi culpa; ratio est, quia secus, tu patereris damnum, sine ullo domini jure contra te.

11. Si habes depositum, solum in utilitatem tuam, teneris tuis expensis restituere, in eo loco, ubi bona fide habuisset dominus, si tibi non commo- dasset, modò per te steteris, ne dominus secum rem suam transtulerit, deductis tamen expensis, quas fecisset dominus; ratio est, quia dominus non debet pati damnum ex gratuito commodato, & ex alia parte non debet, nec ille lucrari,

nec tu perdere, sine tua culpa, ex inero commodato, quod est ex se gratuitum.

12. Denique si rem habes in-utilitatem utriusque, ut in locatione equi, in qua & tu equi usum, & locans pretium habet, tunc in casu, de quo loquimur, quando nulla facta est conventio, videris primo aspectu teneri tuis expensis, ne dominus sine culpa lædatur: puto tamen, expensis utriusque; quia retorqueo argumentum; si enim tuis expensis, tu lædereris sine tua culpa. Dividantur ergo æqualiter expensæ, sicuti æquale est commodum; immo addo, non rarò debere solis expensis domini, quando scilicet domini negligentia non fuit admonitus conductor de loco, ubi restitutio facienda esset; ipse enim, suo communiter usurpato jure utens, ibi restituet, ubi rem locatam recepit. Excipe, nisi sit recepta consuetudo, ut alibi restituatur: ita in aliquibus locis equi locati ad iter faciendum, restitui solent in locis, ad quos equitando pervenitur &c.

13. Quoad posterius, quando ex contractu debet restitui res æquivalens, juxta divisionem factam num. 8. dico, debere pari modo restitui secundum conventionem contrahentium, sive expressè, si ve tacitè in contractu positam; at si nulla sit apposita conditio, regulariter fieri debet restitutio, seu solutio, ubi tradita res fuit & recepta, v. g. hic vendidisti, hic locasti equum, hic solve pretium; id enim videtur postulare æquitas, idque æqualitas inducenda inter contrahentes: quod si hic Panormi domum Catanæ existentem, hic debebis, quia illud (numerata pecunia)

nia) id tacitè, ne dicam expressè, importat &c.

14. Ex quo vides, tum pro hac potestrema doctrina, tum pro præcedenti, maximè ex circumstantijs decerni debere in tota hac materia locum, ubi fit restituendum; id, quod nos nunc inquirimus sub nomine tacitæ vel expressæ conventionis, & paulo superius sub nomine naturæ contractus, in quo nimirum tacitè imbibitur aliquando, vel expressè loci determinatio.

15. Hinc primò, si in via tibi do mutuos decem aureos, certè non in via, sed ubi tunc ego proximè, immo etiam longè habito, reddere debebis, quia ex natura mutui, quod est in utilitatem solam mutuatarij, colligimus, dominum rem suam habere debere sine expensis, quia nisi expressè quid in contrarium sit conventum, non est æquum, ut ego ex beneficio tibi collato clamnum patiar.

h. Bonac. l. c. n. 9. quod tandem concedit Dehuo l. c. num. 204.

Quid si emas, vel vendas in via, dilato pretio, vel re? quid si vendas rem existentem in loco distant, v. g. dolium vini existens in tuo prædio? respondeo, in his casibus semper solere constitui in praxi, locum solutionis, quod si per incuriam non constituatur, ad tacitas, consuetasque in ea regione conventiones, modo paulo ante dicto, erit recurrendum.

16. Hinc secundò, si tibi promittam dare liberaliter post annum equum, & ego ante annum domicilium mutare cogar, certè sufficienter tibi satisfaciam, si equum ibidem dem, ubi bona fide inveniatur, quia ex circumstantijs

his peculiaribus, quod hæc sit donatio merè liberalis, quodque ego non consulto, ut effugiam ab equo donando, sed bona fide peregrè abierim, colligitur, non aliter me promississe.

i. Dicast. li. 2. tr. 2. d. 11. d. 9. n. 118.

17. Hinc tertio, census reales, super rebus stabilibus debiti, v. g. super prædio, domo, feudo &c. (nisi expressè conventum aliter fuerit) solvi debent in loco, ubi sunt res hypothecata: est enim census, quasi pars fructuum rei. Idem de pensione beneficij, ibi enim debet solvi, ubi est beneficium, licet sciam, sapissimè conveniri expressè, ut solutio exhibeatur, ubi degit pensionarius. Idem de legatis: debent enim dari, ubi hæres hæreditatem adiit, nisi aliter ex intentione testatoris colligatur, siquidem legata sunt pari modo partes extractæ ab hæreditate.

In omnibus prædictis, quando res ad dominum longè distantem transferranda est, cui pereat, si pereat in via, diximus §. 5 à num 3.

§. IX.

Quæ causa excuset?

Q Vindecim causas affert Valentia 4 excusantes à restitutione. Præcipuæ sunt; impotentia debitoris, infamiz, vitæ, membrorum periculum: condonatio creditoris: cessio bonorum: res restituenda creditori nocitura: præscriptio; beneficium Bullæ compositionis; solutio facta creditori sui creditoris: Iudicis auctoritas: quoniam verò ex his multa sparsim *b* in toto hoc libro dicta sunt.

R. r. r.

multæ

multa autem sunt facilia, & passim obvia, nec desunt aliqua minus frequentia, ideo prima hic, quæ frequentissima est, brevi explanationi subijcienda dumtaxat superest, si prius adnotes, certum esse, excommunicationem creditoris, multo minus debitoris, non excusare à restitutione. At lucrum magnum à debitore acquirendum tunc solum dabit causam ad differendam aliquantulum restitutionem, quando speratur, sic debitor posse satisfacere omnibus creditoribus.

a Val. 2. 2. d. 5. q. 6. p. 7. & multa de his excusationibus lege apud Castrop. de just. comm. d. 1. p. 17. per totum. b De periculo infam. &c. cum de adulterio, de re nocitura creditori supr. §. 3. nu. 2. de ingressu Relig. supr. §. 1. nu. 7. de prescr. supr. tr. 1. c. 4. de cessione bonorum mox n. 7. dicetur. c Silv. suar. Less. alij apud Castrop. l. 1. §. 5. d Layman. Less. alij apud Castrop. l. c. §. 4. n. 4.

Inopia excusans à restitutione.

2. Impotentia ergo, seu inopia causa est legitima, cur omitti, vel quod est minus, differri possit restitutio, quia vulgare est pronuntiatum: *Ad impossibile nemo tenetur*, vide, quæ dixi Tract. 2. c. 6. Cum autem fortior sit ommissio (utique perpetua) quam dilatio, fortior ad illam impotentia, quam ad hanc sine dubitatione requiritur. Hinc lego apud doctores, e posse licite aliquando ex detrimento, quod debitori sequitur, etiam si non conijciatur in necessitatem decidendi à suo stat. posse, inquam, licite differri restitutionem ad tempus, quo sine tanto detrimento fieri queat restitutio; lego apud Lessium f

eum, qui debet centum aureos, posse differre solutionem, si non potest nunc restituere, nisi prædium multo minoris vendat, quàm valet; lego apud Bonacinam, g posse differri solutionem, quando ad restituendum statim, rem valentem ducentos, oporteret vendere centum; quod duplex dictum Lessij & Bonacinæ explicat, quantum debet esse detrimentum, quod hanc licentiam differendi concedit. lego apud Ioannem Medinam h & alios, si periculum sit, ne filia se prostituat, & ne filij fiant latrones, vel ne debitor ipse pater ob summam indigentiam in desperationem incidat, posse differri solutionem; addit merito Castropalaus i, dummodo creditori inde grave damnum non obveniat. Hæc, inquam, absolute lego; at propter has causas posse restitutionem absolute omitti, non passim lego. Nam si deinde accedat major causa, quale est periculum vitæ, membrorum, jacturæ notabilis & diuturnæ propriæ sanitatis, gravis infamiæ, notabilis casus à suo statu, ita ut illi filij, v. g. paterque, non habeant, unde alantur &c. non differri solum, sed omitti omninò poterit restitutio.

e Sor. Navarr. Val. alij, apud Bonac. d. 1. de restit. q. ult. p. 1. contra Mol. d. 754. f Less. l. 2. c. 16. nu. 12. & 25. g Bon. l. 1. n. 22. & 23. h lo. Med. C. de restit. qu. 2. ad 2. Less. Nav. apud Castrop. mox citandum. i Castrop. de justitia comm. d. 1. p. 18. §. 3.

Qua ratione, qui differt solutionem ob causas prædictas, obligetur ad interesse; quod ex dilatione fortè patitur creditor, lege apud doctores.

l Delug. t. 1. de just. d. 21. sec. 1. n. 16. Mol. Less. Reb. aliosque apud ipsum.

3. Sed

3. Sed quid, si detrimentum illud, & periculum latrociniandi in filiis, & desperationis in patre, de facto semper perseverent? respondeo: tunc non est improbableem, per accidens omitti posse restitutionem, si tamen præmittantur diligenter remedia, ne illa mala perseverent, & ut restituatur illa pars, quæ sine magno detrimento potest, & grave inde damnum creditori non obveniat. Ratio debet esse, quia secus, debitor hic & nunc daret creditori notabiliter plusquam ipsi deberetur; daret enim illud, quod ipsi debitori in illis periculis & detrimentis tam gravibus, quæ superari moraliter non possunt, ut supponi omninò debet, valet multò plus, quam illud, quod debet, ad quod iustitia obligare non potest, quæ æqualitatem per se respicit. Vide §. præced. n. 4. Dixi, notabiliter, quia debitor ad nò notabilem jacturam, maximè quando debitum est ex delicto, ex omni recta ratione obligabitur; nam idè obligavimus etiam ad partem, quando partem potest &c.

m. Reb. p. 1. l. 2. qu. 17. sec. 4. n. 36.

4. Illa ergo inopia, seu impotentia omninò à restitutione liberat, qua primò debitor verè non habet, unde solvat: secundò, qua si solvat, fit extremè indigens: tertio, qua si solvat, fit graviter indigens, quod alijs verbis supra in simili diximus, qua quis notabiliter cadit à suo statu; adverte illud (notabiliter) quod, quia non notatur ab aliquibus, sæpe palliatur obligatio restitutionis; ut aliquando appareat esse moraliter impossibilis, quæ certè ejus generis non est.

Ut è contra, si creditori constet de

impotentia omnimoda debitoris, illi molestiam afferre non potest, nec à judice petere, ut in carcerem debitorem conjiciat, quia jus creditoris contra proximum impotentem vel suspenditur vel elanguet: video tamen, sæpissimè excusari creditores urgentes, quia sæpe adest spes, ut debitor ita vexatus, aliquam rationem ineat solvendi. An adesse possit alia excusatio, prudens lector inquirat.

a. Bard. lib. 1. select. qu. 10. n. 6.

5. Adverte item, si quis in statum honorificum ascendisset, propter rem alienam mala fide acceptam, tunc faciendam esse restitutionem, etiam cum diminutione sui talis status, quia non esset cadere, sed redire ad suum: multò magis, si in pari necessitate esset is, à quo rem surripuisti; tunc enim debet esse melior conditio innotentis domini: illud subadverte, si filius v. g. usurarij mala fide cœpit possidere, teneri eum, etiam cum diminutione status relictæ à patre, ad restituendum; quia ejusmodi possessio cum mala fide nihil ipsi suffragatur; si verò cœpit possidere bona fide, non teneri postea à suo statu bona fide possessio decidere, ut restituat, si cognoscat, ea esse bona aliena, quia quilibet jus habet ad conservandum statum bona fide acquisitum.

Impotentia testis & notarij, an à restitutione excuset?

6. In concursu extremæ vel gravis necessitatis debitoris & creditoris, quid faciendum, per aliam occasionem disputabimus. Verum casus ille frequens de teste & notario hic non est

R r r 2

præter-

prætermittendus; hi enim cum non raro falsis testimonijs, vel scripturis conjecerint innocentem in amissionem bonorum, immò aliquando in periculum vitæ, se excusant à restitutione, & à revocatione dicti vel scripturæ, ob æquale periculum, quod subirent. Sed communiter doctores clamant adversus hos, doctrinamque à nobis modo traditam inculcant. Instar omnium fit

„ Bonacina n: quæres (ait) utrum ille,
 „ ob cujus falsum dictum inferenda est
 „ alteri mors vel mutilatio, teneatur
 „ retractare suum dictū, cum periculo
 „ similis pœnæ incurrendæ? respondeo
 „ affirmative, modò credat, se profutu-
 „ rum per retractationem, & modò in-
 „ ferendo testimonio peccaverit morta-
 „ liter; ratio est, quia, in æquali damno,
 „ habenda est potior ratio innocentis.
 „ Tenetur etiam eos admonere, quos
 „ ad falsum testimonium ferendum
 „ induxit, ut falsum retractent, & ijs
 „ recusantibus retractare, tenetur Iudici
 „ fraudem aperire, ut innocens eripia-
 „ tur, quamvis sibi vitæ periculum
 „ immineat: melior enim est conditio
 „ innocentis. Si reus fuit per alios te-
 „ stes convictus, & falsus testis nihil fe-
 „ cit, non est mirum, tunc ad nihil ob-
 „ ligari p, quia nihil damni intulit, ut
 „ supponis.

n Bon. c. 8. præcept. d. 20. q. 3. p. 3. nu. 16.
 o cum Val. Bannes. Azor. Molin. Fill.
 cit. ibid. à Bonac. p. l. Dian. p. 3. tr. 5.
 ref. 105.

„ Dixi (modo credat, se profuturum)
 „ quia credens, se nihil profuturum,
 „ nec tenetur retractare, cum nullus ad
 „ opus inutile obligetur. Tenebitur ta-
 „ men restitutionem damnorum facere

cum illorum causa injusta censeatur (huic dicto addo ego, semper juvare q, saltem per hominem gravem admonere iudicem de falsitate prædicta, nam certè tunc iudex majorem diligentiam adhibebit exquirendi veritatem pro reo.)

q ita Dicastill. lib. 2. tr. 1. de just. d. 5. da. 3. num. 55.

„ Dixi (modo in proferendo testi-
 „ monio peccaverit mortaliter) nam
 „ qui bona fide perniciosam aliquam
 „ falsitatem dixit in iudicio, non tene-
 „ tur cum tanto suo incommodo, co-
 „ gnita veritate, dictum retractare, cum
 „ ex nulla radice constet, ad hoc teneri,
 „ ita Sotus, Navarrus & alij r. Hac ex
 „ Bonacina.

r Tol. Nav. Clau. Reg. Sylv. apud Bon.
 ibid. quibus adde Delugo t. 2. de just. d. 29.
 sc. 3. à num. 24.

Quid si verum crimen per testimo-
 nium propalasti, sed injustè, utpotè,
 quod erat occultum? respondeo cum
 Castropalao, s te tunc non esse obligat-
 um, vitam exponere, ut delinquentem
 liberes, sed solum, quando falsum
 crimen imposuisti. Ratio est (inquit)
 quia jam sententia erit justa, si crimen
 verum fuit, ergo tu licet peccaveris,
 non fuisti causa mortis injustæ &c. vi-
 de ipsum latius.

s Castrop. de justit. comm. d. 1. p. 17. §. 3.
 nu. 6 cit. Less. Sanc. Petr. Navarr.

Cessio Bonorum.

7. Ad impotentiam reducitur cessio
 bonorum, de qua summam duo affer-
 re sufficiat, alterum omnibus per vitium,
 alterum singulare.

8. Primò: cessio bonorum excusat
 quidem à restitutione in foro externo,

non ve-

non verò in conscientia, nisi verè impotens sit, qui cedit; ejusmodi enim cessio ideo debitori suffragatur in foro externo, quia princeps supponit, miserum hominem non esse solvendo; unde si sit solvendo, nunquam princeps intendit, tollere jus creditorum; quod intendere iniquum sanè esset. Alimenta tamen, quibus secundum tuum statum parèe vivas, te in foro conscientie posse retinere, immo & occultare, probabile est (sive ea accipias ex bonis, quibus gaudebas ante cessionem, sive ex acquisitis postea) siquidem ad propria alimta quilibet jus habet, cum is, qui ijs caret, sit in gravi necessitate constitutus, in qua etiam aliena posse surripi, nedum propria occultare, communis jam nunc est sententia.

9. Ex hac eadem doctrina illud obiter dicam. Nam uxores & filij, quorum viri parentesque ad magnam sunt penuriam redacti, sive culpate, sive etiam sine culpa, si post eorum mortem inveniuntur non esse solvendo debita à patre viroque contracta, possunt ex bonis & relictis tantum subtrahere, atque occultare, quantum satis judicetur ad vitam suamque statum honestè conservandum; & in judicio requisiti possent, cum à qui vocatione congrua, jurare, se nihil occultare, puta, nihil non ipsis debitum, & propter eandem rationem non incurrerent excommunicationem forte latam contra ea bona occultantes.

† Celestin. citans Sor. Alexor, alios apud Dian. p. 5. tr. 14. ref. 57.

10. Secundò: proposita mihi nova quæstiuncula fuit nudius tertius, an artifex, qui cessit bonis, possit in posterum contra suum statum, otari? an

vero obligetur, artem suam, ut antea exercere, quò aliquid præter victum, (ut certè potest) acquirendo, creditoribus suis, saltem ex parte, satisfaciat?

Respondeo; nonnulli omnino hunc liberare ab operando fortasse contentent, ex eo principio, quod cessio, quando exhibita est cum ignominia, subit vicem perfectæ solutionis. Verum quia communis & solida sententia negat, tunc extingui obligationem, sed solum suspendi, quia tota ratio privilegij cessionis bonorum ducta est ab impotentia debitoris, & illa ignominie signa solum adduntur, ne passim ejusmodi cessiones cum damno Reip. intententur, ideo artificem hunc omninò obligo ad laborandum, juxta suam conditionem, quò restituat, quantum potest, tum quæ ex contractu, tum multo magis, quæ debet ex delicto. Et ratio à priori est, quia quilibet obligatur apponere media, saltem ordinaria, quæ conducunt ad finem, ad quem quis obligatur, cum certum sit, eum, qui obligatur ad finem, obligari etiam ad ordinaria media ad illum. Sanè quis nõ obliget ex virtute religionis fidelem ad ambulandum à domo sua ad Ecclesiam competenter distantem, quò die dominico, Missæ interfit sacerdotem ex eadem, ad emendum Breviarium, quò horas Canonicas solvat? patrem familias ex virtute charitatis ad conquirendum consuetis hominum laboribus victum, quò familiam alat, & sexcenta alia? pari ergo, immo majori ratione, Iustitia, quæ fortius urgere solet, quàm aliæ virtutes, obligabit debitorem hunc artificem (à quo ex cessione bonorum non recessit, ut dictum

est, obligatio restituendi) ad laborandum, secundum suum statum, qui labor medium est, respectu ipsius, satis ordinarium, quod finem obtineat faciendi æqualitatem, quam potest cum creditore. nam propter eandem rationem, hunc & quemlibet alium debitorem non posse repudiare hæreditatem, vel quid simile, docent multi *a*, qua hæreditate possit creditoribus satisfacere, quia hoc est medium ordinarium & facile.

a Sanc. Less. Mol. apud Castrop. l. c. num. 4.

Paritas, quæ potest obijci contra hanc doctrinam, ducta à religioso, qui in nostra sententia, non obligatur laborare ad solvenda debita contracta in sæculo, jam satis superque dissoluta est superius *b*.

b supra §. 2. n. præsertim 12.

CAPVT SECVNDVM.

De concausis, seu cooperantibus ad actionem injustam, ex qua oritur obligatio restitutionis.

ANtequam ad singulas causas accedam, duo pro omnibus advertete. Primò, has concausas nunquam teneri ad restitutionem, nisi re ipsa damnum secutum sit. Secundò, nec teneri, nisi adsit certitudo moralis, quod id sit secutum, quodque sit secutum ex ejusmodi causa. Nam quando de alterutro ex his ambigitur, diximus disertè superius *a*. Concausæ autem hæc, de quibus locuturi sumus, novem *b* omninò sunt, his criminibus comprehensæ.

a sup. l. 1. in Dec. c. 3. §. 7. v. damnum secutum. b De his concausis lege A7 or 3. p. l. 4. c. 10. Less. l. 2. c. 13. Rebell. p. 1. l. 2. q. 24. Vasq. de restit. c. 9. §. 1. Mol. l. 3. d. 729. Reginald. Bonac. Layman. cum de rest. Sanc. in cons. lib. 2. c. 1. dub. 49. Delugot. 1. de just. d. 19. sec. 2. Dic. l. 2. tr. 2. d. 4.

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus, participans, mutus, non obfians, non manifestans.

§. I.

Iussio, seu, quod idem est, mandatum.

DE mandante seu jubente aliqua diximus, agentes de homicidio lib. 6. c. 4. §. 5. item de ratum habente, quod certè huc reduci- tur; quæ sunt omnino recolenda, & hic proportionaliter applicanda.

2. Superfunt autem aliquæ difficultates: primà est, si mandatarius excedit limites mandati, an ad restitutionem debitam ex excessu teneatur mandans?

Distinguunt communiter DD, si talis excessus damni est ex communiter contingentibus, poteratque facile ac debebat prævideri à mandante, tunc tenetur mandans; ut si Petrus iussit me furari à Paulo centum, & ego ab eodem furor centum & quinque; si iussit occidere Cajum, & per errorem occido Titum Cajo similem, quam similitudinem *bb* cognoscebat Petrus; si iussit graviter vulnerare, & ego occido &c.; ratio est, quia cum hæc sint tam proximè conjuncta ijs, quæ mihi à Petro

à Petro mandata sunt, merito imputatur ipsi mandanti Petro.

b b Id addo, quia secus, excusabitur mandans, adeoque non erit irregularis, ut decrevit Sacra Congr. apud Dianam p. 9. tr. 4. ref. 31. fine, & ego dixi sup. li. 6. c. 4. §. 3. num. 35.

At verò si excessus non est talis; soli arbitrio mandatum excedentis attribuitur, ut si ego iussi, leviter verberare, & tu occidisti, tunc merito mandans de eo excessu non tenetur. lege Azor loco citato, cui adde plures apud Dianam c, excusantes ejusmodi mandantem à pœna ordinaria homicidij.

c Dian. p. 8. n. 7. ref. 33.

3. Secunda difficultas est, an ad damna, quæ mandatarius fortè patitur propter executionem mandati, teneatur mandans? v. g. si ego, ob furtum ex tua jussione commissum, ad triremes damnor, an tu debeas mihi refarcire damna, quæ ex ejusmodi condemnatione confurgunt? respondeo, esse item distinguendum, sicuti distinguendum audivi à P. Iosepho Augustino. Nam, vel ego me spontè obtuli, atque idem est, si liberè acceptavi mandatum, multò magis si accepi pretium, & tunc tu mandans ad nihil teneris; ego enim ultro me periculis objeci; unde cum à te mandante injuriam nullam receperim, non sum in aliquo refarciendus. Vel ego sum à te deceptus, seu coactus, & tunc teneris *d* utique, quia sic damnum meum sequitur ex injuria à te mihi per deceptionem seu coactionem illata. Sed advertè, hoc damnum debere esse ejus generis, quod

communiter contingere solet ex actione mandata: secus, non esset voluntarium, ne indirectè quidem, mandanti, nec propterea eidem sub pœna restitutionis imputandum, ut ex modo dictis constat.

d Dicast. li. 2. de just. tr. 2. d. 4. dub. 4. num. 86.

4. Litigabant (habe id obiter, occasione mandati) duo, anno superiore de quinquaginta mille, & amplius fortasse aureis: alter ergo cum premeretur à diligentia procuratoris collitigantis, eum aggressus de die est, inflictisque duobus, vel tribus lethalibus vulneribus, aufugit; quid deinde consecutum sit, ad nostrum institutum non pertinet, illud quæsitum est, an procuratori huic vulnerato deberentur expensæ vulnere à dicto collitigante? ratio dubitandi erat, quia procurator ajebat, se ex mandato collitigantis ea negotia gerere; quare damna inde secuta, ipsi collitiganti imputanda, atque adeo ab ipso refarcienda. Nec defuere, qui procuratori faverent, ita ut valde notabilem summam extorserit à nimis benigno collitigante. Demum res ad tribunal delata est, & ego minimus interrogatus, mecumque aliquot doctissimi Theologi, diximus, non deberi (quavis si aliquid illi ex liberalitate erogaretur, congruum satis esse, non negaverimus:) primò, quia procurator illud negotium acceptavit: secundò, quia pretio serviebat satis justo: tertio, quia hoc damnum non erat ex communiter contingentibus, sed omnino per accidens, ad officium procuratoris. Quarto, inductione; neque enim damna, quæ sequun-

sequuntur fabromurario, si casu v. g. decidit è tecto, debent resarciri à domino, qui illum pretio conduxit; nec navigantibus debentur à domino navis, damna naufragij ejusdem navis ab ipsis conductæ; & sexcenta similia. Quod si procurator excedebat in verbis, vel in aliquo, quod injustè offenderet alios, id ipsi imputetur, non vero ei, qui bona fide eum conduxit, & nullo modo aliorum offensiones intendit. Taceo cætera, ut ad nostra revertar.

5. Tertia difficultas proponitur in sequentem modum. Ego, promissis centum aureis, tibi præcepi, ut inimicum meum occideres: mox pænitentia ductus, mitto ad te litteras, quibus disertè significo, ut omnino ab homicidio cesses: tu vero, ut promisso præmio potiarius, fingis, non recepisse litteras, meumque inimicum interficis; inquirō, an ego pænas incurram mandantis, atque adeo sim irregularis, ac restitutionis reus? respondeo negativè: ratio est, quia sic tu non potuisti occidere ex mandato meo, quod jam revocatum scivisti, sed ex arbitrio tuo. Illa duo etiam certa sunt: primò, te non posse justè acquirere illam mercedem; secundò, me, qui solum ex ignorantia mihi persuadeo, incurrisse irregularitatem, comperta veritate, nulla indigere dispensatione, esto, antea propter conscientiam erroneam indiguerim. Addo & tertium, te obligari ad resarciendum, quidquid damni ex tali homicidio, fortè mihi imputato, obvenierit, ut ex se patet.

e Delug. l. 1. de just. d. 19. sec. 2. §. 1. n. 25.

6. Quarta difficultas; quid sentien-

dum, si ego mandans revocem mandatum, verum tu mandatarius putes, me non loqui seriò, unde fiat, ut tu fureris, vel occidas nomine meo; erone pænis mandantis ego subjectus?

Respondeo, puto te esse; ratio est, quia adhuc, licet per errorem, tu in vim mei mandati operaris, ac meum mandatum est principalis causa illorum damnorum; idem puto, si tu sciveris quidem revocationem meam, sed deinde inculpabiliter oblitus revocationis, damnum inferas ex vi meæ jussiois præterita: jam enim causa principalis damni est jussio mea; sicuti est, quando, licet ego, per nuntium tempore revocaverim mandatum, revocatio tamen casu non pervenit ad aures tuas; tunc enim omnes docemus, me mandantem subjacere pænis mandantis, & tamen mandatum meum ob revocationem jam factam, non amplius existebat, sicuti certè non existit in casu præsentis.

f Idem l. c. n. 25.

7. Quinta difficultas: an si ego mandavi, ut damnum inferatur Petro, & jam non valeam amplius mandatum revocare, possum tamen Petrum admonere, ut sibi consulat, an, inquam, illum admonere teneat, si ita spes sit damnum effugiendi? respondeo, sine dubio obligor, quia teneor facere, quantum possum, ne damnum mea injusta causa proximo inferatur.

Quæstio quidem potest agitari, an semper teneat, cum meo magno incommodo & periculo, quod subirem, si Petrum præmonerem? & tunc respondeo, satis confusè ab aliquibus id resolvi: distinguendū ergo per diligenter est, vel enim primò, si præmonerem, in-

cidam

cidam in damnum æquale, vel quasi æquale, ac Petrus; & tunc obligabor omnino: multo magis, si incidam in damnum levius; ratio est, quia, mea actio injusti mandati me obligat ad amovendum damnum ab innocente, cuius ego essem injusta causa. Quare si vita Petri periclitatur, tua vita est redimenda; si fama, tua fama, si bona, tuis bonis sunt reparanda. Communis est hæc doctrina de falso teste, ut nuper *b* vidimus, qui obligatur, retractare, quam vis cum suo æquali periculo, quando retractatio est profutura. Vel secundo, si præmoneam, timo meo malum in superiore ordine, seu certe longe maius, quam est illud, quod est mandato meo inferendum; & tunc excusabor à præmonendo, quia tunc non censetur moraliter esse in potestate mea, præmonere; cum quæ multum difficilia sunt, judicentur moraliter impossibilia. Vnde fit, ut si vita mea vel fama periclitetur ex dicta admonitione, ad illam non obliger, quando prædicto Petro inferendum tantummodo esset damnum in bonis temporalibus.

g l. Dianam p. 4. tract. 2. de irreg. res. 14. h nuper §. 9. n. 6. c. 1. i De lugo l. c. sect. 2. §. 1. n. 31.

Illud adverte, me debere semper restituere illa bona, in quibus fortè prædictus Petrus deinde lædatur, quia semper illa læsio est ex vi mandati mei: ex alia parte possum sine periculo meæ famæ vel vitæ restituere, medio amico occulto, vel prudenti confessorio.

Qui consilium dedit alteri (obiter hic id notare juvat) ut malum faceret, unde qui consilium accepit, damna passus

est, non obligatur consulens, aliquid restituere de his damnis, quia liberum fuit consulto, tale consilium acceptare, scienti autem, & volenti non fit injuria. Simile quid de mandatario liberè mandatum suscipiente, dixi n. 3.

1 Clavis regia, Less. Ar. Sa apud Di-castill. li. 2. de just. tr. 2. d. d. 4. n. 85.

8. Si mandatarius accepta à me revocatione; adhuc ex sua voluntate velit damnum inferre Petro, tunc ego non ero amplius Petro injurius; solum ergo obligabor ex charitate ipsum præmonere, si spes sit aversionis damni: sed quia charitas non obligat cum magno dispendio, ut alibi dictum est, ideo in casu hoc revocati jam sufficienter mandati, non obligabor præmonere, si inde notabile damnum mihi imminere prævideam.

§. III.

Consilium.

1. **N**on solum, qui consilium dat, suum hic locum habet, verum etiam qui hortatur, dirigit, instruit, suadet, terret, minatur ad injustam patranda[m] læsionem; par enim est de hisce omnibus ratio.

Certum autem est, & consulentem teneri ad restitutionem damni illati, quia consulens damnum, verè causa est illius, ut merito Aristoteles *b* revocet consultorem ad causam efficientem. Immo adverte, non raro consultorem (id quod etiam dic de mandante, & similibus) teneri ad restitutionem, non verò eum, qui exequitur, quando nimirum exequens, bona fide & in-

vincibiliter se gerit, dum interim Consultor seu mandans conscius iniustitiæ est.

a *Doff. cit. in §. præc. & passim. b Arist. 2. physic. t. 29.*

2. Iam verò tria hic difficultatem habere solent. Primò, quid si revocetur consilium? de quo tamen dixi, cum de homicidio c. Secundo, quid si consulatur minus malum? de quo etiam dixi superius d. Tertio, quid si iniusta actio alias fieret, etiam alterius consilio non accedente? de hoc jam hic subdo.

c *Sup. l. 5. c. 1. §. 4. cum de invitante ad peccat. & cum de transgressuro, adde Dicast. l. sup. cit. n. 74.*

3. Si actionem quis iniustam peregisset, etiam si meum consilium non accessisset, accessit tamen dumtaxat meum, non verò alterius, ex quo meo consilio motus ille egit iniuste, ego teneor e ad restitutionem; si autem ille erat, sive ex se, sive ex aliorum consilio determinatus ad iniuste agendum, accessit tamen etiam meum consilium, ex quo ille nihil motus est, ego non teneor f ad restitutionem. Si denique ille erat determinatus ad iniustam actionem, sed meum consilium supervenit, solum illum movit ad citius, crudelius, severius agendum, licet probabile g sit, me obligari ad restitutionem, est tamen etiam probabile, h me non obligari, nisi fortè ad excessum. Explico singula singulis exemplis.

e *Sotus. Caiet. Covar. Rebel, quos citat sequiturque Dicast. l. 2. de iust. tr. 2. d. 4. d. 2. n. 8. & Mol. Less. Vasq. & communiter apud eundem l. c. n. 21. g Dicast. l. c. à n. 24. citans*

Rebell. Molin. Pet. Navar. Caiet. Sotus alios. h Nav. S. Tho. aliq. apud eundem n. 25. & ipse Dicastil. probabile putat.

4. Exemplum primi disti: Antonius, cum non sit determinatus ad iniustam læsionem, intendit decem ad se vocare consultores, non tamen deinde advocat, vel si advocat, me primum consulit, qui consilium illi de inimico occidendo, quo unico consilio ille contentus & motus, illum interficit. Affero, me teneri ad restitutionem, quia de facto damnum à consilio meo consecutum est: sicuti si ab alieno, & non à meo consecutum fuisset, alij, & non ego ad restitutionem essent obligati.

5. Exemplum secundi: Caius cum simili modo ad iniustam actionem determinatus non sit, decem consultores advocat, & auditis novem, animo item firmo decernit, inimicum occidere; sed postea supervenit meum consilium, à quo ipse Caius nihil movetur, sed ab illis novem motus inimicum interficit. Dico, me non teneri ad restitutionem; ratio est, quia quamvis ego peccaverim contra iustitiam, inefficax fuit meum consilium ad actionem iniustam, cum tota efficacia fuerit ab præauditis consultoribus. Si dubium sit, an meum consilium moverit, necne Caium, quid sentiendum, dixi superius i.

i *Sup. l. 1. c. 3. §. 2. verb. suffragium.*
6. Exemplum tertij: Titius determinatus jam omnino inimicum occidere, ex meo consilio solum illud habet, ut quia volebat occidere cras, occidat citius, nempe hodie, & propter meum consilium occidit animosius, immo & crude-

& crudelius. Aio, esse probabile, me teneri ad restitutionem, quia de facto damnum infero: at esse etiam probabile, non teneri, quia verum non est, à me damnum quoad substantiam, fuisse illatum: fuit enim à præcedente deliberatione, & solum ego causa fui in qualitate, seu modo. Confirmabat hanc doctrinam P. Ioseph de Augustino, à quo illam habui, hoc exemplo; nam si segetes v. g. inimici mei conflagrarent, sine vlla spe auxilij, & ego ex odio flammam adderem, licet peccem, tamen, quia novum damnum non facio, non obligor ad restitutionem, ita ergo in casu nostro &c.; loquimur autem solum ad restitutionem: nam cæterum, quando citius ex meo consilio mors alicui inferitur, cum sim causa accelerationis injustæ mortis, in irregularitatem incurro. Scio, Hurtad., dū sic habere: non incurritur irregularitas, quando absque mandato, aut consilio aut incitatione aut animatione alias erat faciendum homicidium, quoad substantiam, quamvis aliquo ex his quatuor modis animus delinquentis fuerit auctus ad id faciendum, aut inductus ad faciendum citius, vel crudelius, quia tunc dicto modo cooperans, quamvis sit causa distincti numero actus, non influit in homicidium, quoad substantiam, sed tantum, quoad modum. Hæc ille, in qui, quoad illud (citius) placere non potest, cum verè, qui ad mortem citius dandam influit, ad substantiam homicidij, nec solum ad modum concurrat.

1 Gass. Hurtad. de irreg. d. 2. dif. 6. n. 20. in edit. Antwerp. 1633. m.

Quem videtur sequi, Bannes apud Dianam p. 8. tr. 7. resol. 92.

7. Consulto autem in hoc tertio dicto notavi illud (nisi fortè, quoad excessum) nam si quis erat determinatus ad furandum decem, tu verò excites ad furandum viginti, te obligari ad restitutionem excessus supra decem, dubium esse non potest.

Quando confessarius non dat consilium de restitutione peenitenti, quam is debet, & similia, diximus in Methodo n. De ijs, qui consilium præbent, cum sint ignorantes, nec apti ad consilium præbendum, legatur omnino Vasquez o.

n In Meth. conf. lib. 3. c. 8. §. 3. o. Vasq. de restit. c. 2. §. 2. d. 5.

§. III.

Consensus, Palpo.

1. **Q** Vi si vè per suffragium secretum, sive alio modo consentit, ut fiat actio injusta, obligatur ad restitutionem, id quod ex dictis de consulente, cui valde affinis est consensus, satis liquet. Adde tamen omnino ea, quæ dixi superius a de suffragijs.

a l. 1. c. 3. §. 7. ver. Suffragium, & videatur insuper Dicastill lib. 2. de iust. tr. 2. d. 4. dub. 5. à n. 93.

2 Sicut autem injustus est qui per suum suffragium actioni iniquæ consentit, ita non rarò erit injustus, qui non consentit, ubi assentiri per justitiam deberet, seu, quod idem est, ubi suffragium negat, quando in favorem alicuius, vel in bonum reip, illud ferre oportebat.

Sss 2

tebat.

tebat. Id certè colligitur ex dictis, & videri poterit apud Doctores latius *b.*

b. Mol. d. 732. Dian. p. 3. tr. 2. de dub. Reg. ref. 6. Delugo to. 1. de iust. d. 19. sec. 2. §. 3. à n. 60.

3. Palpo, seu palpator, id est, qui laudando & adulando alium, vel contra, irridendo, arguendo ve alterius ignaviam, est causa actionis injusta, tenetur vtrique ad restitutionem; idq; etià si non laudaverit, animo, ut fieret actio injusta. Satis enim est, si præviderit damnum ex sua laude secuturum: nam si esset cum inadvertentia inculpabili, ex generalibus regulis involuntarij excusandum fore, scimus omnes. De hac ejusmodi adulatione iterum *c* memini me dixisse, nec inutiliter recoleris locum illum.

c. In Meth. Conf. lib. 2. c. 7. §. 3.

§. IV.

Recursus.

I, qui malefactorem receptant, qui protegunt, qui securitatem præbent, ad injuste agendam, vel ad non restituendum, quique prædam servant, quos omnes sub nomine recursus comprehendimus, peccant, & ad restitutionem tenentur, quia, ut sic, sunt causæ actionis injustæ: ut sic, dico; non enim semper, si latro ad te divertat, statim teneris ad restitutionem, sed si ita divertat, ut ante delictum, tu vel tacite, vel expresse promiseris, illum receptare, vnde ipse hac fretus receptatione furatus sit. At post commissum jam furtum, vel homicidium, si illum casu recipias, ne is à li-

storibus v. g. comprehendatur, vel ob aliam causam, cum latronis ut sic receptor non sis, restitutionis reus neres. Nam propterea Molina *a* merito excusat Advocatos & procuratores, qui defendunt in judicio fures, vel excusant in ijs, in quibus ipsimet fures possunt se jure defendere; (defendere autem & excusare se possunt, quando culpa est occulta, immo quando non est semiprobatà, quando injustè vexantur, non servato juris ordine &c) eos enim defendunt, non ut fures, sed ut jus habentes in prædictis. Neque obstat, hos, qui defenduntur, & eos, qui ut amici receptantur, probabiliter iterum reddituros ad latrocinia, nec jam ablata reddituros: id enim ipsis imputabitur, non verò justè defendentibus, vel casu receptantibus: casu, inquam; si enim data opera, & ferè semper, vereor, ne latro hoc receptaculo sisus malè agat, & tu formalis sis latronis receptor.

a. Molin. d. 733. Dicast. alios citam l. 2. de restit. tr. 2. d. 4. dub. 6.

2. Hinc fit, ut peccent, & restitutionis obligationem contrahant pater, dominus, Princeps &c. si videntes filium, famulos, vasallos injustè agere, confisos in potentia ipsorum, eos si possunt, non compescant: quia dum sic animati, & in domibus ac civitatibus tuto recepti delicta committunt, suam culpam in patrem, dominosque sine dubitatione transmittunt. De patre dominoque, recipientibus domum amasiam filij vel famuli, vide superius *b.*

b. sup. l. 5. c. 1. §. 4. n. 22. & 23.

3. Non deest tamen interdum excusatio

cusatio in recipiente: cum enim actio
mera receprandi fit ex se indifferens,
potest admittere causam excusantem,
qualis est metus mortis, vel notabilis
mali proportionati, ut ex ibidem di-
ctis c facile colliges: immo merito
Rebellius d aliam excusationem af-
fert pro ijs, qui latronem in diverfo-
rium suum recipiunt, si nimirum sint
alij, à quibus æquè reciperetur; tunc
enim, cum damnum certò à fure infe-
rendum fit, non judicabitur moraliter
mea receptio esse illius damni causa.

c *Sup. lib. 5. c. 1. §. 4. per totum, d
Rebell. c. 1. l. 2. q. 8. n. 40.*

§. V.

Participans.

Participes criminis appellamus,
non eos qui proximè, & simul
cum fure v. g. furantur, præ-
damque partiuntur; hi enim propriè
non participes, sed causæ principales
vocantur, & sunt; sed eos, qui furem
v. g. vel homicidam comitantur, qui
astant, qui explorant fenestras, submi-
nistrant necessaria ad damnum pera-
gendum &c. quique causæ sunt mi-
nus principales damni. Quoniam vero
esse sic participem criminis, coincidit
non raro cum alijs causis cooperanti-
bus hætenus explicatis, vel certè est
aliquid commune ad illas, ideo nihil
separatim de huiusmodi participatio-
ne dicendum occurrit; nam utrum,
qui particeps furti est, obligetur ad re-
stitutionem totius, quod hic explican-
dum esset, paulo a post commodius
expediemus.

a *inf. §. 7. c. 8.*

§. VI.

*Mutus, non obstans, non manife-
stans.*

Hactenus causas explicavimus
damni positivas, sequitur
brevis instructio de negati-
uis: mutus dicitur, qui loquendo, re-
prehendendo, clamando, consulendo
potest impedire damnum proximi, &
tamen tacet. Non obstans, qui potest
facto suo, id est, auxilium, suam ve ope-
ram præbendo impedire damnum,
nec tamen præbet. Non manifestans,
qui potest revelare damnum inferen-
dum, vel illatum, quo pacto non infer-
retur vel refarciretur, nec revelat ta-
men.

2. Porro regula certa fit huiusmodi:
qui a non loquitur, non auxiliatur, non
revelat, vno verbo, qui se negatiue ge-
rit, si possit & debeat ex iustitia b dam-
num impedire, peccat, teneturque ad
damni restitutionem. Si verò sine
notabili incommodo possit quidem,
sed non ex iustitia debeat, sed solum ex
charitate, esto, peccet, non tenetur ad
restitutionem. Veritas regulæ patet
ex dictis, ut etiam ex dictis liquet, pro-
pter periculū gravis nocumenti, qua-
lis certè est iactura gravis rei familia-
ris, honoris, vitæ, proportionata ad
damnum proximi, excusari sæpe ejus-
modi non impediens, etiam obliga-
tos c ex iustitia, vel quasi iustitia, quia
non cum tanto onere ordinaria hæc
officia assumuntur; nisi quid amplius
exposcat pactum, ut in milite & Parocho
&c. diximus lib. 6. c. 1. §. 1. à n. 4.

Sss 3

3. Quid

a *Dicaſt. lib. 2. de juſt. tr. 2. d. 4. dub. 8. b. Quæ debentur ex juſtitia, quæ ex charitate, diximus nos paſſim, & colligit Dicaſt. loco cit. n. 138. c. lege Petr. Navar. l. 3. c. 4. n. 123. Mol. d. 735. Dicaſt. l. c.*

3. Quid, ſi quis, cum teneatur ex charitate, conſultò tamen ſe negativè habet, ex odio, ut damnum alteri ſequatur? reſpondeo, adhuc non teneri à hunc ad reſtitutionem; quia ſic, quamvis peccet, ex malo affectu, ex nulla tamen parte eſt cauſa externi damni. Affectus enim internus externi damni cauſa eſſe nequit, & ſilentium ipſum, vel omiſſio auxiliij, cum ſint negatiua, poſitivi damni cauſa eſſe non poſſunt.

d *Dicaſt. l. c. num. 131. multos citans, vide quæ nos ſupra docuimus lib. 6. c. 4. §. 1.*

4. Sed quid, ſi mihi obligato ex ſola charitate, vel etiam nullo modo obligato, volenti tamen impedire furtum v. g. contra Petrum, Antonius ſuadeat, ut non impediam, peccabitne Antonius contra juſtitiam, cum onere reſtitutionis?

Reſpondeo negativè e, ſi ſine vi vel fraude ſuadeat; ſi cum his, affirmatiuè; ratio vtriuſque eſt quia ſi Petro nihil debebatur ex juſtitia, nihil contra juſtitiam ab ipſo tollit Antonius ſua mera ſuaſione; at ſi vi, vel mendacijs, tollit aliquid Petro, quia is habet juſ, ne vi, & fallacijs impediatur à bono conſequendo; ſicuti propter eandem rationem ſolemus dicere, ſi impediatur quis teſtorem vi & fraude, ne alicui relinquat legatum, obligari ad reſtitutionem, non vero, ſi mera ſua-

ſione; ita in caſu præſenti. Si forte ab odio moveatur Antonius ad diſſuadendum, eum ex interno affectu peccare, nimis eſt manifeſtum.

e *Molin. d. diſp. 735. Leſ. l. 2. c. 13. dub. 10. n. 66. apud Delugot. l. d. 19. ſec. 3. n. 101.*

5. Quid, ſi mihi volenti impedire furem, ne is furetur ab eodem Petro, ipſe fur det mihi pecuniam, ne ipſum impediam à furando, obligor ne primò ad reſtitutionem damni illati ipſi Petro à fure? ſecundò, obligor ne ad reddendum ejuſmodi pecuniam Domino, id eſt, ipſi furi?

Reſpondeo ad primum: ſi teneris ex juſtitia impedire, & propter datam pecuniam non impedis, quis ambigat, te teneri ad reſtitutionem damni? at ſi ſolum teneris ex charitate, puto, te non obligari ad prædicti damni reſtitutionem ex hoc capite, quod media pecunia non impedis; quia acceptio pretij tibi dati à fure non te magis obligat ad impediendum, quam antea obligabar; ſi ergo antea non obligabar ex juſtitia, nec obligaberis poſtea. Neque obſtat, quod ſecurior & animoſior fiat latro ex certitudine, quod tu non impediatur: non obſtat, inquam, quia hanc ſecuritatem eodem modo poterat ipſe habere, ſi tu ſine pretio ipſi promiſiſſes non impedire. Ratio autem ulterior, cur neque pretium, neque promiſſio non impediendi augeant tuam obligationem, eſt, quia tunc redditur fur animoſior, non ex poſitiua tua actione, ſed ex negatiua omiſſione, quæ omiſſio non reddit ex ſe animoſiorem latronem, ſed ipſe latro ex ſe vitur hac omiſſione ad maiorem ſuam

uam securitatem; quod si aliquid ad-
das, per quod furem animosiorē po-
sitivè reddas, obligari ad aliquid pro-
portionatum restituendum, paulo ante
jam diximus.

f. l. Dian. p. 3. tr. 6. ref. 58. alios
citantem.

7. Respondeo ad secundum, te
non teneri g restituere pretium acce-
ptum: semper intellige, si fur de suis
bonis pretium dedit. Ratio est, quia,
tunc illi vendis operam tuam, id est,
omissionem impediendi, quam omis-
sionem poteris ponere, & non ponere,
ut supra vniversaliter dictum est h:
vnde etiam debes recolare, si post ac-
ceptum pretium res est integra, id est,
adhuc potes impedire damnum, vel
potes facere, ut illud refarciatur, te (ne
perseveres in peccato) debere rescinde-
re contractum initum cum fure, & re-
stituere pecuniam, atque adeo impedi-
re damnum, ut ibidem explicatum
est.

g l. Sotus, Navar. apud Delugo l. c.
v. 103. contra Mol. h sup. lib. 7. c. 5.
§. 2. à n. 8.

8. Ex dictis infero primò, famu-
lum i, cui cura alicuius rei commissa
est, si non impediatur (cum possit) fu-
rem, siue extraneum, siue ex conseruis
& domesticis, obligari ad restitutionem;
famulum verò, cui res commissa
non est, obligari ad restitutionem soli-
um, si non impediatur fures extraneos,
non autem, si non impediatur conser-
uum, seu domesticum. Quoad do-
mesticos enim, si quando potest, sine
suo notabili incommodo, eos impedi-

re, & tamen non impedit, peccabit so-
lum contra charitatem. Ratio ho-
rum est, quia omnes famuli sunt cu-
stodes domus, respectu exteriorum, at re-
spectu domesticorum solus ille cense-
tur custos, cui cura rei commissa est. Si
tamen servus videatur, conseruum con-
gregare res Domini, ut noctu cum illis
fugiat, obligari quemlibet servum ex
iustitia, docet Delugo l, quia tunc ille,
qui fugam parat, censeatur, ut extrane-
us. Nomine autem famuli, cui cura
rei commissa est, intelligitur etiam,
quicumque ille, cui datur clavis loci,
vbi res servatur, & ille, cui committitur
cura loci, v. g. penus, horrei &c. & il-
le, qui praeficitur, tanquam moderator
totius familiae vel loci, & ille, qui Do-
minum comitatur, quoad res, quas se-
cum Dominus fert &c. quia per hæc
officia videtur his rei cura à Domino
commendata.

i Molin. d. 735. Less. t. 13. dub. 10.
n. 75. Laym. l. 3. sec. 5. tr. 2. c. 5. 7. &
communiter. l. Delugo t. 1. de iust. d.
29. sec. 3. n. 186. fine.

9. Inquires; si sint multi famuli,
quibus incumbat cura domus, & nemo
impedit furantem, cum tamen impe-
dire potuissent; v. g. clamando &c.
obliganturne singuli in solidum, non
restituentibus confamilis, an solum
pro rata? respondeo, obligari in soli-
dum m; ratio est, quia vel singuli se-
paratim sumpti poterant impedire to-
tum damnum; & tunc directè ob-
ligantur. Vel singuli non poterant,
poterant tamen, aduti à conseruis; &
& tunc pari modo obligabuntur; nam
quilibet erat ex iustitia obligatus ad
vocare ceteros, seu se promptum exhi-
bere ad

bere ad impediendum, ut ceteri invicem animati ad repellendum furem accurrerent. Quid, si quilibet prævideat, conferuos non accursuros? respondeo, adhuc omnes obligabuntur in solidum, quia cum singuli non clamaverint, fuerunt causa injusta, unde invicem conferui putarent, se non posse solos impedire damnum: & sic de facto damnum non impeditum fuit, ex culpa singulorum, qui dum non clamaverunt, seque promptos non exhibere, fuerunt in causa, ut quilibet putaret, conferuos non accursuros.

m Less. l. c. dub. 1. n. 29. Vasq. c. 9. de rest. 8. dub. ult.

10. Infero secundo, custodem vineæ contrahere onus restitutionis, ni clamet, furemque impediatur; at, qui non est custos, quamvis peccet, non prohibendo, si sine incommodo possit, tamen quia solum peccat contra charitatem, onus restitutionis non contrahere.

n De his custodib. vide plura apud Fagun. l. 8. in Dec. c. 5. n. 6. & 7.

11. Infero tertio, excusari non tenetur (esto, per aliquos non excusetur) à restitutione damni secuti, si iudicè interrogatus, veritatem non manifestet; ratio est, quia quamvis testis tunc obligetur ex iustitia legali, vel ex charitate, veritatem aperire, non tamen constat, obligari ex iustitia commutativa, cum non obligetur, neque ex contractu, neque ex quasi contractu, id est, ex officio.

nn Mol. & Sylv. quos citat, sequiturq; Less. l. 2. c. 30. du. 8. n. 59. quibus addito Tannerum, Dian. p. 3. tr. 5. ref. 54. o Tol. l. 5. c. 31. Reb. l. c. n. 63. Reg. l. c. n. 100.

12. Infero quarto, custodes portarum, seu gabellarum, nemorum, & similes ex officio, nisi manifestent fures, teneri per ipsos ad restitutionem damni illati; patet, quia tenentur ex iustitia. Quid de pena, quam reus Actor vel fisco solveret, si revelatus esset, atque adeo condemnatus? respondeo, ejusmodi custodes, multo minus testes & alios privatos ad hanc resarciendam non obligo, ex probabilissima sententia; ratio est, quia hæc pena non debetur, nisi post sententiam; sententia ergo quomodocumque impedita, cum jus nondum acquisierint Actor vel fiscus, nihil debent non manifestantes.

p Molin. d. 739. Delug. t. 2. de just. d. 37. sec. 9. fuse Val. d. 5. q. 11. p. 4. Sor. l. 5. q. 4. art. 4. q. Dian. p. 3. tr. 5. ref. 54. Dicass. l. 2. de just. tr. 2. d. 4. du. 8. n. 165. ex Vasq. alijque, ubi n. 139. agit, an cum reo jam incursio in penam possis pacifesi de danda pecunia.

Idem, quoad penas, dicendum erit (ut aliqui notant) de Iudicibus, qui non condemnant (esto, cum peccato) reum ad solvendum aliquid Actori, vel fisco, vel alteri, quod ex pena, etiam conventionali, debebat reus; immo idem dicendum de facientibus, etiam positivè, fugere eos, qui essent condemnandi ad penam pecuniariam &c.; ratio est, quia pari modo hanc penam reus debebat post sententiam. Solum ergo tunc debet Iudex restituere, quando iniquè, profert sententiam, vel vexat litigantes &c. quia reus ad justam sententiam, & ad suam indemnitatem jus iustitiæ semper habet.

De custo-

r. Tannerus, Less. Sanch. Vasq. alij apud Dian. p. 3. tr. 6. resol. 35. Delugo t. 2. de just. d. 37. sec. 8. n. 97. s. Apud eundem Dianam l. c. & Delugo l. c.

De custodibus se abscondentibus, quo facilius delinquentes deprehendant, dixi libro 5. cap. 1. §. 4. numero 2. & 3.

§. VII.

Quo ordine haec causa restituere debent?

1. **P**ræcipua difficultas ea hic est, ut videatur, cuinam ex his concausis incumbat restituere primo loco; in cuius defectum deinde concausa alia succedat. Id ita breviter statuo.

Si plures fuerint causæ ejusdem rationis, & ita, ut æque teneantur, restituere debent pro rata. V. g. si sunt duo exequutores, qui intulerunt proximo damnus decem aureorum, debet quisque quinque restituere. Quod si vnus nolit, vel non possit, certè quia vterque tenetur in solidum, succedit secundus ad obligationem restituendi totum, id est, in dicto exemplo decem; cui tamen secundo debet alius refarcire suam partem, seu ratam, quam debebat.

2. Tunc autem plures æquè tenentur, quando æqualem influxum habuerunt in totum damnus, id quod tamen §. sequenti clarius explicabitur. Nam si vnus sine communicatione cum alijs fuisset causa solum partis damni, ad partem tantum suam restituendam obligari, nimis est clarum.

Si vero non omnes fuerint causa

ejusdem rationis; vnus enim fuit v. g. exequutor, alter palpo, vnus iubens, alter rei ablata custos, erit maxime distinguendum; id quod tribus dictis explicabo.

3. Aio primò, si res aliena, vel eius pretium, vel pars extat apud aliquem, rursus si ab aliquo res mala fide consumpta est, ij debent a primo, cæteri, in horum defectu; qui cæteri ab eo, apud quem res extat, vel à quo mala fide consumpta est, refarciri debent. Excipe, nisi de mandato alterius, damnus aliquis dederit, & in præmium rem alienam acceperit; nam tunc mandans, etiam ante hunc, tenetur restituere, quia tunc ipse est causa principalis damni, qui semper est prior obligatus, ut mox numero sequenti subdam. Restituente autem eo, qui primo loco debet, id est, principali, cæteræ minus principales causæ liberæ manent à restitutione, sed restituentibus minus principalibus debet principalis compensare his totum, quia hæc successerunt loco ipsius.

a Vasq. de rest. c. 9. §. 1. dub. n. 44. & 53. Mol. d. 737. n. 2.

4. Aio enim secundò, si accessit iussio seu mandatum, seu coactio ad injustam actionem, iubens debet prius, exequutores vero in defectum iubentis, qui iubens debebit semper, ut modo dixi, exequutoribus refarcire totum; excipe, nisi exequutores in damno inferendo moti fuissent ex se, vel quocumque modo fuissent etiam & ipsi principales, id est, quia agebant negotium suum. Ratio dicti est, quia tunc iubens, mandans, cogens, licet non sit causa moralis damni extequens.

T t t

equens, est tamen principis, ut ex se patet. Ratio exceptionis est, quia tunc exequutores sunt ipsi certe principales.

b *Vasq. l. c. n. 54. & 56.*

5. Aio tertio, si nullus fuit jubens, tunc exequutor debet prius, cetera concaussa, ut palpo, consentiens, mutus, & alia tenentur solum in defectum exequentis: nisi in his ceteris extaret aliquid ex furto, tunc enim ex numero 3. tenerentur sine dubio illa concaussa. Et quidem hae cetera concaussa, quae secundo loco debent, non debere vnam priorem altera, docet Vasquez c, sed omnes pro rata, juxta maiorem minoremve influxum ad damnum datum, ad arbitrium prudentis; quem influxum, obligationemque ex influxu exurgentem mox §. sequenti clarius me declaraturum modò promisi. De Jugo d autem distinguit aliquos casus, quando aliqua ex his concaussis prior debeat, quam alia, quae, si est ortu, lege.

d *Delugo de just. & in c. 1. d. 19. à n. 137.*

6. Illud hic praeterire nolo: si forte laesus remittit vni ex concaussis, non statim censendum esse, ipsum ceteris remisisse; sed esse distinguendum; nam si remittit principali, sane intelligitur remittere ceteris: at si remittit alicui ex causis secundariis, tunc principalis tenetur ad restituendum totum, id est, ad maiorem partem restituendam ipsi laeso, & sua partem ipsi remisso. Causae vero cetera secundariae, quibus non est remissum, casu, quo in defectum principalis debeant ipsae restituere, non obligabuntur ad totum, quia debet tolli illa pars, de qua vna ex concaussis obti-

nuit remissionem. Certè Molina docet, principalem tunc totum debere restituere; sed non explicat cui, Domino scilicet, an etiam suam compartem remisso? sed, ut dixi, mihi videtur sua pars non esse deneganda remisso, quia remissio à Domino facta est in favorem remisso, ergo ab illo hac utilitas demenda non est.

e *l. Dicast. lib. 2. de restit. tr. 2. d. 4. dub. 1. & II. f. Mol. dis. 738.*

De haecenus in hoc §. dictis, lege Molinam, & Dicastillum citatos: ibi enim multa minutiora omnino videnda sunt.

Sed illud non est inter minutiora connumerandum. Dixi enim paulo ante, tunc plures causas aequae teneri, quando eque influxum habuerunt in totum damnum; id enim verò (ut cognoscamus, quantum vnaquaque damni restituere debet) diligentiorum in §. sequenti explicationem explicat.

§. VIII.

Quantum singulae damni concaussae restituere teneantur?

1. **P**otest primò aliquis esse causa damni, partialitate effectus, potest secundò, esse causa damni, totalitate causae; potest tertio, esse causa damni, partialitate causae.
2. Esse causam damni partialitate effectus, est, solum partem damni facere, independenter à quacumque alia causa; ingrederis v. g. vineam, col-lecturus vnam, dum alij sine tuo consensu, vel adhortatione eamdem ingrediuntur & spoliunt: tunc in causa es damni

es damni vineæ, partialitate effectus; tuam enim partem solum furaris, & ut modò dixi, certum est, te tunc solum ad eam partem restituendam obligari.

a Mol. disp. 573. n. 2.

3. Esse causam damni, totalitate causæ, est, facere totum damnum, id quod duplici modo evenire potest: primò, si à te sine alterius auxilio totum damnum fiat, tota vinea v. g. spoliatur; & tunc totum à te debere restitui, vel pueri non ignorant. Secundo, si damnum fiat cum auxilio alterius, sed ita, ut etiam sine auxilio fieret à singulis, ut si duo lethaliter hominem feriant, singuli vulnus lethale infligentes; vel si duo consulant furtum; ita ut singulorum consilium sufficienter ad illud furtum moveat; & in hoc etiam casu certum *b* est, singulos debere totum damnum, si fortè alter partem nolit, vel nequeat restituere, quia verè sunt causa totius prorsus damni.

b Dicast. li. 2. de restit. tr. 5. disp. 4. dub. 2.

4. Esse causam damni, partialitate causæ, est, facere totum damnum, sed cum auxilio aliorum, ita, ut quod singuli non facerent, faciant omnes: exemplo res fiet clarior; si duo v. g. pondus grave surripiant, quod neque ferre, neque consequenter surripere vnus potest, tunc singuli, causæ partiales damni totius sunt, ambo autem sunt causa adæquata; & in hoc modo causandi damnum, difficultas est non vulgaris (quam variè & confusè tractatam invenies à Doctoribus) an singuli debeant restituere totum damnū, atque adeo in solidum, casu, quo alter partem suam nequit, vel nolit reddere?

an vero satis sit, si partem suam restituat, juxta suum influxum ad damnū datum, maiorem vel minorem, iudicio prudentis æstimandum?

5. Ut autem id melius decernatur, sint hæc *c* duæ regulæ, saltem pro praxi probabiles. Prior: quando quis per causam damni ita ad damnum concurrat, ut sine ipso nulla alia causa superveniente, adhuc fieret totum damnum, non obligabitur, nisi partem damni restituere, mensurandam à viro prudenti, juxta mensuram influxus ad damnum datum.

c Colligo ex aliquib. Doctorib. apud Dian. quos citat sequiturq. Delugo t. 1. de just. disp. 19. sect. 2. à nu. 80. Item ex Vasq. de rest. c. 9. §. 1. n. 34. & Dicast. li. 2. de rest. tr. 2. disp. 4. dec. 2. à n. 29. lege etiam dub. 9.

Posterior: quando sine illo non fieret totum dictum damnum, obligabitur ad totum in solidum, ita, ut non restituente alio partem suam, totum ipse debeat.

6. Ratio prioris regulæ est, quia obligatio restitutionis oritur ex damno, quod quis sua actione proximo infert, sed qui influit in damnum modo dicto in priorè regula, quod est, influere in damnum partialitate causæ, diminutè infert, ergo diminutè orietur obligatio, ergo non est rationabile, ut ex diminuta obligatione teneatur ad restituendum totum.

7. Ratio posterioris est, quia tunc causa illa æquivaleret causæ totali; licèt enim illa causa partialis sola non potuerit totum damnum ponere poterat tamen totum impedire, sui concursus subtractione: si enim illa non accessisset.

Tit. 2.

cessisset, nihil damni ab altera concausa factum fuisset: si ergo non se subtraxit, & non impedit totum, quod certe poterat, ipsi imputabitur totum damnum.

8. Ex priori regula infero, militem gregarium satis probabiliter non obligari ad restitutionem totius damni, quod fit ab exercitu: illud enim etiam sine ipso fieret. Et quamvis ipse concurrat ad totum damnum (omnes enim milites animantur ex consortio commilitonum) tamen est valde exigua animatio concepta ex presentia ejusmodi unius militis: immo non raro ejus erit tanta vilitas, ut modicissime animet, unde & modicissime debeat, præter illud damnum, quod fortè ex se immediatè intulit.

d. 1. eff. li. 2. c. 23. dub. 4. n. 37. Mol. disp. 734. alij.

Pari modo idem decimus in consultantibus damnum, immo & in adhortantibus ad illud, quando omnes consultores, vel hortatores ita sunt causæ torius damni, ut adhuc sine consilio & adhortatione consultus, & excitatus sufficienter erat totum damnum illaturus; solum enim debent, quantum damni prudenter judicabitur commensurari ad tale consilium vel adhortationem. Idem puto, si factum fuisset totum damnum, sed mea hortatio fuit causæ, ut fieret aliquantulo citius, nec per dilationem impeditum villo modo fuisset damnum, idem, inquam, puto (licet contrarius sit Vasquez, sed nobiscum est Delugo locis citatis) quia anticipatio illa, quæ à me provenit, parum, immo aliquando nihil damni videtur addere, si hujusmo-

di damnum ab altero paulò post erat omnino inferendum.

9. Ex regula posteriori infero, illos duos ferentes & surripientes ambo pondus, quod neuter potuisset (quod fuit exemplum allatum nu. 4.) obligari in solidum ad totum damnum, quia singuli poterant impedire damnum ipsi totum. Infero præterea, singulos suffragantes & consultores tunc teneri ad restitutionem totius, quando unum suffragium seu consiliū nihil faceret sine altero. Requirebantur v. g. decem suffragia ad concludendū decretum de damno inferendo, quia novè non sufficiebant: dico, omnes decem suffragantes obligari in solidum, quia quilibet, si se subtraxisset, totum damnum impedire potuisset. Quod si conclusio jam decreto accedat alius, jam nullius damni causæ hic erit. Quare licet peccet, non obligari tamen ad restitutionem, e alibi diximus. Infero itera, si duo ingrediantur domum ad furandum, v. g. centum aureos, ita ut alter sine altero non ingrederetur, in solidum obligari, atque adeo ad totum, altero nolente, seu non valente suam partem restituere. Idem dic, si duo se invicem animent, ita ut sine hac mutua animatione non sequeretur damnum. Idem in similibus, quia in his casibus singuli impedire poterant totum damnum.

e lib. 1. decal. c. 3. §. 7. verb. suffrag. f. l. Sanch. lib. 7. Dec. c. 21. n. 19.

10. Obijcis: ex priori regula sequitur, illum gregarium injusti belli militem, sicuti si parvam, si nulla incurrit obligationem restitutionis, ita nullam incurrere irregularitatem, quia jam sine ipso fierent injusta illa

illa occisiones, & ipse immediate nullo fecit; idemque in similibus privatis homicidijs; ac id videtur esse contra sacros Canones, irregularitatem fulminantes contra quoscumque quocumque modo concurrentes ad homicidium.

11, Respondeo; nego g sequi, illum non fore irregularem: ratio est, quia onus restitutionis enascitur ex ipsa natura damnificationis, juxta illam igitur debet ejusmodi onus mensurari. At non æquum est, ut quando ego debilissima causa sum alicuius damni, totum illud restituere debeam: irregularitas verò, cum sit pœna, justè ab Ecclesia propter bonas rationes fulminata, juxta eius legem mensurari debet: lex autem Canonica h eam imponit cuicumque, qui quomodocumque, sive partialis, sive totalis causa sit injusti homicidij: erit ergo ille miles irregularis, quia occisiones fiunt ab exercitu toto, cuius ipse pars est, quamvis debilissimè in eas influens; fiunt enim illæ cædes tanquam ab vna causa; certè si decem homines inimico decem levia vulnera infligant, quæ singula non sufficerent ad eum occidendum, sufficerent omnia simul, omnes irregularitatem contraherent, quia verum est dicere, omnes concurrisse ad homicidium, tanquam vnam causam, ergo etiam in casu militis, de quo agimus, levitas illa in fluxus non excusabit ab irregularitate.

g *Hurt. & DD. communiter, apud Delugo loco cit. n. 40. h C. sicut dignum §. ult. de homicid. c. quod i dubijs, de pœnis juxta Glossam, & docet cum communi Silvest. V. Bellum 3. q. 3.*

Navar. & Covar. apud Laym. lib. 3. tit. 3. p. 3. c. 8.

De milite autem in bello justo, quoad irregularitatem, ex defectu lenitatis, alia est ratio, de qua vide Layman loco citato; vide item superius, vbi irregularitatis etiam damnavimus i, qui solum celerioris mortis, quam vis aliàs omnino sequendæ, causa est.

i *Sup. §. 2. n. 2.*

Quando est æquale dubium, an concurreris ad injustam actionem, sive tanquam causa principalis, sive minus principalis, an tenearis restituere, jam supra monui, me dixisse lib. 1. c. 5. 7. v. Damnum; & poterit etiam videri Dicastillus l.

1 *Dicast. li. 2. tr. 2. de rest. disp. 4. dub. 2. n. 39. citan. Silv. Lessium, Avilam, Rebellium, Medinam, Sanch. aliosq;*

CAPUT TERTIUM.

Quatuor casus à Caramuele adducti in materia restitutionis expenduntur.

Primus, de seruo infirmo.

1. **P**rimus casus à Ambrosius servus graui morbo periclitatur, & deseritur à medicis; Petrus autem, qui non profitetur artem medicam, scit pharmacum, quod illum omnino sanet: petitur primò, an obligetur illud ipsi præbere? secundò, an possit ipsum vili pretio emere, & postea curare, sibi que curam retinere?

a *Caram. l. 2. Theol. mor. n. 480.*

2. Ad primum, cum multi doceant neminem

Ttt 3

» neminem teneri vti medicinis, sed
 » posse se committere Deo, ut mul-
 » ti sanctissimi viri fecerunt, & ex alio
 » capite nemo tenetur strictius vitam
 » suam servare, quam alienam; An-
 » brosius non tenebitur, uti pharmacis,
 » nec ergo tenebitur Petrus eidem
 » pharmacum præbere.

» Ad secundum, posse emere vili
 » pretio, quia tanti tunc valet homo,
 » cuius vita desperatur; idque verum
 » est, etiam si Petrus teneretur dare il-
 » lud pharmacum; nam non tenere-
 » tur ex iustitia, sed ex charitate; hæc
 Caramuel.

4. Verum mihi nulla ratione
 probantur: primo enim displicet,
 quod tanquam certum supponit, in re-
 sponse ad primum, neminem ten-
 neri vti medicinis: quod falsum est de
 medicinis ordinarijs, alijsque medijs,
 saltem non multum difficilibus, ad vi-
 tam conservandam, ut diximus nos
 paulo *b* superius. Exemplum au-
 tem Sanctorum solum probat, id ad
 summum licet posse, vel ex peculiari
 sancti Spiritus instinctu, vel quoad ex-
 traordinaria media. Secundo, est lata
 disparitas inter vitam meam & alie-
 nam: nam esto, quoad vitam meam,
 possim cedere juri meo, ut aliqui, licet
 falso, putarunt; at, quoad vitam alte-
 rius, longè alia est ratio: ille enim alter
 in extrema necessitate non cedit juri
 suo, nolendo à me medicamentum, sed
 verò maximè requirere præsumitur.

b lib. 5. c. 2. §. 1.

5. In response ad secundum, fal-
 sum est, vili pretio valere hominem,

cuius vita desperatur, si noscatur adesse
 in promptu medicamentum certum,
 multò magis, si est debitum, quamvis
 ex solo titulo charitatis; si enim me-
 dicamentum est in promptu, ac cer-
 tum, certè absolute vita desperata non
 est. Secundo, si ipsi debeatur ex ju-
 stitia, siue ex charitate, satis est, ut ipsi
 debeatur; tanti enim valet cumulus
 hæreditatis, si ei debeantur mille ex ju-
 stitia, quanti, si certò debeantur quo-
 cumque alio titulo, v. g. ex charitate;
 immo aliquando magis, propter maio-
 rem certitudinem. Fac, tibi deberi
 centum ex iustitia à creditore, qui dif-
 ficillimè solvit, & centum à S. Ioanne
 Eleemosynario, ex mera charitate;
 quid tanquam estimabilius tu elige-
 res? vide, quæ dixit Molina *c* super-
 rius, eodem consentiente Caramuel,
 Medico debenti mederi pauperi ex
 obligatione charitatis, si superveniat
 alia obligatio iustitiæ, non videri mor-
 taliter ei superaddi novum onus. Ita
 ergo, quamvis Petrus solum ex chari-
 tate debeat mederi seruo, tantumdem
 moraliter erit pro vita serui, quantum
 si debeat ex iustitia. Non interim ne-
 go, posse suæ tantæ artis meritam mer-
 cedem peti à Medico, vel à Petro; ve-
 rum hæc alia est consideratio; quid si
 obstinatus est Petrus in negando me-
 dicamento? fateor, vitam serui esse de-
 speratam, & ab alio tertio posse vili
 pretio redimi, sed an ab ipso Petro, qui
 hanc obstinationem suam deponere ex
 charitate obligatur, ex alibi *cc* univer-
 saliter dictis colligi potest.

c *supr.* tr. 3. c. 8. §. 2. num. 109.
cc *supr.* l. 7. c. 5. §. 3. num. 21. cum de
 acceptis ex turpi causa.

Secundus

Secundus casus.

De rebus immistis.

6. Acquiris (ait Caramuel) d do-
 ,, minium mistione, cum pauca res
 ,, aliena ita tuis immiscetur, ut di-
 ,, stinguere non possint: tunc enim te-
 ,, neris recompenfare proximo dam-
 ,, num ex hac mistione illatum, iuste
 ,, tamen res tuis immistas retines: ita
 ,, omnes. Consulto dixi, debere ita
 ,, esse immistas, ut distinguere non pos-
 ,, sint: nam si aliena sint multa, nun-
 ,, quam tuis poterunt ita immisceri, ut
 ,, non possint distinguere: hæc ille.

d l. 2. theol. mor. n. 250.

7. Ex his vnum placet, alterum
 displicet. Placet, acquiri dominium
 per eam mistionem, qua pauca res
 aliena ita tuis immisceantur, ut distin-
 guere non possint, id quod nos etiam ali-
 bi docuimus. Displicet verò illud
 (si aliena sint multa, nunquam tuis
 poterunt ita commisceri, ut non pos-
 sint distinguere) displicet inquam; pri-
 mò, ad hominem, quia si pauca res
 aliena, ut recte supponis, docte Cara-
 muel, tuis immista discerni non pos-
 sunt, ergo nec discerni possunt aliena
 multa paucis tuis immista: si enim
 discerni possent aliena multa inter pau-
 cas tuas, etiam discerni possent tuæ
 pauca inter alienas multas; discretis
 enim alienis multis, jam necessario,
 quæ remanent, erunt tuæ. Displicet
 secundò, quia clare probatur, falsum
 esse, tuas res paucas immistas alienis
 multis semper posse distinguere, vel con-
 tra, alienas multas immistas paucis
 tuis distinguere semper posse: quis

enim est tam oculatus & lynceus, ut
 vnciam vini sui immistam cum vini
 amphora alieni, vel contra, sciat discer-
 nere, quæ sit sua vncia, quæ sit aliena
 amphora, vel contra? sic in frumento,
 sic in pecunia ejusdem generis, sic etiam
 in alijs rebus, in ovibus, in lanis, vel se-
 rico ejusdem coloris &c. Hæc satis:
 nam quid de acquisitione dominij per
 mistionem sentiendum sit, nos suo loco
 superius disputauimus f.

e sup. tr. 3. c. 3. §. 4. n. 15. f sup.
 d. c. 9. §. 4. n. 15.

Tertius casus.

De promissione in diem.

8. Qui in contractu (ait) se da-
 ,, turum promittit Petro mille, die Pa-
 ,, schatis, si die statuto non soluit, pec-
 ,, cat contra fidelitatem; debet tamen
 ,, post terminum elapsum soluere, nec
 ,, liber erit ab hac obligatione, quo vs-
 ,, que soluat de facto. Ratio est, quia
 ,, sensus contrahentis est; dabo tali
 ,, die, vel saltem sequentibus: si enim
 ,, illud saltem non subintelligatur, ne-
 ,, mo contraheret; verum qui liberè
 ,, promittit, se daturum Petro mille
 ,, eodem die Paschatis, idque corrobora-
 ,, borat juramento, si non stat die sta-
 ,, tuto, pejerat quidem, sed non obliga-
 ,, tur postea soluere amplius; & ratio
 ,, disparitatis est, quia in contractu,
 ,, post illum diem statutum Paschæ,
 ,, mille illi aurei jam pertinent ad Pe-
 ,, trum. Vnde qui promittit, injustè
 ,, non dat & consequenter retinet ali-
 ,, enum, sed qui liberè promittit, post il-
 ,, lum diem statutum Paschæ, illi au-
 ,, rei mille ad ipsummet promittentem
 ,, pertinent.

„ sui sunt; ergo alienum non retinet.
 „ ergo unde aderit obligatio? hæc ille.

g *Caram. lib. theol. mor. n. 708. & 689.*

9. Displicet resolutio: nam licet disparitas data adsit, obstat tamen illamet ratio ab ipso allata, per illud *saltem*, nam sic arguo; qui contrahit ad diem statutum, ideo obligatur post illum, quia subintellexit, *saltem*, sed qui jurat, dare liberaliter ad eundem diem, regulariter subintelligit, *saltem*, ergo &c. minor probatur, quia regulariter nemo addicit promissionem alicui diei; si enim addiceret, certè sine alia disparitate exploratum esset, non obligari deinceps; ut votum de jeiunando tali die fixo, vel præceptum de audiendo Sacro, die Dominico, non obligant pro die sequenti, quia dies sequens, nec sub voto, nec sub præcepto comprehensus est: idem ergo esset in juramento, si sic juratum pro die fixo esset. At regulariter, ut dico, non solet in communi usu humano aliquid temporale homini liberaliter promitti, sub hac conditione temporis statuti. Promittit princeps amico sic: cras in tui gratiam liberabo à carcere tuum fratrem, tuum servum; cras dabo tibi mille aureos: nunquid intelligit ita, ut affigat diei crastino promissionem? nequaquam. Et pauperi quidem si dicas, cras dabo tibi vestem, qua cooperiaris; nunquid, si pauper post duos veniat dies, dicet? abi, frater, promissio mea fuit addicta diei hesterno. Dixi tamen (regulariter) quia ex circumstantiis aliquando colligitur promissio esse addicta diei, vel tempori, sicuti aliquando dicimus in voto; si

enim cras ego instituo publicum convivium, & tibi promitto, etià cum juramento, cras daturum cibos tibi, & tuæ familiæ, clarè apparet, si tu eo die non accedas ad eos accipiendos, me sequenti die ad nihil obligari, quia ex circumstantiis perspicuum est, promissionem hanc addictam fuisse ad diem communis convivij.

Quartus casus.

De mutuo cum quadam obligatione.

10. An Petrus, si h illi Antonius probabiliter aut dubiè deberet centum aureos, daret eidem Antonio mille mutuos, sub onere, quod mille, & centum restitueret, nimiram hos mille, & alios illos centum, esset usurarius? respondet Caramuel: si deberet probabiliter usurarium non esse; esse, si dubie, Ratio est, quia si dubiè imprudens erit, existimando, sibi deberi illam pecuniam, de qua dubitat: est enim Antonij, quamdiu non constat, esse Petri; quare usurarius erit, quia vellet supra sortem, etiam illam pecuniam. At si probabiliter, prudenter operabitur, existimando, illam pecuniam pertinere ad se; cum quilibet possit operari sine peccato in probabilitate rei: quare nihil præter sibi debitum recipiet. Hæc ille.

h *Caram. l. 2. Th. mor. n. 737.*

11. Sed certè, sicut illud de dubio absolute placet, sic illud de probabili displicet, ex principiis intrinsicis. Ratio est, quia vni versaliter docui superius, in qualibet rei probabilitate semper esse considerandum, ex quam parte

parte stet possessio : cum igitur in casu nostro Antonius sit in possessione , non poterit per vllam priuatam auctoritatem à sua possessione deturbari. Ad locum citatum, ubi de hac re fusè , & vbi videbis , an adsit pro Caramuele extrinseca aliquorum auctoritas.

CAPVT QVARTVM.

Quomodo se geret Confessarius , si quando penitens , cum possit , non restituit , nec debita solvit ?

TOrquet id sapissimè confessarios , qui præterea non raro à fidelibus reprehenduntur , quod faciles sint ad absolvendos eos , qui cum satis locupletes habeantur , arc alieno fruuntur , nec restitunt ; utrosq; sedabit doctrina , quam ex Dicastillo in fine hujus tractationis de restitutione pro praxi confessariorum afferre , operæ pretium iudicavi.

2. Quæ is ergo in hanc rem docet , a ego claritatis gratia , in tria distinguo : primò , de eo , qui potens restituere , non restituit. Secundò , de eo , qui iustus à confessario , ut restituat , nondum paruit. Tertio , de eo , qui cum non possit restituere in foro interno , præsumitur potens in externo.

a *Dicastill. lib. 2. de rest. tr. 2. disp. 10. dub. 1. à num. 6. lege etiam Molin. t. 3. disp. 756. & Delugo disp. 20. t. 1. de just. d. 20. sect. 9.*

Potens restituere , non restituit.

3. Quoad primum : debitor qui sine aliqua causa rationabili potest (com-

modè totum debitum restituere , & non vult restituere totum , sed tantum per partes , non potest b licitè à confessario absolvi. Navarrus c tamen , alijsq; docent , posse licitè , quando idem confessarius duo videt ex pœnitentis dispositione : primò , quod data ei hac dilatione , restituet , & non aliter : secundò , creditor ex hac dilatione non incurret damnum aliquod , quia tunc inquit , cum confessarius utiliter gerat negotium creditoris , videtur creditor consentire. Hæc illi ; sed certè videtur consentire coactus , ob avaritiam & obstinationem debitoris ; quare ipse debitor à peccato sic non excusabitur , unde absolvi nec poterit.

b *Sor. Major , Medina alijsq; ab ipso Dicastillo cit. c Nav. Hostien. Ang. Gabr. apud eundem.*

4. Nihilominus probabilis erit hæc Navarri sententia , si præter illas duas conditiones addatur tertia , scilicet quod debitor habeat ignorantiam probabilem , ex qua sit in bona fide , putans se modo satisfacere suæ obligationi , neque teneri ad amplius ; quia tunc confessarius , si prævidet , nihil profuturum , monendo de ipsius majori obligatione , potest eum absolvere , ne abeat desperatus ; in quò non solum creditoris , sed etiam pœnitentis negotium agit , immò & Dei , cuius minister est. Ita Silvester , Armilla & Petrus Navarra : & hic quidem probat , hanc ignorantiam communiter excusare debitores , quia aliàs major pars Reipublicæ in statu damnationis existeret , quis enim , inquit , est , qui vel testamenti impletionem , vel debiti solutionem non hoc prætextu differat ?

V u u

§. Hinc

5. Hinc autem videtur *d* sequi, Confessarium teneri ad non monendum, sed absolvendum hujusmodi poenitentem: & quidem merito, supposita ea opinione, quia si poenitens non habet impedimentum, ut absolvatur hic & nunc, & ex monitione Confessarii non speratur aliquid melius, sed potius, ut desperatus abeat poenitens, immo ut committat novum peccatum, peccabit Confessarius monendo.

d id. ibid. n. 9.

6. Non tamen puto, e ita malè facturum Confessarium, qui timens de probabilitate ignorantia talis hominis, diceret: ego non audeo te absolvere, quare alios Confessarios: non tamen benè facit, aperiendo illi omnem veritatem, quam timet ei non profuturam, sed potius ob suam culpam nocituram.

e num. 10.

7. Quod si ipse debitor petat doceri, non videtur *f* posse illi negari vera doctrina, nec occultari veritas, cum jam dubitet, & conscientia læsa sit: sic Dicastillus. Ego vero remoueo illud (non videtur) & ajo absolutè, non posse negari veritatem, ut alibi *g* distinctè dixi. Sed redeo ad Dicastilli doctrinam.

g l. 3. meth. Conf. c. 4. n. 2. & 9.

8. Notant autem Auctores, præsertim Navarrus, Corduba, Navarra, hæc eodem modo *h* locum habere, siue debitum sit ex delicto, siue ex contractu.

h id. D. c. num. 12.

Quod verum est; sed ignorantia probabilis frequentius contingit in de-

bitis ex contractu, raro verò in debitis ex delicto.

9. Eodem autem modo videtur philosophandum, siue debitor velit partem debiti statim restituere, & partem differre (in quo tantum casu loquuntur auctores) siue totum velit differre; quia ignorantia eodem modo potest contingere circa totum, & circa partem.

i num. 13.

Iustus à Confessario nondum restituit.

Poenitenti, qui prima vice fatetur, se culpabiliter non restituisse alienum, nunc tamen habere firmum propositum statim restituendi, non est neganda absolutio. Si tamen bis, aut ter, aut sæpius fuerat iustus in alijs confessionibus restituere, & tamen, cum posset, non fecit, regulariter non est absolvendus, quousque fecerit re ipsa restitutionem; ratio prioris partis est, quia, sicut in omnibus alijs confessarius credere potest & debet poenitenti, ita in hoc, ratio posterioris est, quia talis homo est in periculo proximo experientia ipsa comperto, iterum differendi restitutionem. Ideò non rectè aliqui *m* putant, esse probabile, absolvi tunc illum posse, nam idè posset de concubinario dici, qui sæpius iustus, non eiecit domo concubinam.

l num. 17. ex Petro Navarra, Navarro, Corduba, Henr. Suar. aliisque ab ipso Dicast. citatis. m Angles & Ledesma. apud eund. Dicastill.

11. Dixi autem regulariter non esse absolven-

absolendum) nam talis esse posset pœnitens, talesque circumstantiæ possent occurrere, ut confessarius debeat esse contentus solo proposito restituendi, etiam si antea sæpe iussus omiserit restitutionem.

n. nu. 18. ex Navarro, Valentia, Molina, Azorio.

Et Molina⁹ quidem exemplum adhibet; ut si confessarius non leviter credat, pœnitentem re ipsa restitutum statim, sine mora, quia non ea acrimonia fuerat illi iussa restitutio in alijs confessionibus; vel si aliæ adsint circumstantiæ ad id credendum; præsertim si iungat illi, ut non prius accedat ad Eucharistiam, quam restituat.

o Molin. t. 3. d. 756.

Non potens restituere in foro interno &c.

12. Quoties pœnitens accedit, cum impotentia restituendi, p est absolvendus, si dicat, se habere firmum propositum restituendi, esto, sæpius antea restituere culpabiliter omiserit, idque, etiam si restitutio facienda sit ex decimis. Ratio est, quia concilium Tridentinum, dum præcipit confessarijs,

ne absolvant debitores decimarum, quousque eas solverint, intelligendum est loqui de debitoribus potentibus restituere, & qui non restituendo peccant; unde impotentes benè possunt absolvi, etiam si in exteriori foro habeantur excommunicati, si in conscientia excommunicationem non incurserunt, quia jam erant impotentes, quando lata fuit excommunicatio. Verùm, ut dicitur in materia de excommunicatione, hi monendi q sunt, ut in foro externo se gerant pro excommunicatis.

p num. 19. ex Molina. q ibid.

13. Quod si erant potentes, quando excommunicatio lata fuit, eamque re vera incurrerunt, non possunt absolvi à peccatis, extra articulum mortis, nisi prius absolvantur ab excommunicatione, per eum, qui potest; per Bullam verò cruciatam possunt absolvi, si præstent cautionem, de quo latè alibi.

Hæc ex Dicastillo. Nos verò quandoquidem ex tot implicitis quaestionibus dumetis (utinam inoffenso pede) jam tandem emerimus, finem imponamus huic libro, atque bona lectorum venia tantisper quiescamus.

Finis Libri Octavi.

LAVS DEO, BEATISSIMÆ
VIRGINI, AC B. ALOYSIO.

Vuu 2

LIBER